SVMMA CASVVM CONSCIENTIÆ

IO. BAPTISTÆ BIZOZERI S. T. D.

Sacerdotis Varisiensis, professoris Theologię moralis, Ac animarum Curatoris.

QVAM

Augustinus Terzagus S.T.D. Protonotarius Apostolicus, Oblatus, ac Canonicus S. Thomæ Mediolani multis in locis emendatam, in ordinem redactam, summarijs, ac indicibus locupletatam, et sublatis quantum fieri potuit mendis, publico studiosorum, animarum inprimis Curatorum Commodo imprimi, ac in lucem prodire curauit.

Admodum Reuer. Patri

D. MATTHEO VALERIO CARTHVSIANO DICATA.

CVM PRIVILEGIO.



MEDIOLANI, M. DC. XXVIII.

Ex Typographia Io. Iacobi Comi.

IMPRIMATVR.

Fr. Paulus Maria Ritius Commissarius S. Officij Mediolani &c.

Mag. Fr. Al. Bariola pro Illustriss. , & Reuerendiss. D. Card. Archiep.

Vidit Saccus pro Excell. Senatu &c.

Clarissimo & eruditione, & religione viro

D. MATTHÆO VALERIO CARTHVSIANO,

Ticinensis Carthusiæ in oppido S. Columbani Procuratori.

IO. IACOBVS COMVS F.

SEPVLTA, & in puluere delitescētia si quis olim eruisset Mausolea, ne hic patriam, & futuram dicebatur demeruisse posteritatem. Ac propterea Sixtus V. æternæ vir memoriç cum immortalitatem affectaret, vel ex hoc laudatur apud scriptores, quod tot sæculis latentes de tenebris ad lucem tandem extulisset colossos, columnas, ac obeliscos, & sopita illustriorum monumenta ad vitā reuocasset. Erant celebriora illa ex piropecido marmore ignitis maculis variato circà Senas Thebaides miro opere, vigente Numæ Pompilij in Ægyptum Imperio, à Nuncoreo fabricata, Soli post receptum oculorū vsum dicata, Diuo Octauiano Augusto Cæsari, Tiberio, aut Summis Imperatoribus inscripta, hierogliphicis, ac litteris distincta, quæ scilicet futuram vincerent temporū iniuriàm. IO. BAP-

TISTAE BIZOZERI Theologi de nostra hac ætate optimè meriti, ne vllo vnquã tẽpore nomen interiret, instabant plurimi, vt perutiles illius lucubrationes cu derentur, & quæ priuatim apud multos latebãt, in publicum cõmuni omniũ commodo emitterentur. Enixo huic bonorum desiderio satisfactum est tandẽ opera, ac diligenti studio admodũ Reu. D. Augustini Terzagi Theologi, ac Canonici Mediolanensis, qui dissperfa apud multos, & multum immutata scripta collegit, in ordinatam seriem redegit, ac in breuẽ, facilẽque summã composuit, quam meis typis immissam voluit perpetuam lucem accipere, & in publicas flagitantium manus deuenire. Porrò volutanti quod potissimũ operi nomen inscriberem, vnus ex omnibus occurristi, cuius spectata pietas, morũ comitas, traducta per multos scientiarum gradus eruditio, singularisque in me, domum, ac familiam meam amor propẽsæ hoc ex me voluntatis argumentum optimo iure postularent. Huic meo desiderio adstipulabatur idem Terzagus, qui vt te enixè amat, ita quodcunque vigiliarum suarũ pensum sub tui nominis auspicio fatetur se libenter emissurum. Optimè igitur omnibus factũ reor, quod è tenebris vindicatæ lucubrationes tuum nomẽ æternitate dignum circumferant, editiores quippè noxios litteris casus prospiciẽt, & inofensæ lethales tem porum iniurias ferent. Vale vir præstantissime, & tui similis serena fronte qualemcunque typorum meorũ censum intuere.

Mediolani Idibus Maij M. DC. XXVIII.

IN SVMMAM

D. IO· BAPTISTÆ BIZOZERI

Admodum Reuer. Patri

D. MATTHÆO VALERIO CARTHVSIANO

CARMEN.

AVGVSTINI TERZAGI S. T. D. Protonotarij Apostolici, Canonici S. Thomæ Mediolani.

HVNC tibi debueram censor, Matthæe, libellum,
  Quòd fastum doctæ posteritatis habes.
Quod te posse domus curis, musisque vacare
  Fama ait, & veterum scita placere tibi.
Quod quercus non sola beat, vel laurea Phæbi,
  Sed redimunt meritas ciuica serta comas.
Quod tecum excultæ fuit ingens gratia Musæ,
  Inseruitque suo carmine Sociacus.
Quod pius es, nec te sincerior alter habetur,
  Virtute, aut niuea simplicitate prior.
Artibus his facilem famam Matthæe mereris,
  Atque tua æratas vincit auena tubas.
Auspicijs prodiisse tuis rogat ecce Valeri,
  Si facis, æterno tempore viuet opus.

BENE-

BENEVOLO LECTORI.

AVGVSTINVS TERZAGVS

S. T. D. Protonot. Apostol. Oblatus, & Canonicus S. Thomæ. S.

EXpetitas tamdiu, & tam enixè litteratorum votis exoptatas habes iam, Amice Lector, Io. Baptistæ Bizozeri lucubrationes. Prodeunt illæ tandem, & licet longo temporis decursu per omnium manus traductæ, & volutatæ, gratia typorum lucem accipiunt. Instabant plurimi aut doctissimi Sacerdotis opera litteris eruditi, aut publico commodo seruientes; multoque irascebantur stomacho, vt proderentur, quæ tot iam annis latuerunt, vt vindicarentur ab interitu, quem temporis vitio, & amicorum incuria senium, & blattæ fuerant allaturæ. Quod quia cum maxima rei litterariæ iactura euenisset, ideò lætandum quam maximè, quòd similes ægrotantibus lippitudine licet longo tempore aliena culpa ægræ, medicos tandem repererint; quorum opera recreatæ solem videre poterunt. Sed ne succense Lector optime ingenti

huic

huic pietatis, morumque alendorum desiderio; nosti opinor, docente & Platone, & natura, in esse cuilibet bono hanc instituti rationem omni ope Remp. tueri, eique parti suppetias ferre, quæ maxime necessaria communi bono censeatur. Extiterunt viri doctissimi, & Theologiæ moralis professores antiqui, & Neoterici, qui acutè practicos huius scientiæ nodos non minus verè, quam subtiliter enuclearunt, inter quos nouissimè Doctorum virorum iudicio mihi in primis charus Martinus Bonacina sæculi nostri decus, Ecclesiastici ordinis ornamentum insigne existimatur collimasse. Fuerunt Sapientissimi Patres, qui Scholasticas, Theologicasque in Academijs ad incudem disputationum reuocatas quæstiones tractarunt, & in publicum ediderunt. Vixerunt qui Sacris litteris imbuti diuina oracula declararunt. At quia eius generis scripta imbecillo multorum captui plusquam Labyrinthæis Mæandris implexa videbantur, erat optandus qui faciliori quodam stylo, & simplici scribendi forma ita se rudioribus etiam ingenijs accomodaret, vt vel mediocri studio quilibet boni sacerdotis, & Animarum Curatoris partes posset attingere. Quod certè opera Io. Baptistæ Bizozeri adeò factum est, vt non approbatus modo calculis magistrorum, sed primas etiam tulisse ob eam differendi facilitatem iudicatus sit, quasi nemo Summistarum planius huius scientiæ iter reliquerit, aut pleniore posteritatem obsequio demeruerit. Studuit ille acuratè necessitati eorum temporũ, quibus à S. Carolo huius per id tempus Eccl. Mediolanensis antistite Varisio Mediolanum accersitus practicæ Theologiæ explicandæ publicũ munus suscepit. Et quia luctandum illi erat cum misera illius æui conditione, quo Cimmerijs velut inuolucris rerum diuinarum scientia sepulta tenebatur, ideò scribendi facilitate adeò

profecit

profecit in eorum ingenijs, vt huius Ecclesiæ ministri etiam insignes venisse se ad Gymnasium clericalis disciplinæ, & in eo insigniter profecisse tali magistro glorientur. Scilicet Academicarum sectarum argutias deuitans, suaui quadam sermonis sobrietate torpentem ita scalpebat stomachum, vt senescentem excitans appetitum repleret vacantes venas salubri magis, quã gulam irritante cibo, firmaret neruos, corpusque languidum delicijs abundè constitueret. Vt in his virtutis spatijs maturo tempore summam lauream meritus, à sanctissimo illo Præsule vno atque item altero auctus fuerit sacerdotio, Theologici primum muneris in Collegiata S. Thomæ, mox animarum præfectura, quo cælestis potus propinandi cæteris norma esset, & expeditior ad confluentes vndique discendi studio instruendos. Non igitur temerè de tenebris duximus vindicanda, quæ aliquando tanto commodo nituerunt. Et quamquam labor fortè periret multis, qui integerrimo iudicio probatissimi subtilioribus quæstionibus vacant; at saltem proderit ijs, qui minus diuturna non adeo excellentis ingenij cultura boni duntaxat sui muneris haberi actores amant. Cæterum quis dicat ex copia detrimentum nasci? Sed quisquis sis, amice lector, parantur hæc tibi: futura scilicet aut cupido boni argumenti dragmata; aut studioso seuerioris otij quasi ludicra parerga. Vale.

INDEX

INDEX NOTABILIVM,

Quæ in hac ſumma continentur.

B

C

D

I

In-

L

M

Morti

Pater

R

FINIS.

IO. BAPTISTÆ BIZOZERI SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS.

Tractatus de Præceptis Decalogi.

Hic Tractatus diuidetur in vndecim partes, in quarum prima agam de præceptis Decalogi in communi; & in reliquis decem singulis agam de singulis præceptis Decalogi.

Erit autem admodum necessaria hæc doctrina de præceptis Decalogi, quia in ipsis continentur omnia, quæ quilibet Christianus facere tenetur, vel non facere; vt vitam æternam possideat; vt mox infra apparebit.

PARS PRIMA.

De Præceptis Decalogi in communi.

1 *Decalogo quæ præcepta continentur.*
2 *Symboli Apostolorum materia.*
3 *Decalogus omnia præcepta cõtinet vel per se, vel reductiuè.*
4 *Ad primum præceptum quæ reducantur.*
5 *Quæ ad secundum.*
6 *Quæ ad tertium.*
7 *Quæ ad cætera deinceps singula.*
8 *Decalogi præceptorum antiquitas.*
9 *Præcepta testamenti veteris.*
10 *Præcepta moralia, iudicialia, cæremonialia.*
11 *Tertium Decalogi præceptum an sit cæremoniale.*
12 *Possintnè nunc seruari præcepta testamenti veteris.*
13 *Præcepta iudicialia testamenti veteris an etiam nunc obseruanda.*
14 *Cæremonialia an reducantur ad Decalogum.*
15 *Præcepta primæ, & secundæ tabulæ.*

16 Præcepta affirmatiua, & negatiua.
17 An sit semper peccatum mortale transgressio Decalogi.
18 Vnus actus contra plura præcepta an sit vnum peccatum, an plura.
19 Peccatum an perficiatur solum ex actuali transgressione præcepti.
20 An etiam ex mentali.
21 Quid sit delectatio morosa, & quot ad eam perficiendam requirantur.

1 IN hac prima parte primo quæritur quid contineatur in præceptis Decalogi? Respondeo cum Nauaro in manuali cap. vndecimo numero primo, quod sicut in Symbolo Apostolorum continetur summa omnium, quæ quilibet Christianus credere debet; & in petitionibus orationis Dominicæ continetur summa omnium, quę quilibet Christianus a Deo petere debet; ita in præceptis Decalogi continentur omnia, quæ quilibet Christianus facere tenetur, vel non facere.

Quare sicut ex tribus virtutibus Theologicis, prima quæ est fides versatur circa articulos Symboli Apostolici; & secunda, quæ est spes versatur circa petitiones orationis Dominicæ; ita tertia, quæ est charitas, & omnium virtutum maxima, versatur circa præcepta Decalogi.

Sed dicet quis, multa tenetur facere quilibet Christianus, quæ non continentur in præceptis Decalogi, puta tenetur amare Deum, credere in Deum, in eo sperare; tenetur seruare vota, amare proximum, & alia quæ non continentur in præceptis Decalogi, ergo non omnia, quæ homo tenetur facere, continentur in præceptis Decalogi.

Ad hoc respondet Diu. Thomas prima secundæ q. 100. art. 3. & 11. quod ea, quæ continentur in præceptis Decalogi, vel sunt in ipsis formaliter expressè; vel virtualiter implicitè; Omnia, quæ quilibet Christianus tenetur facere continentur in præceptis Decalogi, sed quædam formaliter, & explicitè; reliqua vero omnia virtualiter, & implicitè.

2 Nam sicut licet omnia, quæ credere debemus contineantur in Symbolo Apostolico, non tamen omnia in eo continentur formaliter; & explicitè; sed multa in eo continentur tantum implicitè, vt tenemur mysterium credere Sanctissimæ Eucharestiæ; & tamen de ea non fit expressa mentio in Symbolo, tamen ad articulos Symboli reducitur; in Symbolo enim cum credamus dari remissionem peccatorum explicitè, implicitè etiam, & virtualiter ex hoc credendum est dari media, quibus remittuntur peccata; & hęc sunt Sacramenta à Christo Domino instituta, inter quæ SS. Eucharestia præcipuum locum obtinet.

Similiter licet in petitionibus orationis Dominicæ non contineantur omnia explicitè, quæ à Deo petere, & sperare debemus, in ipsis tamen omnia continentur, vel explicitè, vel implicitè.

Ita in præceptis Decalogi licet non omnia, quæ facere debemus contineantur explicitè; omnia tamen continentur in ipsis vel explicitè, vel implicitè; ea enim, de quibus non fit expressa mentio in præceptis Decalogi, quæ nos tenemur facere, vt inquit D. Thom. art. cit. & glosa ordin. super cap. 32. Exodi. vbi connumerantur præcepta Decalogi; reducuntur Decalogi præcepta, vel vt prima principia, ex quibus ipsamet præcepta Decalogi deducuntur; vel vt conclusiones, quæ ex præceptis Decalogi deducuntur; vnde hæc duo pręcepta maxima, Diliges Dominum Deum tuum; & diliges proximum tuum sicut te ipsum, reducuntur ad præcepta Decalogi tamquam principia, ex quibus omnia pręcepta originem traxerunt; vnde in illis duobus præceptis, vt ait Dñus Mat. 22. vniuersa lex pendet, & prophetæ: reliqua vero præcepta, vt de seruando voto, de restituenda re aliena; & similia de quibus non fit expressa mentio in Decalogo, reducuntur ad præcepta Decalogi tamquam conclusiones, quæ ex illis deducuntur. 3

Atque hinc est quod D. Thom. art. cit. Caet. in summa verbo interrogatio. Nau. in man. cap. 11. reducunt ad primum præceptum Decalogi præceptum, de amando Deum, de credendo in Deo, de sperando in eo, in quo tamen formaliter tantum continetur pręceptum de colendo Deum, seu de actu Religionis tantum.

Item Doctores dicti ad idem præceptũ reducunt præcepta de vitanda superstitione, idest de vitãdo superfluo cultu Dei, 4

vel

al pernicioso; De vitanda idolatria, quæ per inuocationem dæmonis; Et de vitanda vana obseruatione, de quibus omnibus & nos dicemus secunda parte huius Tractatus.

Ad secundum præceptum item (quod est, nec dicas vana per ipsum) à dictis Doctoribus reducuntur præcepta de vitanda blasphemia; De vitando periurio; Et de vitanda perfidia votorum; De quibus & nos dicemus tertia parte huius Tractatus.

Ad tertium præceptum (quod est Sabbatha Sanctifices) reducitur præceptum de ieiunio; De cessatione ab operibus seruilibus in diebus festis; De audienda Missa; et præceptum de sumenda Sanctissima communione; Et de suscipiendis, & rectè ministrandis alijs Sacramentis.

Ad quartum (quod est habeas in honore parentes) reducuntur præcepta prohibentia impietatem, Immanitatem, Et ingratitudinem; atque alia omnia peccata filiorum contra parentes; & viceuersa parentum contra filios; vxoris contra maritum, Et mariti contra vxorem; Subditorũ contra Prælatos, Et Prælatorum contra subditos; Seruorum contra Dominos; Et Dominorum contra Seruos; & demum proximi contra proximum; Quare quodammodo istud quartum præceptum est basis, & origo aliorum præceptorum Decalogi, quæ sequuntur, vt patet considerenti, & de omnibus præceptis dictis, quæ reducuntur propriè ad dictum quartum præceptum agam in quinta parte istius Tractatus.

Ad quintum præceptum (quod est, Nõ occides) reducuntur à Doctoribus omnia præcepta prohibentia iniurias, quæ possunt fieri cõtra vitam proximi, vt Mortis, Mutilationis, Vulnerationum, Verberationum, Carceris, cruciatus, seruitutis, & alijs; Item præcepta prohibentia odium, rancorem, & similia; de quibus ego agam sexta parte huius Tractatus.

Ad sextum præceptum (quod est, Non furaberis) reducuntur præcepta prohibentia non tantum furtum, sed etiam rapinã; atque fraudem; vsuram, & omnem alium contractum illicitum; Item præcepta præcipientia restitutionem; de quibus ego agam in septima parte huius Tractatus.

Ad septimum præceptum (quod est, Nõ mœchaberis) reducuntur omnia præcepta prohibentia luxuriam in actu exercito, puta fornicationem, adulterium, stuprũ, raptum, incestum, sacrilegium, & peccatum innaturale, & de ijs agam in octaua parte huius Tractatus.

Ad octauum præceptum (quod est, Non dices falsum testimoniũ) reducuntur præcepta prohibentia iniurias, quæ fiunt in iudicio, & in verbis; In iuditio quidem ex parte Iudicis, ex parte actoris, ex parte rei, & ex parte aduocati; ex parte testium, & ex parte procuratoris; In verbis autem puta mendacium, maledictionem, irrisionem, detractionem, murmurationem, contemptionem, contumeliam, rixam, & similia; de quibus omnibus ego dicam in nona parte huius Tractatus.

Ad nonum præceptum (quod est, Non cõcupisces vxorem proximi tui) reducuntur præcepta prohibentia luxuriam mentalem, vt si quis vidit mulierem ad concupiscendum eam, ad eam miserit nuncios, & si dixerit verba turpia; de quibus omnibus ego dicam in decima parte huius Tractatus.

Ad vltimum præceptum (quod est, Nõ concupisces rẽ proximi tui) reducitur oẽ præceptum prohibens auaritiam mentalem; & contra hoc maximè peccant illi; qui volunt diuites fieri per phas, & nephas; & de hoc præcepto dicam in vltima parte huius Tractatus.

Ex his ergo patet quàm verum sit, quòd omnia, quæ quilibet Christianus tenetur facere reducantur ad præcepta Decalogi.

Quod si dicas Nau. cap. 11. n. 1. dicit, quod non omnia, quæ facere tenetur Christianus, sunt in Decalogo; sicuti non omnia, quæ credere tenet, sunt in Symbolo Apostolorum.

Respondeo quod Nauar. ibi intelligendus est expresse, & formaliter, idest quòd voluerit dicere non omnia, quæ quilibet Christianus facere tenetur, esse in Decalogo explicite, licet sint descripta implicite.

Quæritur secũdo vtrum præcepta Decalogi sint antiqua, & quandiu durabunt? 8

Respondeo cum communi Doctorum opinione, quod præcepta Decalogi sunt

ita antiqua, ſicut & homo; dicuntur enim præcepta naturalia, q̃ ex natura humana originem trahũt; ideſt ex lumine naturali hominis; nam lumen noſtrum naturale oſtendit nobis Deum eſſe colendum, patrem eſſe honorandum, & proximum non eſſe occidendum &c. Quare licet Exodi 32. præcepta Decalogi fuerint digito Dei deſcripta in tabulis lapideis, eaquè data Moyſi, qui illa populo Iſraelitico tribueret; tamen ſi ante illud tempus Moyſes, vel qui fuerant ante illum non coluiſſent Deum, non honorauiſſent parentes &c. nõ minus peccaſſent, aut ſi occidiſſent proximum non minus inquam peccaſſent mortaliter, quam ſi talia poſt tale tempus feciſſent; quia licet dicta præcepta non fuiſſent ſcripta in tabulis lapideis antedictum tempus; erant tamen inſita in lumiue naturali hominis.

Deinde dico quantum ad durationem, q̃ durabunt hęc pręcepta quouſque durabit homo.

Dices lex vetus, ſiue teſtamentum vetus ceſſauit quando Chriſtus in Cruce dixit Conſumatum eſt, ergo & præcepta Decalogi ceſſauerunt, quæ ſunt pars Teſtaméti veteris.

9 Reſpondeo quod in Teſtamento Veteri erant tria genera præceptorum, videlicet moralia, ſeu naturalia; quę continentur in Decalogo; & hæc non tam ſunt propria Teſt. vet. q̃ legis naturæ, & legis gratiæ, & Noui Teſtamenti, Cęremonialia ideſt quę pertinebant ad Cæremonias ſignificantes Chriſtum venturum; vt erat præceptum de comedendo agno Paſchali cum lactucis agreſtibus; & baculo in manu; præceptum de Circunciſione &c. quæ ſignificabant legem nouã; Et Iudicialia, quæ pertinebant ad iudicium, vt quod daretur oculus pro oculo, dens pro dente &c. Et hæc duo genera præceptorum ideſt Cæremonialia, & Iudicialia ceſſauerunt poſt Paſſionem Chriſti, quia erant propria Teſtamenti Veteris; Moralia verò, cum conueniant omnibus temporibus, numquam ceſſabunt.

10 Atque hinc eſt quod D. Thom. & Caietan. in prima ſecundæ q. 100. artic. 1. dixerint quod moralia pręcepta in hoc differunt à Cęremonialibus, & Iudicialibus, quia hæc ideſt Cæremonialia, & Iudicialia antequam ponantur nihil refert an ſeruentur; moralia vero etiamſi non ſint ſcripta ſeruari debent.

Dices ſecundo, tertium pręceptum ideſt Sabbatha Sanctifices in Teſtamento veteri erat Cæremoniale vt dicit D. Thomas pr. ſecundæ q. 100 art. 11. & tamen adhuc durauit, & durabit, nam eſt in Decalogo; ergo non videtur verũ quod præcepta Cæremonialia Teſt. Vet. ceſſauerint quando Chriſtus in Cruce dixit Conſumatum eſt. 11

Ad hoc reſpondet, Idem D. Thom. qu. cit. art. 3 in reſponſione ad ſecundum argumentum, quod pręceptum tertium Decalogi non tantum eſt Cæremoniale, ſed etiam morale, nam in quantum in eo pręcipitur ſaltem implicitè, quod homines debent habere aliquod tempus, in quo ceſſent ab operibus ſeruilibus, vt vacent diuinis (iuxta illud Pſ 48 Vacate, & videte quoniam ego ſum Deus) præceptum eſt morale, ſed in quantum determinatur talis dies pro tali tempore, & non alia, pręceptum eſt cæremoniale; pręceptum ergo tertium Decalogi quatenus morale durauit, ſed quatenus cæremoniale non durauit, quia mutatum eſt tempus Sabbathi, in quo antea in lege Moſayca erat ceſſandum ab operibus ſeruilibus; in diem Dominicum, & in alios dies feſtos Sanctorum.

Dices tertio vtrum ſi quis nunc ſeruaret præcepta cæremonialia Teſtam. Vet. peccaret mortaliter. 12

Reſpondeo affirmatiuè ſecundum communem DD. opinionem; & ratio huius eſt quia præcepta cæremonialia Teſt. Vet. ſeu cęremoniæ ipſæ Teſt. Vet. erant à Deo inſtitutæ vt ſignificarent Meſſiam venturum; & ea, quæ futura erant in lege noua; ſi ergo quis nunc vteretur illis cæremonijs ſignificaret mendacium; ideſt Chriſtũ venturum, qui venit, Vt immolabatur agnus Paſchalis, vt ſignificaretur immolatio Chriſti futura in Cruce: Circuncidebantur pueri, vt ſignificaretur virtus Baptiſmi futuri, q̃ tollit peccatum originale; ſi ergo quis nunc agnũ immolaret, vel circuncideretur vt ſeruaret legem antiquam oſtenderet Chriſtum venturum, & Baptiſmum

inum debere institui; quod est falsissimum; & de hoc dicam infra in parte sequenti circa primam speciem superstitionis.

Quod si dicas, esset ne peccatum similiter seruare præcepta Iudicialia Testam. veter. nunc, sicut seruare præcepta Cæremonialia?

Respondeo quod si seruarentur prout stituta in Test. Vet. esset peccatum mortale, quia esset Iudaizare, idest seruare Testam. Vetus, cum cessarit; secus, si seruarentur aliqua illorum vt de nouo instituta à rincipe aliquo tamquam iusta.

Dices quarto, & vltimo, præcepta cæremonialia, & iudicialia Testam. Vet. erant vere præcepta, ergo debebant reduci ad præcepta Decalogi, quia vt diximus in antecedenti Quæsito, ad præcepta Decalogi implicite reducuntur omnia alia præcepta.

Ad hoc respondeo primo, quod præcepta, quæ reducuntur propriè ad ea præcepta, quæ sunt in Decalogo sunt moralia, & naturalia.

Deinde dico, quod præcepta cæremonialia, & iudicialia Test. Vet. tunc reducebantur ad præcepta Decalogi; & quidem ad tertium præceptũ, quando erant, & antequam cessarent, sicut & præcepta cæremonialia nostræ legis, nunc reducuntur ad istum tertium præceptum vt dicit Diu. Thom. prima secundæ quæst. 100. articulo undecimo.

Quæritur tertio quæ sint præcepta, quæ dicuntur primæ tabulæ in Decalogo? & quæ sint ea, quæ dicuntur secundæ tabulæ?

Respondeo ex glos. ordinaria super 32. caput Exodi, vbi connumerantur præcepta Decalogi, secundum Hebræos præcepta primæ tabulæ erant quatuor prima; sed Hebræi diuidebant primum præceptum in duo, idest in illud, Non habebis Deos alienos coram me; & in illud, Non facies tibi sculptile; Reliqua sex erant secundæ tabulæ secundum ipsos Hebræos; sed ipsi ex duobus vltimis præceptis vnum constituebant, idest, Non concupisces vxorem proximi tui; vel rem proximi tui; sed secundum Augustinum, & alios. DD. (maximè Latinos) præcepta primæ tabulæ, idest quæ descripta erant in vna tabula lapidea à Deo, erant tria prima, quæ tria tantum pertinent ad Deum: præcepta vero secundæ tabulæ, idest quæ descripta fuerant à Deo in alia tabula lapidea, erant reliqua septem, quæ ad proximum immediatè pertinent; descripserat enim Deus in vna tabula lapidea præcepta, quæ ad ipsum met ordinantur, quæ sunt tria: Et in alia præcepta pertinentia ad proximum, quæ sunt reliqua septem; quas tabulas dederat Moysi vt eas deferret ad populum Israeliticum.

Quæritur quarto quæ differentia sit inter præcepta negatiua, & affirmatiua tam primæ, quam secundæ tabulæ. 16

Ad hoc respondet Tabiensis in summa verbo præceptum in principio, & omnes alij DD. quòd præceptum, cum sit iussio faciendi aliquid, vel non faciendi, tunc erit affirmatiuum cum erit iussio faciendi; tunc vero negatiuum cum erit iussio non faciendi.

Et in hoc differt præceptum affirmatiuum à negatiuo, quod affirmatiuum obligat pro semper, sed non ad semper, idest semper componuntur debitus locus, debitum tempus, & aliæ debitæ circunstãtiæ; sed non ad semper idest ad omne tempus, quia non in omni tempore est debitum tempus, locus, & debitæ circunstantiæ ad præceptum affirmatiuum obseruandum, vt præceptum Sabbatha Sanctifices est affirmat. & obligat pro semper, quia semper sunt sanctificandi dies festi, sed non ad semper, idest ad omne tempus, quia non in omni tempore est dies festus. Similiter præceptum de honorandis parentibus est affirmat. sed non obligat ad semper quia impossibile est in omni tempore honorare parentes, vt quando est dormiendum, & similia: præceptum vero negatiuum, & pro semper obligat, & ad semper idest ad omne tempus, vt, Non mœchaberis est præceptum negatiuum; & ideo obligat ad semper quia in omni tempore est non mœchandum.

Quæritur quinto. An omnis actus, qui est contra aliquod præceptum Decalogi; seu vtrum omnis transgressio alicuius præcepti Decalogi sit peccatum mortale? 17

Ad hoc respondeo cum Nauar. in man.

cap.

cap. vndecimo nu. 4. affirmatiuè; nisi excuſetur propter vnam ex his tribus cauſſis, ideſt, vel propter defectum deliberationis; vel propter defectum iudicij; vel propter paruitatem rei.

Propter defectum deliberationis, vt ſi quis ſtatim viſo inimico in primo motu cogitaret eum occidere, ſed aduerteus id eſſe peccatum deliberat non occidere ne peccet; talis cogitatio, quæ fuit in primo motu eſt quidem contra præceptum, ſed non eſt peccatum mortale propter defectum deliberationis.

Propter defectum iudicij, vt contingit in amentibus, & dormientibus, & ebrijs; vel ſemiamentibus, ſemidormiētibus, qui ſi occidunt aliquem faciunt contra præceptum Decalogi, ſed nō peccant mortaliter propter defectum iudicij.

Propter paruitatem rei, vt contingit in eo, qui paruam rem furatur, puta aſſem; talis enim facit contra præceptum Decalogi, ſed non peccat mortaliter propter paruitatem rei.

18 Quæritur ſexto vtrū actus, qui eſt contra plura præcepta ſit vnum tantum peccatum mortale, an vero plura?

Ad hoc reſpondet Nau. loco cit. quod ſi actus ſit contra plura præcepta, quę ſint ita inter ſe ordinata vt vnum contineatur ſub alio, ille actus erit tantum vnum peccatum, & quando confitebitur quis talem actum non tenebitur dicere ſe peccaſſe contra plura præcepta, vt ſi quis cōmittit homicidium facit contra præceptum, Nō occides; & contra pręceptum Diliges proximum tuum; & contra præceptum de obediendo Deo; tamen committit vnum tantum peccatum, quia præceptum, Non occides continetur ſub pręcepto, Diliges proximum tuum, & hoc præceptum continetur ſub præcepto de obediendo Deo, & propterea talis non tenebitur dicere ſe feciſſe contra tria pręcepta, ſed ſufficiet illi dicere quod commiſit homicidiū; nam ſubintelligitur deinde, & neceſſario quod non ſeruauit præceptum de dilectione proximi, & quod Deo non obediuit.

Sed quid ſi aliquis facit actum, qui ſit contra plura præcepta particularia, quorum vnum non contineatur ſub alio?

Nauarus loco cit. videtur dicere talem actum non eſſe vnum peccatum tantum; ſed tot peccata, quot ſunt præcepta particularia, contra quæ eſt ille actus.

Ego vero dico quod ille actus, qui eſt contra plura præcepta particularia, eſt vnum tantum peccatum, ſed cum tot obliquitatibus, quot ſunt præcepta particularia, contra quæ eſt ille actus; Vt ſi quis occidit hominem vt furaretur, tale homicidium eſt tantum vnum peccatum, ſed cū duplici obliquitate, quia eſt contra duo præcepta particularia, quorum vnum nō continetur ſub alio, ideſt contra præceptum, Non occides, & contra præceptum, Non furaberis.

Et quod ſit vnum tantùm peccatum probatur, quia peccatum, ex D. Auguſtino eſt dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei, ergo ſi eſt vnum tantum dictum, vel factum, vel cōcupitum, vnum tantum erit peccatum, ſed cum tot obliquitatibus, quot ſunt præcepta particularia, contra quę eſt; Quę obliquitates dicuntur circonſtantiæ mutantes ſpeciem, & propterea neceſſario confitendæ, vt diximus in Tractatu de Sacramento Pœnitentiæ de Confeſſione.

Atque ex his infertur quod ſi quis non ieiunaret in vigilia Sancti Matthæi quando eius feſtum celebratur die Sabbathi, vel die Dominico, non tantum tenetur dicere ſe non ieiunaſſe in vigilia Sancti Matthæi; ſed etiam tenetur dicere quod illa vigilia erat vna dies quatuor temporum, quia talis tenebatur ieiunare propter duo pręcepta particularia, quorum vnum eſt de ieiunando in vigilijs Apoſtolorum (excepta vigilia Sancti Philippi, quæ eſt inter Paſcha Reſurrectionis, & Pentecoſten; & Sancti Iohannis Euangeliſtæ, quę eſt inter feſta Natiuitatis Domini) & pręceptum de ieiunandis quatuor temporibus anni.

Item infertur quod ſi aliquis non audiret Miſſam in die Sancti Petri, qui incideret in diem Dominicum, teneretur dicere ſe non audiſſe Miſſam, ſed ad quam audiendum tenebatur duobus particularibus pręceptis, quia erat dies Sancti Petri, & erat dies Dominicus.

Quæritur vltimo vtrum tantum actualis tranſgreſſio alicuius præcepti Decalogi ſit 19

ſit peccatum mortale?

Ad hoc iuxta doctrinam Nau. in manuali cap 11.n 9. & cum cæteris omnibus octoribus.

Dico primo quod tranſgreſſio actualis icuius præcepti Decalogi eſt peccatum ortale, & hoc probatum fuit in duobus tecedentibus quæſitis.

Dico ſecundo quòd non tantum actua transgreſſio alicuius præcepti Decaloeſt peccatum mortale, ſed etiam propoum tranſgrediendi aliquod ex præceis Decalogi ſine ipſa actuali tranſgreſſne; Vt ſi quis parauit arma vt occidat iquem eſt peccatum mortale etiamſi nõ cidat pœnitentia ductus, vel aliqua alia uſa.

Dico tertio ꝙ nõ ſolũ peccat mort illeꝗ tu tranſgreditur aliꝗ præceptũ Decalo-, ſeu propoſito; ſed etiam ille pecc. mor. ſine actuali tranſgreſſione, ſeu propoſito inſgrediendi habet voluntatẽ tranſgreēdi aliꝗ præceptum Decalogi; vt ſi aliis in carcere conſtitutus habet voluntem occidendi eum, qui fuit in cauſſa, vt carcerem detruderetur, ſed non proit eum occidere, quia non poteſt cum in vinculis conſtitutus, & poſtea conmnatus ad mortem peccat mortaliter, ia licet per actum exteriorem non tranrediatur præceptum Decalogi, neque oponat illud tranſgredi actu exteriori, ia eſt illi impoſſibile; tamen habet vo ntatem illud tranſgrediendi, quod efficret, ſi poſſet.

Dico quarto quod non tantum ille, qui inſgreditur actu exteriori aliquod præptum Decalogi, vel ꝓpoſito, vel voluẽ peccat mortaliter, ſed & tã ille, ꝗ voitariè delectatur de tranſgreſſione ipſa cuius præcepti Decalogi etiam ſine ipſa tranſgreſſione actuali, ſine propoſito ud tranſgrediendi actu exteriori, & ſine luntate; ſed etiam qui delectatur de nſgreſſione, quæ delectatio dicitur à octoribus delectatio moroſa; & poteſt : voluntaria, vel formaliter ſeu explivel virtualiter tacite; ſeu implicite, ꝙ intelligatur.

Notandum eſt primo delectationem roſam, vt ait Caet. in ſumma verbo ectatio moroſa, eſſe delectationem de actu malo cogitato ſine voluntate, & propoſito faciendi illum actum malum cogitatum.

Not. ſecundo quod ad hoc vt delectatio ſit moroſa tria requiruntur, quorum

Primum eſt quod actus ille cogitatus, de quo eſt delectatio moroſa ſit peccatum mortale de ſua natura; nam ſi actus cogitatus, de quo eſt delectatio, eſt virtuoſus, & ipſa delectatio erit virtuoſa; ſi eſt peccatum veniale, & ipſa delectatio erit peccatum veniale tantum; & mortale tantum erit quando actus ipſe cogitatus de ſuà natura eſt peccatum mortale, vnde ſi aliquis delectaretur de deuota celebratione alicuius Miſſæ cogitata, bona eſſet delectatio; ſi aliquis delectaretur de mendacio otioſo cogitare delectatio erit tantum venialis, ſed ſi delectaretur de homicidio, vel fornicatione cogitata delectatio eſſet peccatum mortale.

Secundum, quod requiritur ad hoc vt delectatio ſit moroſa, & mortalis eſt quod homo, qui eam habet aduertat ſe habere, nam vt dicit Caiet. loco cit. & alij Doctores ſi aliquis per diem integrum delectaretur de aliquo actu malo cogitato, modo non aduerteret ſe habere talem delectationem, non peccat mortaliter, quia talis delectatio non diceretur voluntaria.

Tertium, quod requiritur ad hoc, vt delectatio ſit moroſa, & peccatum mortale eſt poſtquam homo aduertit ſe habere delectationem moroſam de actu malo cogitato illi delectationi conſentiat, nam tunc per talem conſenſum delectatio efficitur voluntaria; ſeu vt poſtquam homo aduertit ſe eam habere, eam à ſe non repellat cum poſſit, & debeat.

Et dixi, cum poſſit, quia ſi non poſſet ei reſiſtere ita vt eam repellat à ſe non diceretur voluntaria quotieſcunque animus eius eſſet repellendi eam ſi poſſet.

Dixi cum debeat quia ſecundum Nau. & Caetanum, licet ſi homo aduertit ſe habere talem delectationem, & habere tantam animi fortitudinem, quod ei non conſentiet, ſed eam nõ repellit actu, quia non poteſt eam repellere, niſi ceſſet ab occupatione aliqua licita puta conſiderandi concionem, quam debet habere, vel audiendi Confeſſionem non peccat mortaliter.

taliter.

Sciendum autem est quod quando aliquis aduertit se habere delectationem de actu cogitato, & eam non reicit à se cùm possit, & debeat; etiamsi illi non consentiat expresse, dicitur illi consentire tacite, & interpretatiue; & propterea talis delectatio dicetur voluntaria interpretatiue, vel tacite.

Atque ex dictis patet verum esse quod dicit Nau.cap.citato nu.11.quod consentire prædictæ delectationi semper est peccatum mortale illi resistere est actus virtutis; illi neque consentire explicite, neque resistere aliquando est peccatum mortale, & aliquando veniale tantum.

Vltimo not.est quod prædicta delectatio dicitur morosa à mora, quam in ea facit intellectus; & voluntas postquam homo aduertit se eam habere; vel illi consentiendo, quod potest fieri in instanti, vt dicunt Doctores, vel eam non reiciendo. Sed plura de delectatione morosa vide apud Doctores, pręcipue Caet. in sum. verbo delectatio morosa. Et hęc sufficiant de prima parte huius nostri Tractatus.

SECVNDA PARS.

DE PRIMO PRÆCEPTO DECALOGI.

Non habebis Deos alienos coram me.

1 Propositio, & diuisio dicendorum.

1 HAec pars diuidetur in quatuor capita, in quorum primo agam de fide, & eius præcepo; In secundo agam de spe, & eius præcepto; In tertio agam de charitate, & de eius principali præcepto; quæ tria præcepta scilicet fidei, spei, & charitatis non sunt directè in primo Decalogi præcepto, & tamen de ipsis agetur, quoniam ad illud reducuntur, vt diximus in præcedenti parte quæsito primo, & vt dicit Nau.in man cap.vndecimo n.5.cum Doctoribus ab ipso citatis in eodem loco; In quarto agam de religione, & eius præcepto, quod præceptum proprie est primum Decalogi, in quo directè, & explicitè tantum præcipitur actus religionis, qui est cultus vero Deo debitus.

CAPVT PRIMVM.

De fide, & eius præcepto.

HOC Caput subdiuiditur in duo membra, in quorum primo dicam de fide, & eius præcepto secundum se; In altero vero dicam de vitijs oppositis fidei, & per quæ fit transgressio præcepti fidei.

MEMBRVM PRIMVM.

De fide, & eius præcepto secundum se.

1 *Quid sit fides.*
2 *Cur sit substantia sperandum rerum.*
3 *Quare dicatur argumentum non apparentium.*
4 *Fidei necessitas ad salutem.*

5 Quæ

5 *Quæ cadant sub fide necessaria Christiano.*

6 *Christianus quæ scire teneatur explicitè.*

7 *An Christianus scire teneatur Symbolum Apostolorum.*

8 *Institutio Ecclesiæ Mediolanensis circa recitationem Symboli.*

9 *Christianis num æqualiter necessaria sit fides explicita aliquorum.*

10 *An Christianus teneatur ore confiteri fidem Catholicam.*

11 *Quo in casu præceptum confitendi fidem Catholicam explicitè obliget.*

IN hoc membro primo quæritur, quid sit fides?

Ad hoc respondeo cum D. Paulo in Epist. ad Hebræos capite vndecimo, quod fides est substantia sperandarum rerum, argumentum nō apparentium; quam definitionem Diu. Th. 2.2. q. 2. art. 1 in hunc ferè modum explicat, fides dicitur substātia, non quia sit in primo prædicamento, a quo collocantur substantię, quæ substāt accidentibus, nam fides non est substantia proprie, sed qualitas quædam, quæ reducitur ad secundam speciem qualitatis; est enim habitus infusus: sed dicitur substantia sperandarum rerum, quia sicuti substantia propriè dicta caussat accidentia, & ea sustentat, ita fides spem sustentat, & est caussa, & fundamentum, atque ratio cur vita æterna, & ea, quæ ad ipsam dirigunur sperentur à nobis. Nisi enim per fidem crederemus dari vitam æternam, nō possemus per spem eam sperare, sed eam per spem speramus, quia per fidem credimus eam dari.

Secundo fides, inquit D. Th. dicitur argumentum non apparentium; vbi per argumentum intelligimus effectum argumenti, idest conuictionem intellectus nostri ad assentiendum alicui rei; fides enim cogit intellectum nostrum ad assentiendum non apparentibus, idest rebus, quæ non substant sensibus nostris.

Atque per hoc, inquit D. Th. quod fides dicitur argumentum nō apparentium distinguitur ab opinione, suspicione, & dubitatione, quia hæc non cogunt intellectū nostrum ad assentiendum sicuti fides; & à scientia, atque intellectu, idest cognitione primorum principiorum, quia hæc licet cogant intellectum nostrum ad assentiendum, non tamen cogunt illum ad assentiendum non apparentibus sicuti fides, sed tantum apparentibus; atque hæc de hac deffinitione fidei sufficiant, quæ optima est, licet clarius posset deffiniri hoc modo.

Fides est lumen a Deo infusum, quo credimus ea esse vera, quæ Ecclesia reuelante Spiritu Sancto nobis credenda proponit.

Secundo quæritur vtrum fides sit necessaria ad salutem? 4

Ad hoc respondeo affirmatiue, & probatur auctoritate Diu. Pauli quo loco cit. dicit, Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quod inquirentibus se remunerator est; & clarius in eodem capite sine fide impossibile est placere Deo: & D. Athanasius in principio Symboli sui, ait: Quicūq; vult saluus esse ante omnia opus est, vt teneat Catholicam fidē, Quam nisi quisque integram, inuiolatamque seruarit absque dubio in æternum peribit.

Tertio quæritur quænam sint ea, quæ Christianus tenetur credere? quod est dicere, quæ nam sunt ea, quæ sunt de fide, ita vt teneamus sub pęna peccati mortalis ea credere? 5

Respondeo quod primo sunt omnia illa, quæ continentur in Sacra Scriptura, tam Noui, quam Veteris Testamenti.

Secundo omnia illa, quæ habentur per traditionem Apostolicam.

Tertio omnia illa, quæ continentur in Decretis Summorum Pontificum determinata de fide.

Quarto omnia illa, quæ continentur in vniuersalibus Concilijs tamquam determinata de fide.

Quinto, & vltimo omnia illa, quę DD. Catholici Scholastici dicunt esse de fide, simul & vnanimiter.

Quarto quęritur vtrum quilibet Christianus teneatur sub pœna peccati mortalis credere explicite omnia, quæ continentur in Sacra Scriptura, in traditionibus Apostolicis, in Concilijs Vniuersalibus, in Decretis Summorū Pontificum, & quæ determinant Doctores Catholici simul, & vnanimiter esse credenda? 6

B Ad

Ad hoc resp. D. Th.2.2.q.2.art.5. Nau. in man.cap.11.n.18 Tab. in summa verbo credere. § 4. quod quilibet Christianus, imo nec vnus tenetur omnia prædicta credere explicite, itaut sciat ea enumerare, & probatur hac ratione, quia impossibile esset, vel fere impossibile, quod homo vnus posset scire quęnam sint omnia, & singula, quæ continentur in Sacra Scriptura traditionibus Apostolicis, &c. sed sufficit, inquiunt prædicti Doctores, & alij omnes, ad salutem cōsequendam, ꝙ Christianus credat omnia prædicta inconfuso, & implicite, idest quod omnia prædicta sunt vera; imo inquit Nau. & optime loco cit. sufficit Christiano, quod credat omnia vera, quæ Ecclesia determinat esse credenda etiamsi nesciat Christianus, quid sit Sacra Scriptura, quid sint traditiones Apostolicæ, quid sit Concil. Vniuersale &c.

Quinto quęritur vtrum quilibet Christianus teneatur sub pœna peccati mortalis credere aliqua, quæ ad fidem pertinent explicitè, & distinctè?

Ad hoc respondent prædicti Doctores, D.Th.Nau. & Tab. ac alij omnes, quod licet Christianus non teneatur explicite, & distinctè credere omnia, quæ sunt de fide, sed sufficiat ea credere in confuso, tenetur tamen quilibet Christianus explicitè, & distinctè credere quædam fidei principia, ad quæ reliqua omnia, quæ sunt de fide reducuntur, vt Deum fuisse creatorem cęli, & terræ; fuisse incarnatum, & natum de Maria Virgine; passum, mortuum, atque sepultum, & tertia die resurrexisse, & ad cœlos ascendisse; Item dari Sanctissimam Trinitatem, remissionem peccatorū, mortuorum resurrectionem, Paradisum pro bonis, & Infernum pro malis; & hæc prima principia sunt articuli fidei Symboli, quos si aliquis nesciret, vel non crederet explicite, & distinctè, cum iam sit ita adultus, & habuerit media sufficientia, quibus potuerit instrui iu illis, est in statu damnationis, & merito, inquit D.Th. de eo potest

7 dici, quod ignorans ignorabitur. Sed dices teneatur ne quilibet Christianus sub pęna peccati mortalis discere, & memoriæ mādare Symbolum Apostolorum vulgari, vel latina lingua? videtur enim quod sic primo, quia dictum est nūc quod quilibet Christianus tenetur explicite credere articulos fidei, sub pœna peccati mortalis, ergo quilibet Christianus tenetur memoriæ mandare Symbol. Apost. in quo continentur articuli fidei; secundo in nostra Mediolanensi Ecclesia præcipitur confessarijs, ne audiant confessiones eorum, qui primo non recitauerint orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum, & Decalogum.

Ad hoc respondeo cum Nau. num. cit. & Palud. in quarto, quod non discere, & memoriæ non mandare Symbolum Apostolorum cum qui potest, si non est peccatum mortale saltem est graue veniale; & ratio huius est, quia ignorantia Symboli Apost. est admodum culpabilis.

Ad primam rationem respōdetur, quod potest aliquis explicite credere omnia, quæ continentur in art. fidei; & tamen nescire recitare vulgari lingua, aut latina Symbolum Apostolorum; vt potest aliquis scire solutiones multarum dubitationum, quæ possunt oriri circa impedimenta Matrimonij, tamen nesciet eas ordine recitare, aut enumerare; sed prout interrogabitur, & proponentur dubitationes respondebit.

Ad secundam rationem respōdeo, quod Ecclesia Mediolanensis, seu eius Superior optime præcipit Confessarijs, vt non audiant confessiones eorum, qui primū non recitauerint Symbolum Apostolorū, Orationem Dominicam, salutationem Angelicam, & decem pręcepta Decalogi, primo quia intendit per hoc, vt omnes conentur discere, & memoriæ mandare Symbolum Apostolorum, &c. quod si non est necessarium ad salutem, saltem est maxime vtile; secundo quia talia nescire si non est peccatum mortale saltem est veniale graue; tertio quia æquum est vt ante confessionem Sacramentalem peccatorum pœnitens faciat aliquam orationem ad Deum ex his, quæ à Deo, vel ab Ecclesia sunt institutę, quarum pręcipuè sunt Oratio Dominica, Salutatio Angelica, Symbolum Apostolorum, & Decalogus, quæ per modum Orationis aliquando & in horis canonicis dicuntur.

Sexto quæritur vtrum omnes Xpiani æqualiter teneantur habere explicitam fidem 9

dem

m de rebus, quæ ad eam pertinent?

Respondet D. Th. quæst. cit. artic. 6. Tarensis, & Nau locis supra citatis, & alij nnes, quod non omnes Christiani sub ena peccati mortalis tenentur habere lem de articulis explicite eodem modo; d maiores, quorum officium est instrue- minores, in his, quæ ad fidem pertinēt, nentur magis explicite credere, & scire ticulos fidei; & etiam alia, quæ explicite on continentur in eisdem fidei articulis; im tenentur maiores magis explicite ire Trinitatem, idest quomodo personæ stinguantur inter se; & scire Christum ipsum esse, quomodo, quo tempore, propterquam, & alia; & ratio huius est, vt reert D. Thomas loco citato, quia inferios debent inhærere fidei, cui inhærent superiores itaut à superioribus discant, quę redenda sunt, iuxta illud Iob primo: Boes arabunt, & Asinæ pascebantur, quod a interpretatur D. Gregorius l. 2. moral. ap. 35. Boues, idest superiores arabant, lest prædicabant; & Asinæ pascebant, lest inferiores pascebantur scilicet instructione maiorum, scilicet Pastorum ecclesiasticorum sic ergo interpretatur, & xponit verba illa: Beatus Gregorius; & rte illi, qui alios instruere debent in alia re debent esse magis instructi in illa, uam sint illi, qui instruendi sunt; Vnde . Dionysius Areopagita cap. 4. & 7. de ecclesiast. Hierarchia, dicit quod Angeli uperiores illumināt Angelos inferiores, ; Angeli inferiores illuminant homines irca ea, quæ ad reuelationem pertinent, : propterea Angeli superiores debent esse magis illuminati, quam inferiores, & Angeli inferiores, quam homines; ita homines superiores, ad quos pertinet instrue inferiores in illis, quæ ad fidem pertinent, debent habere maiorem illuminationem circa ea, quæ sunt fidei; Atq; hinc st quod Episcopi tenentur de fide plura xplicite scire, quā Curati, & alij Sacerates; & Sacerdotes tenentur plura scire, uam reliquus populus.

Septimo quæritur vtrum Christianus neatur ore fidem Catholicam confiri.

Ad hoc respondet Diu. Th. 2. 2. q. 3. art. affirmatiuè, & probatur ex D. Paulo in Epistola ad Roman. cap. 10. vbi dicitur; Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem; Sed quoniam inquit D. Th. præceptum de confessione fidei est affirmatiuum, ideo non obligat ad semper, sed tantum positis debitis circunstantijs, idest quando honor Dei ita expostulat, vel vtilitas proximi; Tunc autem honor Dei expostulat vt Christianus cōfiteatur fidem Catholicam, quando nisi Christianus interrogatus causa confiteretur, crederent homines eum non habere fidem Catholicam, vel fidem Catholicam esse falsam. Vtilitas proximi vero tunc expostulat talem confessionem quando interrogatus Christianus alicuius auctoritatis de fide, si eam non confiteretur homines simplices ab ea descisserent; quādo vero necessitas honoris Dei, vel vtilitas proximi confessionem fidei non expostulant, non est bonum, inquit D. Th. ore fidem confiteri. Numquam tamen eam licet negare vt frustra dicimus. 11

MEMBRVM SECVNDVM.

De vitijs oppositis fidei.

1. *Infidelitas opposita fidei quid sit.*
2. *Infidelitas negatiua, & positiua.*
3. *Cum infidelitate negatiua an quis damnetur.*
4. *Quale peccatum sit infidelitas positiua.*
5. *Species infidelitatis, quot sint.*
6. *Quid sit apostasia.*
7. *Requisita ad hoc vt quis dicatur hæreticus.*
8. *Vtrum omnis hæreticus sit excommunicatus.*
9. *Discredens vnum articulum an amittat totam fidem.*
10. *Dubius in fide an sit infidelis.*
11. *Quale peccatum negare fidem ore.*
12. *Negans fidem ore an sit hæreticus.*

IN hoc Membro primo quæritur, quodnam vitium opponatur fidei? Respondeo, quod 1

Est infidelitas positiua; Quod vt intelligatis notandum est, quod duplex est infidelitas, vt dicit D. Th. 2. 2. q. 10. artic. 2.

B 2 Alia

Alia positiua,quæ est peccatum; Alia vero negatiua,quæ non est peccatum. Infidelitas positiua est illa, quam habent illi, qui nolunt credere postquam fides est illis
2 sufficienter notificata; Negatiua verò est illa, quam habent illi, qui non credunt quoniam fides nunquam est illis notificata;& hæc non est peccatum,quia posset esse sine culpa,nam inquit D. Io. Cap. 15. Si non venissem, & loquutus eis non fuissem peccatum non haberent,idest(inquit D.Augustinus)infidelitatis.

3 Sed dices illi, qui habent infidelitatem negatiuam damnabuntur ne?

Ad hoc respondet D.Thom.q.cit.quòd damnabantur, non quidem propter infidelitatem negatiuam, quia non est peccatum; sed propter alia peccata vt si committunt aliquod peccatum contra præcepta naturalia Decalogi,quæ in eo explicite continentur, quæ ad legem naturalem pertineant, vel saltem propter peccatum originale.

4 Secundo dicet aliquis infidelitas positiua estne peccatum graue?

Ad hoc respondet D. Th. q. cit. quod est grauissimum inter mortalia, quia opponitur virtuti Theologicæ; sicut odium Dei est grauissimum, & desperatio, quia opponuntur virtutibus Theologicis.

Tertio dicet quis ad quod peccatum ex capitalibus reducitur infidelitas positiua?

Ad hoc respondet D. Th. q. cit. quod vel reducitur ad superbiam,quia infidelis positiuus non vult subijcere intellectum sum regulis fidei; vel non reducitur ad aliquod peccatum capitale,quia sicut virtutes Theologicæ non reducuntur ad alias virtutes; ita vitia opposita virtutibus Theologicis non reducuntur ad alia peccata capitalia, quæ directè opponuntur alijs virtutibus.

5 Secundo quæritur quot sint species infidelitatis?

Ad hoc respondeo cum D.Th.q.cit.& Summistis in verbo infidelitas, quod tres sunt infideltatis species, quarum prima est eorum, qui noluerunt suscipere fidem Catholicam in figura, aut in veritate; & iste dicuntur Pagani,Gentiles, aut Ethnici;secunda species infidelitatis est eorum, qui susceperūt fidem Catholicā in vmbra, sed nolunt eam suscipere in veritate, & isti dicuntur Iudæi, qui credunt quidem Testamentum vetus,quod est vmbra,& figura Testamenti Noui, sed non Testamētum Nouum;tertia species infidelitatis est eorum.qui susceperunt fidem in veritate, sed discredunt in aliquibus,quæ ad ipsam fidem pertinent;& isti dicuntur hæretici, &c. Hæreticorum autem deinde tot sunt species, quot sunt dogmata fidei circaque ipsi errant.

Sed dicet hic aliquis apostasia à fide est vna species infidelitatis, ergo non tantum tres sunt infidelitatis species. 6

Ad hoc respondet D.Th.quæst. citat.q apostasia reducitur ad hæresim; in hoc .n. tantum inquit D.Th. distinguitur apostata ab hæretico, quod apostata omnino recedit à fide Catholica, quam antea susceperat,vt si Christianus fiat Turcha. Hereticus vero tantum discredit aliqua fidei dogmata,vt sunt Lutherani nostri temporis,qui non omnia, quæ pertinent ad fidē negant,sed aliqua tantum.

Et hic notandum est ex Caietano in summa verbo Apostasia, quod triplex est, Apostasia,vna,quæ est à fide,& est,de qua diximus;altera,quæ est ab ordine,secundū quam dicitur Apostata ille, q habens ordinem maiorem transit ad statum Laycalem; tertia dicitur à religione, secundum quam professis in religione approbata dicitur apostatas si transeat ad statum secularem; & hæ omnes apostasiæ sunt peccata mortalia,& habent annexam excommunicationem.

Tertio quæritur, quænam requirantur ad hoc quod aliquis dicatur hæreticus? 7

Resp. ex Nau. in man. cap. 11.nu.17.& alijs Doctoribus, quòd cum hæreticus sit censendus ille,qui baptizatus habet errorem circa aliquid pertinens ad fidem cum pertinacia.

Tria requiruntur ad hoc quod aliquis sit hæreticus, quorum primum est vt sit baptizatus;alterum est vt habeat errorem circa aliquod pertinens ad fidem; tertium est,vt in eo persistat cum pertinacia;idest vt non sit paratus corrigere se,& desistere, à suo errore quotiescunque cognouerit aliter ab Ecclesia Catholica esse determinatum, & propter hoc tertium quæsitum legi-

legitimè excusantur ab hæresi Sacri Doctores (vt Diuus Cyprianus, & alij) qui aliquando determinauerunt tanquam vero aliqua, quę postea ab Ecclesia fuerunt determinata esse contra fidem, tales enim Doctores non ita deffendebant suam opinionem cum pertinacia, quod non essent parati corrigere intellectum suum quotiescunque cognouissent Ecclesiam aliter determinare, vel sentire.

Quarto quæritur vtrum omnis hæreticus sit excommunicatus.

Ad hoc resp. Caietanus in verbo hæresis, & Nauar. nu. 17. cit. & alij omnes, quòd ille tantum hæreticus est excommunicatus, qui hæresim, quam habet in mente exprimit aliquo exteriori signo, etiam sibi ipsi tantum, puta verbo, scripto, vel facto aliquo, nam hæreticus purè mentalis non est excommunicatus, quia non incurritur excommunicatio solum per actum mentis nisi exterius exprimatur.

Sed dices hic ille, qui discedit vnum articulum tantum amittitne totam fidem Catholicam?

Respondeo cum Diuo Thoma, & alijs Doctoribus, quod amittit totam fidem infusam, quia fides infusa est vna, & simplex, quæ non potest stare cum aliqua infidelitate, & si postea talis credat alios articulos eos credit fide humana, non fide infusa.

Quinto quæritur vtrum dubius in fide sit infidelis.

Respondeo affirmatiuè vt dicit Nau. in man. cap. 11 nu. 18. si illa dubietas est voluntaria, & deliberata, secus si est subreptitia, vel inuoluntaria nam non est infidelis ille, qui dubitet de aliquo articulo inaduertenter, & indeliberatè; & qui non consentit dubietati, sed ei resistit.

Sexto quæritur vtrum peccet mortal. ille, qui corde quidem credit, sed propter timorem hominis negat ore, vel facto, fidem, doctrinam, vt si quis ne, à Tyranno occiderunt coram eo Idolis sacrificaret, vt dicitur contigisse, Marcellino PAPAE, vel fidem negaret verbis?

Ad hoc resp. cum communi Doctorum opinione, quod pecc. mortal. quia faceret contra præceptum Confessionis Fidei; Atque hinc dicunt Doctores, quod pecc. mort. ille, qui timore mortis gestaret habitum, seu signum aliquod destinatum ad signandum, quod qui habent talem habitum, vel signum habent talem hæresim, qa hoc est negare fidem opere, & facto, & negare fidem est semper peccatum mortale, nam præceptum de fidei non neganda est negatiuum, & obligat semper, & ad semp; nō ita præceptum de confitenda fide, quia est affirmatiuum; & propterea in membro antecedenti dictum fuit quod occultare fidem (quod est eam non confiteri) aliquādo non est peccatum puta quando confessionem fidei non expostulat necessitas honoris Dei, vel proximi vtilitas (vt dictum est) Atque ex hoc sequitur quòd possunt Christiani mutare habitum vt Monachalem in secularem ne dignoscantur ab hæreticis, quia hoc non est negare fidem, sed occultare.

Vltimo quæritur an sit excommunicatus ille, qui corde credit, sed negat fidem ore, vel opere? 12

Caiet 2.2. prout & eum citat Nauar. in man. cap. 11, num. 25. dicit talem esse excōmunicatum, Nau. contrarium dicit, idest non esse excommunicatum, quia excommunicatio quæ fertur in hac materia in Bulla Cœna Domini fertur contra hæreticos, & eorum fautores, sed qui corde credit licet opere neget, vel ore; non est hæreticus quia hæresis est error in mente; nec est hæreticus, qui corde credit; posset tamen esse excommunicatus ille, qui corde credit, & ore vel opere negat si id faceret, vt faueret hæreticus non quia hæreticus esset, sed hæreticorum fautor.

Ego dicerem quod talis idest, qui corde credit; & ore, vel opere negat sicut non est hæreticus in foro interiori, ita nec est excommunicatus in foro interiori, sed qa propter opus exterius factum idest dicto, vel facto censendus est hereticus, ita in foro exteriori censendus est excommunicatus.

Atque hæc de hoc capite sufficiant.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

De Spe, & eius praecepto.

1 *Quid sit spes, & eius necessitas.*
2 *Vitia spei opposita.*
3 *In hac vita nunquam desperandum de salute proximi.*

1 IN hoc capite primo quæritur, quid sit spes prout est quædam, Theologica veritas, nam de tali tantum agimus hoc in loco?

Et resp. quod est veritas infusa, per quã certa cum fiducia expectamus ea, quę pertinent ad salutem nostram, & maxime vitam æternam. Dixi, & maxime vitam ęternam, quam vita ęterna est pręcipuum obiectum speis seu Deus ipse vt est vita nostra ęterna; Atque ex hac deffinitione spei distinguitur spes, à, gaudio quia spes est de bono futuro, gaudio vero de præsenti; & à timore quia spes est de bono futuro, timor vero de malo fut. & est necessaria spes ad vitam æternam, vt dicunt Doctores Catholici, iuxta illud spe salui facti estis.

2 Secundo quæritur quodnam sit vitium spei oppositum? &

Resp. quod est desperatio, quæ est maximum peccatum nam, & est contra virtutem Theologicam, &, à, Doctoribus cõnumerantur inter peccata in Spiritum Sãctum, quia repugnat virtutis Spiritus Sancti, qui sua bonitate reducit nos ad gratiã diuinam; desperatio vero tollit spem de misericordia Dei, quæ est medium necessarium ad gratiam consequendam.

3 Tertio quæritur vtrum in hoc mundo disperandum sit de salute alicuius?

Ad hoc respondet Tabiensis in summa verbo Desperatio §. vltimo hoc modo, ꝙ non ratio huius est, quia dum est in hac vita est in manu vniuscuiusque habere vniuscuiusque habere gratiam per quam datur vita æterna; & si Deus reuelaret alicui, quod esset præscitus, idest damnãdus inquit Tab. loco cit. quod existimandam esset Deum id dicere communitotiè non vltimatè; idest si non mutat vitam, vel si non facit pœnitentiam peccatorum; & etiamsi Angelus custos alicuius per reuelationem certo sciret eum, quem custodit, fore damnandum non tamen eum desereret, quia custodiret eum à pluribus, & maioribus malis, quæ alioquin faceret, atque hæc sufficiant de hoc capite.

CAPVT TERTIVM.

De Charitate, & eius pręcepto.

1 *Charitas quid sit, & quotupliciter sumatur.*
2 *Charitas an cadat sub preceptum.*
3 *Amor maximus appreciatiuè, & intensiuè.*
4 *Preceptum amoris Dei quando obliget.*
5 *Peccata contraria charitati.*
6 *In via datur fides, & spes sine charitate.*
7 *In Christo fuit charitas, non fides, aut spes.*

IN hoc capite primo quæritur quid sit Charitas? 1

Et respondetur, quod Charitas (prout colligitur ex Doctoribus Scholasticis in tertio sententiarum dist. 27.) est virtus à Deo infusa, qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum. Et notandum hic est quod Doctores in eo, quod dicunt charitatem esse virtutem excludũt errorem Magistri sententiarum, qui propter varias excellentias, quas Sacræ litteræ, & Sacri Doctores charitati tribuerunt, & illimauit charitatem esse ipsum Spiritũ Sanctum; secundo notandum est, ꝙ sicut nomen Spiritus Sanctus aliquando accipitur pro tertia persona Sanctissimæ Trinitatis, & aliquando pro effectus ipsius tertiæ personæ; ita charitas aliquando accipitur pro Spiritu Sãcto personaliter, quia Spiritus Sanctus procedit ex amore Patris, & Filij; Et dicitur charitas, seu amor cum sit nexus vtriusque personæ, & aliqñ accipitur pro effectu Spiritus Sancti, & in hoc loco, pro effectu Spiritus Sancti accipitur nomẽ Spiritus sãcti cũ Ep̃s ord inando Sacerdotem dicit, Accipe spirituũ Sanctum, quorum remiseris &c. non enim tũc Episcopus dat personam Spiritus Sancti, sed potestatem absoluendi, quæ est effectus Spiritus Sancti.

Secunda

Secundo quæritur vtrum de Charitate Dei detur præceptum? Et dixi (de charitate Dei) nam de charitate proximi, ideſt qua diligendus eſt proximus infra dicam in quarto præcepto, & ſequentibus? Et ad iſtud dubium

Reſp. cum Nau. in man. c. 11. nu. 7. quod de charitate Dei detur maximum præceptum, & ſupremum, quod eſt illud, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua, quod eſt idem ac dicere, Diliges Dominum Deum tuum ſuper omnia, omni modo, quo potes eum appreciando magis, quam omnia, quæ poſſunt appreciari.

Quare hic notandum eſt, vt diximus in tractatu de Sacramentis vbi de Pœnitẽtia, quod duplex eſt amor maximus; Alius q̃ dicitur maximus appreciatiuè, & alius qui dicitur maximus intenſiuè: præceptum de dilectione Dei non cogit nos ad diligendum Deum ſuper omnia intenſiuè, ſed tãtum appreciatiuè; Quare non eſt mirum ſi aliquando verus pœnitens maxime plorat, & triſtatur in vultu propter mortem patris, & non plorat propter peccata mortalia, quæ commiſit; quia poteſt abſque peccato magis, quantum ad intenſionem ideſt ſecundum teneritatem, amare patrem, quam Deum, non tamen quantum ad appreciationem quia ita debet amore appreciatiuo amare Deum, vt potius velit patrem amittere matrem, filios, propriam vitam, & omnia alia, quam Deum, aut eius inimicitiam.

Tertio quæritur quando ſit obſeruandum præceptum de dilectione; cum enim ſit affirmatiuum, & propterea non obliget ad ſemper, ſed debito tempore; quæritur inquam quando tale præceptum ſit obſeruandum? & ad hoc

Scotus libro tertio ſententiarum diſt. 27. dicit hominem teneri ſub pœna peccati mortalis amare Deum ſuper omnia p actum elicitum amoris ſingulis diebus feſtis, idem dicit Tab. in ſumma verbo Charitas. §. 23. & ratio eius eſt, quia vt & nos ſupra diximus, præceptum de Sanctificandis diebus feſtis eſt partim morale, & partim cæremoniale, morale prout homo debet habere aliquod tempus in quo vacet diuinis; cæremoniale vero quantum ad determinationem temporis. Præceptum ergo de Sanctificandis diebus feſtis prout morale vt requirit vt in illis diligatur Deus ſuper omnia; ſed Nau. in man. cap. 11. n. 7. cit. reicit opinionem Scoti, quæ eſt & Tabienſis vt diximus, quia nõ poteſt probari aliquo textu, aut aliqua ratione; deinde quia poteſt homo in diebus feſtis vacare rebus neceſſarijs diuinis abſque eo, quod diligat Deum ſuper omnia, vt puta audiendo Miſſam.

D. Thom. p. 2. q. 39. art. vlt. dicit, quod puer ſtatim, ac peruenit ad annos perfectionis tenetur in Deum, tamquam in vltimum finẽ oĩa dirigere; ſed hoc licet alij Doctores aperte non negent, non tamen aſſerunt; bonum quidem eſt; ſed an ſit neceſſarium ita vt peccet mortaliter puer in non faciendo, non videtur poſſe determinari facile ad partem affirmatiuam, quia non inuenitur textus, aut ratio, quæ partẽ affirmatiuam ratione probet; ſecũdo Nau. in man. cap. n. 7. &c addit quòd homo tũc tenetur amare Deum ſuper omnia quando tenetur habere contritionem, quia contritio non poteſt eſſe ſine tali amore; quibus autem temporibus teneatur homo habere contritionem, & quomodo contritio non poſſit eſſe abſque eo, quod amet Deus ſuper omnia, ſatis fuſè dictum eſt in tractatu de Sacramentis, vbi de Contritione: ſed hoc eſt dicere hominem teneri ad contritionem habendam aliquando: nam ſuppoſito, quòd aliquis non habeat p. m. non tenebitur diligere Deum ſuper omnia quando tenetur habere contritionem, qa non tenetur habere contritionem, tertio addit Nauar loco cit. quod homo tenetur amare Deum ſuper omnia quando ſi eſt adultus vult baptizare, niſi antea habuerit contritionem, ſed hic caſus reducitur ad ſecundum prædictum; quarto addit Nau. quod quotieſcunque quis tenetur diligere proximum tenetur etiam diligere Deũ ſuper omnia, quia dilectio proximi dirigenda eſt ad Deum, nam proximus eſt amandus propter Deum, ſed hæc directio amoris proximi in Deum ſufficit ſi eſt habitualis, nõ enim ſemper filius quando diligit patrem tenetur illum amorem dirigere in Deum actu, ſed ſufficit eum dirigere habitu.

habitu.

Ego, saluo semper meliori iudicio, & subiciendo me debitæ censuræ, dicerem q̃ tunc homo tenetur diligere Deum super omnia quando occurrit occasio peccandi mort. nam tunc tenetur euitare peccatum ne Deum offendat, & tunc tenetur amare Deum super omnia, idest velle potius amicitiam Dei, & ita euitare peccatum, quam adhærere creaturæ, satisfaciendo appetitui suo, & ex hoc videmus quod quando aliquis facit contra aliquod præceptum particulare, semper etiam facit contra præceptum de diligendo Deo; quia cum trãsgreditur quis præceptum aliquod particulare, non diligit Deum super omnia, quia præponit creaturam, seu appetitum suum Deo auertendo se à Deo ad creaturam, & propterea aliqui deffiniunt peccatum esse auersionem à Deo ad creaturam, quia semper qui peccat mortaliter magis diligit creaturam quam Deum, & ex hoc etiam apparet, quod per quodlibet peccatum mortale tollitur charitas.

Ex his infertur quod ille tunc seruat præceptum de diligendo Deo quãdo seruat alia pręcepta Dei, vt Decalogi, & tunc facit contra pręceptum de diligendo Deo, quando facit contra aliquod præceptum particulare, vnde est quod alia præcepta Dei, & naturæ sunt deducta ex præcepto de dilectione Dei tanquam ex fonte.

5 Quarto quæritur quodnam sit peccatũ contrarium charitati, & præceptum de dilectione Dei?

Dico primo quod odium Dei est cõtra charitatem, & contra præceptum de diligendo Deo, & propterea hoc est maximũ peccatorum, quia est contra maximam virtutem, & contra supremum præceptum, quod est de dilectione Dei.

Deinde dico, quod omnia peccata mortalia sunt contra charitatem, & cõtra præceptum de dilectione Dei, & quod sint contra pręceptum de dilectione Dei probatum est in quæsito antecedenti; quod vero sit contra charitatem, quod idem fore est probatur, quia omne peccatum mortale ita opponitur charitati Dei, vt numquam possint esse simul, sed statim qñ quis peccat amittit charitatem Dei, non ita quando quis peccat mortaliter amittit fidem, nisi sit peccatum infidelitatis, quia præter peccatum infidelitatis alia peccata non sunt contraria fidei.

Ex his, & alijs, quæ supra diximus infertur quod in hac vita, seu in viatore potest esse fides, & spes sine charitate, numq̃ autem charitas sine fide, & spe, quia per quodlibet peccatum mortale tollitur charitas remanẽte fide, & spe, nisi sit infidelitas, vel desperatio, sine spe vero, & fide nõ est charitas in viatore, quia vt diximus sine fide impossibile est placere Deo, & impossibile est, quod qui habeat charitatem non placeat Deo. Verum quidem est quod fides, & spes sine charitate sunt mortuæ, non quia non possint esse sine charitate; sed quia cum charitas sit vita omniũ aliarum virtutum sicut anima est vita corporis, ideo virtutes sine charitate dicuntur mortuæ, sicut corpus sine anima dicitur mortuus, sed in Beato è contra erit charitas sine fide, & spe, sine fide quidem, quia fides vt supra diximus capitulo primo est argumentum non apparentium, & Beatis apparebunt, quæ nunc non apparent; sine spe, quia ille sperat, vt diximus capitulo secundo, quia expectat vitam æternam, & Beati non expectant vitam æternam, sed gaudent propter vitam æternam, quã habent. 6

Quod si dicas Beati nonne expectant amicos fore consortes Beatitudinis?

Respondeo quod hæc expectatio, seu spes non est spes Theologica, sed humana proueniens ex charitate, nec est actus charitatis elicitus, quia hæc est amor tantum, sed imperatus.

Quod si demũ dicas fuit ne spes, fides, & charitas in Christo Iesu? 7

Respondeo quod charitas sola, non fides, aut spes, quia fuit semper comprehẽsor, & Beatus, & in visione beatifica etiam in hoc mundo ipse videbat, quæ nobis non apparent; & habebat vitam æternam, quam nos expectamus, & si expectabat immortalitatem corporalem, hoc non erat ex spe Theologica, sed ex spe humana certissima eo modo, quo Beati certo sciunt suam Beatitudinem fore perpetuam.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

De Religione, & eius præcepto.

HActenus actũ fuit de virtutibus, & præceptis Theologicis, quæ non comprehenduntur directè in primo Decalogi præcepto, vt supra diximus in prima parte huius Tractatus, sed tantum indirectè; nunc agendum est de præcepto ipso primo Decalogi, quod pertinet ad virtutem religionis, quæ licet non sit Theologica, sed inferior Theologicis, est tamen prima inter virtutes morales, vt probat D. Tho. 2.2. multis in locis, & Nauarrus in man. cap. vndecimo, & diuideiur hoc caput in sex particularia membra, in quorum primo dicam de ipsa virtute Religionis secũdum se, & de eius præcepto; in secundo in communi dicam de superstitione, quę est vitium religioni oppositum, in tertio dicã de prima superstitionis specie in particulari, & in tribus sequẽtibus dicam in particulari de tribus alijs speciebus superstitionis.

MEMBRVM PRIMVM.

De Religione, & eius præcepto.

1 *Nomen religionis aquiuocum.*
2 *Quid sit latria.*
3 *Qui sint actus religionis.*
4 *Latria, dulia, & hijperdulia.*
5 *Quibus sit exhibendus cultus latria.*
6 *Quibus exhibendus cultus dulia, & hijperdulia.*
7 *De cultu imaginum sanctarum.*
8 *Quomodo adorandus Deus.*

PRimo autem quęritur quot modis sumatur nomen religio.

Resp cum Syl. in summa verbo Religio in principio, quod nomen religionis multipliciter sumitur, sed præcipuè duobus modis, nam aliquando sumitur pro quadã congregatione hominum colentium Deũ, vt cum dicimus religionem S. Francisci, vel Sancti Dominici, & aliorum religiosorum, aliquando vero sumitur pro quadam virtute morali, quæ Græce dicitur latria, per quã homo inclinatur ad exhibendum debitum cultum vero Deo, id est obseruandum primum Decalogi præceptum, & hoc secundo modo hic à nobis sumitur.

2 Secundo quęritur, quid sit religio sumpta secundo modo, quæ & dicitur latria.

Resp. ex Syl. in summa verbo latria. §. 1. & Tabiensi in summa verbo Adoratio in principio, quód religio, seu latria est virtus quædam moralis, qua homo inclinatur ad exhibendum debitum cultum vero Deo, in quantum est primum principium id est in quantum ipse Deus nos creauit, gubernat, & regit, & in quantum finis, id est quatenus ad eum, tanquam ad vltimum finem tendimus.

3 Tertio quæritur quinam sint actus religionis.

Syl. in summa verbo latria in principio dicit, quod actus religionis interni eliciti sunt oratio, & deuotio; Secundarij vero, & externi eliciti sunt adoratio, qua corpus nostrum exhibetur in reuerentiã Dei; Iuramentum, votum, sacrificium, & similia; & ratio huius est, quia per iuramentũ adducimus Deum in testem tamquam infallibilem veritatem, & propterea Deo attribuimus honorem confitendo, & protestando eum esse infallibilem veritatẽ: sed actus imperati virtutis religionis sunt actus aliarum virtutum prout à religione imperantur, & diriguntur ad reuerentiam, & cultum Dei.

4 Quarto quæritur quæ differentia sit inter latriam, duliam, & hijperduliam?

Syl. in verbo Latria dicit, quod prædicta tria sunt virtutes, quibus honoramus ea, quæ honoranda sunt; sed differunt inter se in hoc, quod honore, seu cultu latrię tantum honoratur Deus; cultu duliæ honorantur Sancti, & cultu hijperduliæ honorantur præcipue quædam creaturæ, quæ particularem ducunt affinitatem ad Deum, quare cultus hijperduliæ est superior cultu duliæ, sed inferior cultu latrię.

Quinto quærtiur quænam sint ea, quæ adoranda sunt cultu latriæ?

5 Resp. cum communi Doctorum opinione, quod cultu latriæ honorandus, seu adorandus est Deus primo, & omnia, quæ in Deo sunt, id est essentia Dei, quę est vna; processiones, quæ sunt duæ, id est illa, qua

 filius

Filius procedit à Patre, & illa qua Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio; personæ quæ sunt tres, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; relationes quæ sunt quatuor, idest Paternitas, Filiatio, Spiratio actiua, & Spiratio passiua; & attributa, quæ sunt infinita, idest bonitas, potentia, scientia, misericordia, iustitia, & alia, quæ omnia cum sint ipse Deus, adoranda sunt adoratione latriæ. Secundo cultu latriæ adorandus est Christus quia est Deus Tertio cultu latriæ adoranda est imago Christi, quia imago non est adoranda, vt tela quędam, ser cum, paries, lapis est, sed prout repræsentat ipsum Christum, quare cum adoramus imaginē Xpi adoramus Xpum in imagine, & quia Christus est Deus, ideo imago Christi adoranda est cultu latriæ.

Quarto cultu latriæ adorandū est Sanctissimum Eucharistiæ Sacramētum, quia in eo adoratur Christus, qui est Deus; & hoc intelligendum est habitualiter cum hac cōditione si hostia est rectè consecrata, & dixi habitualiter, quia non est necesse, vt quotiescunque voluero adorare hostiam, quam puto consecratam actu habeam conditionem in mente, si est rectè consecrata, sed sufficit vt eam habeam habitu.

Sed dicet quis humanitas Christi, qua adoratione est adoranda?

Respondeo quòd si consideretur secundum se est adoranda hijperdulia; si verò consideretur, vt vnita verbo diuino est adoranda adoratione latriæ, quia vt sic adoratur Christus qui est Deus.

Secundò dico Crux quomodo est adoranda.

Resp quòd Crux, in qua pepēdit Christus potest considerari, vel vt lignū quoddam est, & hoc modo non est adoranda, vel vt quædam reliquia est, & hoc mō est adoranda adoratione hijperduliæ, vel vt repræsentat Christum Crucifixum, & hoc modo est adoranda adoratione latriæ, sicut, & imagines Christi, aliæ vero Cruces non sunt adorandæ alia adoratione, quam latriæ, quia non possunt adorari nisi prout repræsentant Christum crucifixum; & quod dixi de Cruce intelligendum est de lancea, clauis, spinis, vestibus, & alijs pertinentibus ad passionem, vel vt ag Christi

6 Sexto quæritur quænam sint adoranda adoratione hijperduliæ?

Resp. quod primo Humanitas Christi secundum se considerata, secundo Beata Virgo, vt mater Dei, tertio crux, lācea, &c. mysteria Passionis Christi prout reliquiæ sunt, vt diximus.

Septimo quęritur quęnam sint adoranda cultu duliæ?

Resp. quod primo B. Virgo secundum se, secundo reliqui Sancti, tertio Sanctorū imagines, & eorum reliquiæ.

Octauo quæritur an sint pingēdæ imagines? 7

D. Tho. in tertio sententiarum dist 9. dicit quod ante incarnationem Christi, non erat licitum pingere imagines Dei, imo prohibitum erat, vt videre est Exodi 20. vbi Deus dicit non facies tibi sculptile, & secundo nō facies mihi vllam imaginem, aut similitudinem, & ratio huius erat, inquit D. Thom. quia ante incarnationem Christi Deus non erat homo, sed tantum spiritus inuisibilis, & propterea non poterat pingi, deinde quia Iudæi erant maximè pronì ad idolatriā, & ideo prohibitū illis fuit pingere imagines, ne forte eas adorarent secundum se adorabant enim opera manuum suarum. Sed post incarnationem Christi cum Deus factus est homo, & visibilis, & non fuit tantum periculum idolatrię, sicuti antea licitum fuit imagines pingere, & licet in Testamento nouo non habeatur locus, in quo expresse concedantur imagines, vt inquit D. Thom. loco cit. habetur tamen hoc ex traditione Apostolica, quod possint pingi, & adorari pro vt sunt repræsentatiuæ, & dicit Diuus Damascenus quod D. Lucas Euangelista, & vnus ex secundis Discipulis Christi depinxit imaginem Christi, & Beatę Virginis.

Nono quæritur quare pingantur imagines.

Respondeo secundum communem Doctorum opinionem, primo propter instructionem rudium, qui imaginibus tāquam libris erudiuntur, secundo ad memoriam, & deuotionem Sanctorum, cum enim homo videt imaginem Sācti Petri magis excitatur ad eius deuotionem, tertio vt recolamus

olamus exempla Sanctorum, & notandum quod est vt notat Syl. Tabienfis, & Armilla in verbo Imago in suis summis, quod est præceptum humanum, ne pingatur Crux in marmore, vel saxo in terra positis, & dicti Doctores dubitant an contrauenire huic præcepto sit peccatum mortale, quia imponitur à lege maxima pęna contrafacientibus, atque ex hoc infertur, quod illi maximè errant, qui in sepulturis humi positis Cruces effinguut, vel Sanctorum imagines, similiter & illi qui talia pingunt in turpibus locis.

Quęritur vbi adorandus sit Deus?

Resp quod vbique adorari potest, sed præcipue adoratur in Ecclesijs, quia propter loci consecrationem, & sacra mysteria, quæ in eis peraguntur maximè excitatur homo ad deuotionem, & quia ad Ecclesias multi concurrunt, & Christus dicit vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi & ego sum in medio eorum.

Quæritur vndecimo quibus actibus exterioribus sit adorandus Deus?

Resp. quod primo est adorandus actibus præscriptis ab Ecclesia; & omnibus alijs actibus, quibus homo excitatur interius ad deuotionem, & subijcit carnem suam spiritui, & spiritum Deo.

Quæritur demum an præceptũ de adoratione sit naturale an diuinum, aut humanum?

Notandum est pro responsione, quod præceptum aliud est positiuum, aliud naturale: Positiuum est illud, quod non obligat nisi sit positum. Naturale vero est illud, quod obligat etiamsi non sit positum, quia fluit ex dictamine rectæ rationis, & ex lumine naturali hominis.

Rursus pceptũ, siue positiuum, siue nr̃ale aliud est Diuinum, quod à Deo est præceptum, & huiusmodi sunt oĩa pręcepta Decalogi, quę dicuntur diuina naturalia, quę sunt posita à Deo in Testamento veteri Exodi, & in noua lege, sed obligabant etiã antea, quia fluebant ex lumine naturali hominis.

Præcepta positiua diuina sunt nunc præcepta Sacramẽtorum, & in Testamento veteri erant præcepta pertinentia ad cæremonias, idest cæremonialia quæ non obligabant antequam ponerentur.

Similiter præcepta humana possunt esse naturalia, vt si Princeps, vel Episcopus præciperet non occidendum, vel positiua, vt si præciperet non esse ferenda arma tali hora.

Præcepta item humana, siue naturalia, siue positiua alia sunt Ecclesiastica, quæ pręcipiuntur à superioribus Ecclesiasticis, vt sunt ea, quæ in decretis Pontificum cõtinentur, & in Concilijs. Alia sunt laica, seu sęcularia, qualia sunt ea quę continentur in lege imperiali. Præceptum de adoratione est naturale, & diuinum quatenus præcipitur, vt colatur Deus, & humanum quatenus præcipitur ab Ecclesia, vt hoc, vel illo modo colatur, sicut præceptum de Communione sumenda est diuinum, sed humanum quatenus præcipitur, vt id fiat tempore Paschatis Resurrectionis Christi Domini.

MEMBRVM SECVNDVM.

De superstitione quæ est vitium oppositum Religioni in genere.

1 *Superstitio quid sit.*
2 *Superstitionis species.*

QVæritur primo vnde deductum sit hoc nomen superstitio?

Syluester in verbo superstitio in principio refert Isidorum in libro ethimologiarum dicere nomen superstitionis esse deductum a nomine superstite, vnde inquit Isidorus Cicero appellauit superstitiosos quosdam homines, qui per totos dies Deum orabant, vt sui sibi filij superstites essent, & inde inquit Isidorus translatum fuit hoc vocabulum superstitio ad significandum vitium quoddam religioni oppositum, quo vel Deo vero exhibetur indebitus cultus, vel creaturæ exhibetur cultus, qui Deo debetur.

Secundo quæritur quot sint species superstitionis.

Resp. ex D. Th vt refert Sylu. in verbo superstitio, quod superstitionis species sunt duæ principales, quarum

Prima est illa, secundum quam Deo

vero exhibetur indebitus cultus.

Altera verò est illa, secundum quam creaturæ exhibetur cultus, qui Deo debetur, & hæc secunda species diuiditur in alias tres, nam si cultus Deo debitus exhibetur creaturę caussa ipsam honorandi, efficitur prima spēs, quæ dicitur idolatria, sed si dictus cultus Deo debitus exhibetur creaturæ caussa præcognoscendi aliquod futurum, & occultum, efficitur secunda species, quæ dicitur Diuinatio; si vero dictus cultus qui Deo debetur tribuitur creaturæ vt ab ipsa dirigantur nostræ operationes efficitur tertia species, quæ dicitur obseruatio vana, atque hæc de hoc membro secundo sufficiant.

MEMBRVM TERTIVM.

De prima specie superstitionis.

1 *Prima species superstitionis.*
2 *Iudaizare quid sit.*
3 *Exponere reliquias falsas.*
4 *Tribuere Deo cultum indebitum.*

1 PRima species superstitionis diuiditur in duas, idest in eam, qua Deo vero exhibetur cultus perniciosus, & hæc semp est peccatum mortale de sua natura; altera species est illa secūdum quam Deo tribuitur superfluus cultus, & hæc vbi nō est scandalū, vel contēptus est tantū pec. ven.

2 Per primam speciem peccant illi, qui iudaizant, idest nunc vtuntur cæremonijs Iudaicis ad colendum Deum, quibus significatur Messias venturus, cum iam venerit; dicitur enim perniciosus cultus ille, qui est falsus, nam dicitur, quod Deus est adorandus in spiritu & veritate, & mendacium in cultu Dei est maximè perniciosū; quia est in re maximi momenti.

3 Similiter in hac specie superstitionis peccant mortaliter illi, qui exponunt reliquias falsas adorandas, & etiam si hostiam non consecratam, tamquam consecratam.

Item in hac specie peccant mortaliter illi, qui offerunt imagines votiuas crucifixo, vel imagini Beatissimæ Virginis tamquam quod miraculum fecerit, vt excitētur alij ad simile faciendum ob lucrum hæc omnia dicit Caiet. in summa verbo superstitio; & Nauarrus in man. cap. 11. & alij Doctores.

Demum in hac etiam specie peccat ille, qui dat granum, siue globum cereum vocatum agnum Dei non benedictum, pro benedicto.

4 In secunda specie superstitionis, secundum quam Deo tribuitur indebitus cultus, peccant illi, qui tribuunt Deo cultum superfluum, non quia magis honorent Deum, quam honorari debeat quem nullus potest tantopere adorare Deum, quia magis sit adorandus, sed quia excedit modum debitum adorandi Deum, & in hac specie peccant illi, qui v. g. in recitando officio bis dicunt alleluia, cum semel signatur, vel in celebranda Missa pluries efficiunt cruces, quam signentur in Canone, & sic de similibus, & hæc superstitio, cum non sit perniciosa, quia non tribuitur Deo cultus perniciosus per eam, neque vt inqt Caiet. in summa verbo superstitio contra honorem Dei, sed tantum præter honorē Dei est tantum peccatum veniale vbi non est scandalum, & hæc sufficiant.

MEMBRVM QVARTVM.

De Idolatria.

1 *Idolatria quid sit.*
2 *Adorans idolum metu mortis an peccet.*
3 *Exponere hostiam non consecratam.*

IDolatria vt supra dixi membro secūdo quæsito secundo committitur ab illis, qui tribuunt creaturæ cultum Deo debitū gratia ipsam honorandi, & est, vt dicunt Doctores maximū peccatū, quia quantum in se est æquiparat creaturam Creatori, & perturbat totum ordinē Christianę Reip. eo modo, quo perturbaret ordinem Reip. Ciuilis ille, qui cultum Regi debitum tribueret subdito, & in hac spē superstitionis, quæ dicitur Idolatria mortaliter peccant illi, qui adorant Iouem, Saturnum, Solem, Venerem, Iunonem, &c. tamquam Deos, vel Deas, qui, vel quæ fuerunt perditissimi homines, vel perditissimæ mulieres in hoc mundo, & nunc in inferno degunt, & cruciantur, & propterea debent 1

ludi

ludi Magistri, qui in suis Scholis legunt libros prophanos declarare pueris Iouem, Saturnum, &c. non esse veros Deos, sed fabulosos, ne pueri qui sunt simplices errent existimantes eos esse veros Deos.

Sed dices primo si aliquis adoraret idolum cultu exteriori metu mortis; vel Maumetum peccaretne mortaliter?

Armilla in sũma verbo Idolatria affirmat, & ego idẽ dixi i principio huius partis, & licet Marcellinus Papa adorauerit idolum metu mortis, non tamen fuit excusatus à peccato mortali, sed de eo maximam egit pœnitentiam.

Secundo dices si Sacerdos exponeret Hostiam non consecratam adorandam ꝓ consecrata, vel talem tribueret infirmo, aut alteri, committeretne idolatriam? D. Thomas quolibeto 5. q. 6. art. 2. affirmat, & dicit quod adorantes, vel sumentes talem Hostiam excusarentur à peccato idolatriæ, quia putant illam Hostiam, quam adorant, vel sumunt esse consecratam.

Ego dicerem talem Sacerdotem non peccare peccato idolatriæ nisi ipse talem Hostiam adoraret, sed peccaret grauissimè peccato superstitionis illius, quæ est prima species eo modo, & magis quo peccat ille, qui exponit adorandas reliquias falsas; dicerem item quod adorantes, vel sumentes talem Hostiam cum credant eã esse consecratam non peccant, sed merentur, neque committunt idolatriam (nisi materialiter) vt aliqui dicunt, quia ipsi adorant Christum, quem putant esse in tali Hostia.

Tertio dices an licitum sit Sacerdoti ad euitandam irreuerentiam tribuere peccatori petenti Communionem Hostiam nõ consecratam pro consecrata; vel ad euitandum maximum scandalum exhiberet, & exponeret Hostiam non consecratam adorandam pro cõsecrata puta quia species hostiæ consecratæ sunt combustæ?

Ad hoc respondetur ab omnibus Doctoribus communiter quod non, sed esset peccatum mortale graue.

Dices vltimo an ille, qui sumit Hostiam non consecratam de manu Sacerdotis pro consecrata recipiat gratiam?

Ad hoc respondetur cum cõmuni Doctorum opinione, quod recipit gratiam non quidem ex opere operato, sed ex opere operantis, id est non virtute Sacramenti, quia non recipit Sacramentum, sed virtute deuotionis, quam habet, quia existimat se recipere Sacramentum si tamen id faciat in gratia Dei.

Notandum autem hic est primo quod talis si haberet attritionem reputatam cõtritionem non remitterentur ei peccata in tali casu, quia non fieret ex attrito contritus cum Sacramentum non recipiat, secus esset si Hostia esset consecrata.

Notandum est secundo, quod hic in tali casu non reciperet tantam gratiã, quantam reciperet si Hostia est consecrata, & ratio huius est, quia iste diceretur communicare se tantum spiritualiter, & non Sacramentaliter, nam cæteris paribus maior datur gratia illi, qui se communicat Sacramẽtaliter, & spiritualiter simul quia recipit gratiam ex opere operato, & ex opere operantis, quam ille, qui se communicat spiritualiter tantum.

MEMBRVM QVINTVM.

De Diuinatione.

1 *Diuinatio quid sit.*
2 *Species diuinationis.*
3 *Dæmonis inuocatio quotuplex.*
4 *Tacita Dæmonis inuocatio.*
5 *Inuocare Dæmonem quale peccatum.*
6 *Adorans Dæmonem per modum obsecrationis peccat.*
7 *Exercens artem Negromantiæ an peccet.*
8 *Maleficia facere quale peccatum.*
9 *Somnio credens num peccet.*
10 *Abutens Sacris ad veneficia.*

IN hoc membro primo quæritur, quid sit diuinatio? 1

D. Th. 2. 2. q. 95. art. 1. dicit quod Diuinatio est futurorum prænunciatio, & hęc si fiat per inuocationem Dæmonis est superstitiosa, & illa, de qua nunc agimus, non erit autem superstitiosa, si non fiat per inuocationem Dæmonis, sed per causas naturales, vt prænunciant Astrologi tempus, in quo futura est Eclypsis per caussam naturalem, quia ex motu Cęli cognoscunt quando

quando terra erit interposita inter Solem, & Lunam, & Medici prænunciant aliquo in mortem infirmorum, quia ex experientia cognoscunt infirmitatem esse talem, quæ vt plurimum ad mortem inducit.

2 Secundo quæritur quot sint species diuinationis superstitiosæ.

D.Th.2.2 q.95. art.3. varias enumerat diuinationis species, & primo illam, quæ dicitur præstigium secundum quam Dæmones inuocati ita oculos inuocantium perstringunt vt videatur videre multas formas; in quibus Dæmon fit transformatus.

Secundo enumerat diuinationem, quæ fit per somnia ex Dæmonum illusione, q phantasmata dormientes mouere possunt.

Tertio enumerat Negromantiam, in qua fit diuinatio per allquutionem corporum mortuorum in quibus Dæmones futura prænunciant, dicitur enim Negromantia à Nigros, quod est mortuus, & mantia, quod est diuinatio.

Quarto enumerat diuinationem, quæ fit per pythones, idest per Dæmones, qui sunt in arreptitijs.

Quinto enumerat diuinationem, quæ fit per quasdam figuras & signa, quæ à Dæmone imprimuntur in rebus materialibus ad significandum aliquod futurum, vel occultum quæ si fiant in ferro, vel lapide diuinatio dicitur Geomantia, si in aqua Hydromantia, si in aere Areomantia, si in igne Chyromantia, si in spatulis animalium dicitur spatolomantia; item enumerat reu spicium, respicium, & augurium omen, & chyromantiam de quibus speciebus satis fuse agit D.Th.q.cit. sed nobis sufficiat scire, quod omnis diuinatio quæcunque illa sit quæ fit per inuocationem Dæmonis est superstitio quædam, nec erit opus quantum ad præsens nostrum negotium in particulari agere de singulis eius speciebus.

3 Tertio quæritur, quotuplex sit Dæmonis inuocatio.

Resp. quod est duplex alia expressa cum expresse inuocatur Dæmon, alia tacita cum tacite inuocatur, tunc autem præsumitur tacite inuocari Dæmon quando aliquis expectat aliquem effectum ex caussis quæ non habent virtutem naturalem, aut supranaturalem producendi talem effectum, vel quando tales caussæ tanquam necessariæ adiunguntur caussis illis, quæ habent naturalem virtutem producendi espectatum effectum, ita optimè Nau in man.ca. 11.n.22.& D.Thomas fusè 2 2 q.96.

4 Caiet. & Armilla in suis summis verbo Incantatio & Nau n.22 cit afferunt nonnulla exempla, seu nonnullas regulas, ex quibus cognoscitur tacita Dæmonis inuocatio, & primo ex adiuncta aliqua re vana, vt cum dicitur, quod ad habendum talem effectum per aliqua verba Sacra necesse est, vt descripta sint in carta caprina, vel manu sinistra, vel à virgine hoc enim nihil facit quod quisque virtutem. Secundo ex quibusdam caracteribus significatiuis, quorum signi ficationem Dæmon intelligit. Tertio ex quibusdam vocabulis ignotis, vel de quibus nescitur ad quid pertineant. Quarto ex mirabili effectu, qui expectatur vt cognitio cordium hominum, vel repentina sanitas. Quinto ex effectu vano, vt quod ad recitationem versus quinquagesimi Psalmi, moueatur anulus super cordam. Sexto, & vltimo ex falsis adiunctis, vt quod Christus habuit febrim, vel spasmum, vel vxorem, vel ex adiunctis apochryphis, & incertis rebus mirabile enim est inquit Caiet. loco cit. quod Deus voluerit talia manifestare deliris vetulis, & perditis hominibus, & nō Apostolicis, vel Sanctis viris, quare hæc omnia sunt vitanda tanquam Dæmonis deliramenta ad animarum perditionem.

5 Quarto quæritur vtrum inuocatio Dęmonis sit peccatum mortale.

Resp. ex Caiet. in verbo incantatio, & alijs quod semper Dęmonis inuocatio est peccatum mortale de sua natura, siue sit expressa, siue tacita, excusantur tantum ab hoc peccato mortali personæ idiotæ, idest illę, quæ tacite Dæmonem inuocant nescientes se Dæmonem inuocare, & existimantes se tradere operā rei licitæ & hoc verum est antiquam admoneantur, sed postquam admonitæ sunt non amplius excusantur à peccato mortali; similiter si sunt tales, qui nescientes Dęmonem inuocent tacite, quem etiam inuocarent si scirent se talia faciēdo illum inuocare, ita Caiet. loco cit. & alij Doctores.

Ex ijs sequitur primo, quod peccans mor-

mortaliter omnes illi, qui habent Dæmonem in ampula, aut in anulo, vel habent Dæmonem familiarem, vt ab eo certiores fiant de ijs, quæ futura sunt, vel quæ alibi geruntur puta in castris hostium.

Secundo infertur quod peccant illi, qui Dæmonem per modum obseruationis adiurant vt ab eo aliquid discant, quamquã, vt dicit Nau. in man cap. 11. n. 27. licitum est adiurare Dæmones per modum coactionis eos obstringendo Ecclesiasticis Exorcismis imo inquit Nauar. quod licet interrogare Dæmones in arreptitijs sine prece tamen, & sine aliquo societatis pacto ob aliquorum vtilitatem, quin etiam inquit Nau. colloqui cum ipsis Dæmonijs corpora hominum obsidentibus ob curiositatem, vel vanitatem tantum est peccatũ veniale tantum.

Tertio infertur quod illi, qui exercent artem Negromantiæ, vel Magicam, peccãt mortaliter, & si habent libros Magicæ artis non sunt absoluendi, nisi prius eos comburant inquit Nau. cap. cit. num. 23.

Quarto infertur quod peccant illi, qui opera Dæmonis tentant inuenire thesaurum, vel cognoscere fures.

Quinto infertur, quod peccant illi, qui maleficia faciunt, vel facta alijs maleficijs dissoluunt debent enim maleficia dissolui modis licitis puta exorcismis approbatis, aqua benedicta, Sanctorum precibus vera pænitentia, & etiam sine vlla inuocatione soluendo vinculum capillorum, pennarum, vel aliarum rerum, quibus incantatio tenetur.

Sexto peccant illi, qui volunt interrogare diuinos circa aliquod furtum, vel tẽtant id cognoscere sortibus puta cribro, astrolabio &c.

Ex dictis etiam infert Nau. in man. cap. vndecimo n. 38. quod ille peccat mortaliter, qui discit, vel discere vult artem notoriam, quæ certis ieiunijs, & alijs quibusdã vanis obseruationibus pollicetur sciẽtiam infusam, quod etiam dicit D. Th. 2. 2. qu. 96. art. 1.

Item infert Nau. illos peccare mortaliter, qui percũctantur de fortuna sua peregrinum illum, quem Hispani vocant gittariam, Itali Cingaram, & Galli Aegyptium cum animo credendi id, quod respondet; secus si eum percũctantur ridendi gratia, nisi esset aliqua persona talis cõditionis, quæ plebem, vel alios scandalizaret, vt si Episcopus publicè percũctaretur cingarum de fortuna sua, & si id faceret videndi gratia, & non animo credendi id quod Cingarus dicit: ita Nau. ipse capite cit. n. 31.

Item infert Nau. cap. cit. n. 34. quod ille, qui propter somnium, quod somniauit omittit facere aliquid quod tenetur facere de præcepto, vel facit aliquid quod tenetur omittere de pcepto peccat mortaliter, vt si aliquis eo, quod somniauit Ecclesiam cecidisse super ipsum nollet audire Missam timens, ne somnium verificetur, quia multa somnia antea facta verificata fuerunt; hæc enim est Dæmonis ars, vt multa somnia verificare faciat in aliquo, vt tandem eum retrahat ab obseruatione alicuius præcepti, & tandem infert Nau. & bene quod maxime peccat, qui ad 9 veneficia perpetranda vtitur rebus Sacris, vt puta aqua Baptismali, oleo Sacro, Sanctissima Eucharistia, vel formis Sacramentorum, & in nostra Mediolanensi Ecclesia talibus vti ad veneficia est casus reseruatus, atque hæc de diuinatione satis sint.

MEMBRVM VLTIMVM.

De vana obseruatione.

1 *Vana obseruatio quid sit.*
2 *Dans poculum amatorium quando peccet.*
3 *Breuia ad collum gestare.*
4 *Varia occurrentia in vana obseruatione.*

HIC diligenter aduertendum est id, 1 quod in membro antecedenti prænotauimus, videlicet quod semper pręsumitur tacita Dæmonis inuocatio quotiescunque aliquis ad aliquem effectum acquirendum vtitur aliqua caussa, quæ non habet naturalem, aut supranaturalem virtutem producendi talem effectum quotiescunque similem caussam adiungit tamquam necessariam caussis illis, quę habent naturalem virtutem producendi effectum, qui expectatur, & q ppterea talis peccat mor-

mortaliter peccato superstitionis, nisi excusetur à tali peccato propter ignorantiã, & bonam fidem antequam admoneatur, & diligenter ad huius explicationem diligenter notanda sunt illa sex, quæ supra in antecedenti Membro obseruauimus ex Nauario, Armilla, & Caiet.

2 Atque ex illis sequitur primo, qui alteri propinat, siue dat poculum amatorium, vt ab ipso ametur, peccat mortalr, nã certissimum est, quod vel poculum non habet vim inducendi amorem, vel si habet, est ex aliqua re adiuncta opera Diaboli, & sic in tali facto Dæmon saltem tacite inuocatur.

Secundo quod ille, qui sibi, vel alteri procurat sanitatem per aliquas caussas, quæ non habent vim inducendi sanitatem naturaliter, vel supranaturaliter pec. mort. vt si quis procurat sanitatem scindendo vimen, metiendo cingulum, vel spargendo vrinam super aliquam herbam, & cætera huiusmodi.

3 Tertio quod ille, qui ponit spem, & fidem in aliquibus breuibus, quod si ea gestauerit secum non poterit in bello mori, neque vulnerari, aut morte subitanea, aut per ignem, aut aquam, aut quod sic gratiam Principum consequetur.

Similiter peccat mortaliter ille, qui cõsulit, vt scribantur, vel scribit talia breuia, vel portat, vel consulit, vt portentur.

Quarto quod illi, qui portant collo appensa quędam scripta etiam ex Euangelio peccant, nisi ponantur hæ quatuor conditiones, quas ponit Nau. cap. cit. 11. n. 34. & quæ eliciuntur ex D. Thoma 2. 2. q. 96. ar. 4. Prima est, quod vocabula in eis scripta, & res sint deprompta ex Euãgelio, vel Sacra Scriptura, aut ex libris alicuius Sancti viri, & quod illa intelligi, ac legi possint.

Secunda quod in eis non sit descriptum aliquod signũ præter Crucem Iesu Christi, vel aliud Sacrum.

Tertia quod in eis nõ sint descripta aliqua vana, falsa, aut superstitiosa.

Quarta quod non ponatur spes in modo scribendi, aut ligandi, idest quod carta, in qua describendum sit illud debeat esse caprina, vel quę dicitur virginea, vel quod in ea debeat scribi manu sinistra, vel ante ortum Solis, vel quod debeat tribus filis colligari, vel à virgine, vel quod à nemine videatur.

Atque ex hoc infert Nau n. 35. quod ille peccat, qui ponit fidem, vel spem in chorographo scripto potius in die Ascensionis Christi quando legitur Euangeliũ, quam antea, vel post, vel alio die.

Quinto peccant illi, vt ait Nau in man. cap. vndecimo n. 36. qui in die S. Io. Baptistę herbas colligunt credẽtes eas habituras maiorẽ virtutẽ, quia in tali die potiusquã in alio, vel quia ante Solis ortum potiusquam post colligantur. Similiter & illi, qui in die Sancti Stephani iumentis venã pertundunt potiusquam in alio die. 4

Ego tamen crederem, quod si aliquis herbam medicinalem potius in die Sancti Iohannis ex deuotione Sancti colligeret, quam in alia die non peccaret sicut & ille, qui herbas medicinales colligeret recitando orationem Dominicam, vel aliam piã deprecationem semota omni superstitione, seu vana obseruatione.

Sexto quod peccant illi, qui certo credunt sibi aliquid mali euenturum, quia audiunt garrire aues, vlulare lupos, mugire boues, vel rugire leones, vel quia leporẽ obuiant, aut mulieri grauidæ, ita Nau. capite citato numero trigesimo septimo.

Septimo quod peccant illi, qui quę Iam vana obseruant in suis actionibus, vt facere iter potius in vno, quam in alio die vel obseruare, quem pedem primum calceat quis, aut surgens è lecto, quo pede primum terram tangat.

Similiter & ille vana obseruat, qui eo, quod pedem in limine impingit in domũ reuertitur, vel ille, qui eo, quod statim è lecto surgit sternuiat, in lectum reuertitur.

Nau. ex D. Antonino quis citat cap. 11. man. n. 37. dicit tales obseruatores peccare venialiter antequam admoneantur, sed postea admonitos à Confessario, Concionatore, vel Parocho peccare mortaliter.

Multa alia infert Nauar. quæ vos apud ipsum videre, atque hoc de hoc membro, capiteque huius Tractatus dicta sufficiant.

PARS

PARS TERTIA.

DE SECVNDO DECALOGI PRÆCEPTO.

Non assumes nomen Dei tui in vanum.

CVM tribus modis contingat posse nomen Dei in vanum sumi, idest vel per blasphæmiam, vel per iuramentum malefactum, aut male impletum, vel per votum male factum, aut male obseruatum, vt dicit Concil. Colon. in expone secundi præcepti Decalogi. gl. Lyre in expositione secundi capituli Exodi. Ang. in summa verbo interrogatio circa secundum præceptum, vt refert Nauar. in man cap. 12. in principio, & vt dicunt alij Doctores; ideo hæc tertia Pars nostri Tractatus diuidetur in tria capita. In quorum primo agam de blasphæmia; in secundo de iuramento; & in tertio de voto.

CAPVT PRIMVM.

De Blasphæmia.

1 *Quid sit blasphemia.*
2 *Species blasphemia.*
3 *Blasphemia quale peccatum.*
4 *Differentia inter haresim, & blasphemiam.*
5 *Sitnè maius peccatum blasphemia, an homicidium.*
6 *Blasphemia cui pracepto contraria.*
7 *Qualis blasphemia sit peccatum mortale.*
8 *An sit blasphemus homini malum imprecans.*
9 *Deo maledicere an sit blasphemia.*
10 *Quot modis creatura maledicatur.*
11 *Dæmoni maledicens an peccet.*
12 *Maledictio quotupliciter excusetur à peccato.*
13 *Quotupliciter contingat maledictio?*

IN hoc capite primo quæritur quid sit blasphæmare. 1

Resp. ex Caiet. in sũma verbo Blasphæmia, quod blasphæmare est vel attribuere Deo, quod non habet (intellige, & Sãctis) vel demere de Deo, quod habet (intellige, & de Sanctis) vel attribuere creaturæ id quod propriè ad Deum pertinet, vel alio modo Dei, vel Sanctis iniuriam irrogare.

Quare blasphæmiæ sunt quasi quatuor species; prima secundum quam Deo tribuitur, quod non habet, & in hac peccant illi, qui dicunt Deum esse parcialem.

Secunda species est illa, secũdum quam à Deo demitur quod habet, & in hac peccant illi, qui dicunt Deum non posse oĩa, vel esse iniustum; tertia species est illa, secundum quam creaturæ tribuitur id quod est proprium Dei; & in hac blasphæmant illi, qui dicunt Solem, vel Diabolum esse omnipotentem; quarta species est, secundum quam Deo, vel Sanctis irrogatur iniuria: & in hac peccant illi, qui irreuerenter nominant membra Christi, Sanctissimæ Virginis, aut Sanctorum. 2

3 Secundo, an blasphæmia sit peccatum mortale.

Resp cum D. Th 2.2.q 13 art. 1. & sequentibus, Nauar. in man. cap. 12. num 82. Caiet. Arm. Tab. Sylu & alijs DD. in suis summis verbo Blasphęmia, quòd blasphęmia est peccatum mortale, & grauissimũ: & ratio huius est, quoniam est contra confessionem fidei, & contra charitatem Dei; quamuis blasphæmia non sit dicenda hæresis, quia blasphæmia in dicendo tantum consistit; hæresis vero in credendo præcipuè, Aliud autem est credere, aliud vero dicere?

Et notandum hic est, quod non omnes blasphæmiæ sunt in grauitate æquales, nã grauior est blasphęmia, quæ est in Deum, quam illa, quæ est in B. Virginem; & illa quæ est in B Virginẽ est grauior quam illa, quæ est contra alios Sanctos; & inter blasphæmias, quæ sunt contra Deum illa est alijs grauior, secundum quam maior Deo irrogatur iniuria.

4 Sed dices quędnam est maius peccatum hæresis ne, an blasphæmia?

Resp quod blasphæmia; quia blasphæmus asserit de Deo illud, quod credit, vel scit esse falsum: hæreticus vero asserit de Deo id, quod credit esse verum; quod si non crederet non assereret, nisi & ipse vellet esse blasphæmus; sicut magis peccaret; vel maiorem iniuriam irrogaret in mulierem honestam, si quis sciens eam esse honestam assereret eam esse meretricem, quam si idem assereret, credens eam non esse honestam, vel esse meretricem.

5 Tertio quæritur vtrum blasphæmia sit maius peccatum, quam homicidium?

Ad hoc resp. quod blasphæmia, & homicidium possunt dupliciter considerari, vel quantum ad obiectum; & si considerentur hoc modo maius peccatum est blasphæmia, quam homicidium, quia blasphæmia fertur contra Deum; homicidiũ vero contra proximum immediatè; vel consideratur blasphæmia, & homicidium secundum nocumentum, quod inferunt; & secundum hanc considerationem maius peccatum est homicidium, quia homicidium infert nocumentum proximo, blasphæmia vero non infert nocumentum Deo.

Sed quoniam grauitas peccati non cõsideratur quantum ad effectum simpliciter; sed quantum ad intentionem peruersæ voluntatis; ideo absolutè dicendum est blasphæmiam esse maius peccatum, quam homicidium; licet homicidium sit maximum peccatorum inter ea, quæ contra proximum committi possunt; Ita Tab. in summa ex D.Th. verbo blasphæmia §.4.

Quarto quęritur vtrum blasphæmia sit contra primum, aut secundum præceptum? 6

Resp quod blasphęmia potest considerari duobus modis, vel prout opponitur confessioni fidei, & hoc modo est contra primum præceptum Decalogi, vel prout per eam nominatur nomẽ Dei in vanum, & hoc modo est contra secundum; quod si primo modo consideretur blasphæmia sit contra primum præceptum probatur quia contra confessionem fidei est etiam infidelitas, & infidelitas opponitur illi præcepto, ad quod reducitur præceptum fidei; quod si consideretur blasphæmia secundo modo sit contra secundum præceptum probatur, quia si periurium reducitur ad peccata, quæ sunt contra secundum præceptum, quia per illud nominatur nomen Dei in vanum, multo magis ad idem secundum præceptũ reducitur blasphęmia, quia multo magis, in vanum nominatur nomen Dei per blasphæmiam, per quam falsum dicitur de Deo, quam per periurium, per quod falsum asseritur de alia re per testimonium Dei, ita Tabienis in summa verbo blasphæmia §. 4.

Quinto quæritur vtrum omnis blasphęmia sit peccatum mortale. 7

Ad hoc resp. Caiet. in summa verbo blasphæmia, quod omnis blasphæmia est peccatum mortale si fiat ab eo, qui sit mẽtis compos, nisi excuseiur ab inaduertentia, & hoc contingit, quando aliquis blasphæmat quidem nesciens se blasphæmare, & non considerans, aut aduertens sensũ verborum, quem si aduerteret nulla ratione illa proferret. Idem dicit Nau. in man. cap. 12. num. 84.

Sexto quæritur vtrum dicere ad Sanguinem, seu ad Corpus Dei sit blasphæmia.

Ad hoc D. Th. q. cit. Caiet. & alij Summistæ

istæ in verbo Blasphæmia, quod post-tam Deus Opt. assumpsit carnem humanam, & propterea est verum dicere, quibet verum Corpus, & Sanguinem non ł blasphæmia, dicere ad Corpus, & Santinem Dei sicut nec est blasphemia dicere ad Corpus, & Sanguinem Christi, quia eo sicut & Christo non tribuitur, quod in habet, secus etiam & si talia diceretur iniuria irrogaretur Deo, vel de Deo, vt eus est, & non vt homo est, quia Deus, Deus non habet Corpus, vel Sanguinem, sed vt Deus homo factus.

Vltimo quæritur vtrum dicere, vt vul dicitur, veniat tibi cancer, veniat tibi ftis, veniat tibi febris, vtinam occidaris, similia sit blasphæmare?

Ad hoc resp. cum Diu Th. 2.2.q.76 vbi it de maledictione; cum Syl Tab & alijs mmistis in verbo maledictio, quod ta dicere homini, non est blasphæmare, d maledicere; & quod non sit blasphæare probatur, quia cum talia dicuntur mini non attribuitur Deo, quod non habet, e demitur de Deo, quod habet, nec atibuitur creaturæ id, quod soli Deo comtit, &c.

Quod autem sit maledictio probatur, ia maledicere est malum alicui dicere, d qui talia dicit alicui, malum ei dicit, ide maledictio, vt dicit Diuus Thomas, luest. Tabiensis, locis citatis, & alij est precatio mali in aliquem; ille enim madicit, qui malum alicui deprecatur.

Sed quoniam aliquando maledictio est asphæmia, aliquando licet non sit blahęmia est tamen peccatum mortale aliando tantum peccatum veniale, & aliqñ illum peccatum, ideo hic de ea agen im est. Ad cuius pleniorem notitiam uatuor sunt notanda.

Primo quod aliquis potest alicui madicere, idest malum deprecari, duobus odis, vel deprecando illi malum, vt maim est, vel non vt malum, idest non sub tione mali, sed sub ratione boni, honei, & vtilis, sub ratione, boni, honesti, & ilis ille dicitur deprecari alicui malum, ui illi deprecatur malum, vel ne ab ipso ali supprimantur, vel vt ipse ad salutem imæ suæ corrigatur, vel propter zelum stitiæ Dei, & Reipublicæ lætatur, enim iustus cum viderit vindictam peccatorum in sanguine. Si deprecatio mali, idest maledictio alicui fiat sub ratione boni honesti, & vtilis non est peccatum, & hoc modo non peccat, qui dicit possit occidi Turca, ne videlicet ab ipso opprimatur iusti, & qui dicunt occidantur latrones, ne inuadant iter agentes, velut in ipsis exerceatur iustitia Dei, vel Reipublicæ, vel vt alij reprimantur, ne & ipsi fiant latrones.

Tunc autem fit maledictio sub ratione mali inquit Caiet. in summa verbo maledictio, cum quis alicui maledicit, & nihil plus, idest illi optat, & desiderat malum, sed non in ordine ad aliquem bonũ finem, & hoc modo maledictio est peccatũ mortale de sua natura, quia est contra charitatem proximi, & contra quintum præceptum Decalogi, nam si contra illud fit inferendo malum in proximum, ita & contra illud fit, obtestando, vel deprecando proximo malum.

Secundo notandum est, quod quando aliquis maledicit; vel maledicit Deum, vel hominem; vel creaturam irrationalẽ; vel Diabolum.

Dico primo, quod si aliquis maledicit Deum blasphæmat, & mortaliter peccat, quod blasphæmet probatur, quia Deo attribuit malum, quod Deus nec habet, nec habere potest; quod peccet mortaliter probatur, quia si aliæ blasphæmiæ sunt peccata grauia; grauissima hæc erit secundum quam non tantum malum dicitur de Deo, sed malum optatur Deo. 9

Dico secundo, quod si aliquis maledicit hominem, vel id facit, vt creatura Dei est, & hoc est peccatum mortale, & blasphæmia etiam, vel id facit intelligendo hominem, & maledictionem sub ratione boni, honesti, vel vtilis, vt diximus, & hoc nõ est peccatum, vel hoc facit intelligẽdo deprecationem mali sub ratione mali, & hęc non est blasphæmia, sed peccat mortaliter contra primum, vel octauum præceptum.

Dico tertio, quod creatura irrationalis, cui maledicitur potest considerari tribus modis, vel secundum se, vel in ordine ad Deum, vel in ordine ad hominem. 10

Si consideretur secundum se, maledicere creaturæ irrationali non est peccatũ mortale, sed veniale tantum, quia est veluti

verbum otiosum.

Quod non sit peccatum mortale probatur nam si licet homini occidere absque peccato boues, mulos, asinos, & equos; ita & illi licebit absque peccato mortali illis deprecari malum, pura pestem, infirmitates, & demũ mortem; & hinc fit quod non sint condemnandi de peccato mortali muliones agricolæ, & allj qui toties deprecantur suis animalibus pestem mortẽ, &c. quia si sine peccato mortali possunt ea occidere, ita & sine peccato mortali possunt illis mala deprecari, est tamen hoc peccatum veniale, & tanto grauius quanto magis est in vsu.

Si aliquis maledicit creaturę irrationali in ordine ad Deum, idest tantum prout est creatura Dei peccat mortaliter peccato blasphæmiæ, quia hoc est irrogare iniuriam in Deum:

Sed si aliquis maledicit creaturæ irrationali in ordine ad hominem; Si talis considerat creaturam irrationalem, vt ordinatur in bonũ hominis, idest in eius subuentionem peccat mortaliter, quia idẽ est, ac deprecari proximo malum, secus tñ esset si malũ ordinaretur in bonũ, honestum, vel vtile, vt diximus supra; vel talis maledicẽs considerat creaturam irrationalem, vt refertur, & ordinatur in malum hominis, & sic qui maledicit non peccat, & hoc modo Iob maledixit diei conceptionis suæ, quia ipse in tali die contraxit culpam originalem, Dauid maledixit montibus Gelboë, quia in ipsis occisus fuit populus Dei; Xp̃s Dominus in Euangelio maledixit ficulneæ, quia ficulnea tunc significabat sterilitatem populi Israelitici circa spiritualia.

11 Dico quarto, quod maledicere Dæmonem secundum se, & creaturam Dei est malum, & peccatum; sed maledicere illũ vt malus est, & caussa mali non est peccatum.

12 Tertio notandum est, quod maledictio quælibet si fiat verbis tantum, & non cum animo vt malum, quod quis imprecatur creaturæ, & desiderio, vt illi eueniat, non est peccatum mortale; sed tantum si fiat cũ animo, & desiderio tali, atque hinc excusantur à peccato mortali illi, qui ex subreptione maledicunt non aduertendo ad id, quod dicunt similiter, & illi qui dicunt ex ioco, & pariter excusantur matres, quæ dilectis suis filijs maledicunt dicentes, veniat vobis pestis, &c non enim probabile est, quod animus coniungatur verbis, si tamen esset animus cum verbis esset peccatum mortale.

Vltimo notandum est, quòd ad hoc, vt consideretur an animus sit cum verbis, qñ aliquis alteri maledicit in furore iræ non est tantum pensandum tempus quietis, id est tempus, in quo cessatum est ab ira, sed est considerandum etiam tempus iræ, nam si quando aliquis iratus deprecatur alicui aliquod malum, cum desiderio, & animo, vt illi tunc obueniat, vel postea peccat mortaliter etiam si tempore quietis nollet obuenisse illi malum illud quod desiderabat tempore iræ, & ratio est, quia si tempore iræ aliquis occidit aliquem peccat mortaliter, etiamsi post iram nollet occidisse. Similiter & qui tempore irę desiderat malum alicui alicuius momenti peccat mortaliter etiamsi post iram nollet malum illud obuenisse, vel obuenire.

Dixi malum alicuius momenti, quia sicut paruitas rei excusat à mortali in alijs peccatis; ita & maledictione, si enim aliquis alicui paruum malum deprecatur peccat tantum venialiter propter paruitatem rei.

13 Hæc quatuor notata habentur apud Caiet. in summa verbo maledictio, quibus potest etiam addi ad pleniorem doctrinã id, quod notat D.Th. 2.2.q.76. vbi agit de maledictione art. 1. nempe quod ille, qui maledicit, idest malum alicui, vel de aliquo dicit, vel maledicit enunciatiuè, seu indicatiuè, vel imperatiuè, vel optatiuè.

Ille dicitur maledicere indicatiuè, qui malum de aliquo dicit nõ optando, vt illi eueniat, sed enunciando id quod iam euenit, & hoc malum si est culpæ maledictio erit detractio, seu infamatio, seu murmuratio, & de hac hic non agimus, sed agendum erit in prima parte circa octauum præceptum huius nostri Tractatus.

Ille dicitur maledicere imperatiuè alicui, qui potens est verbo malum inferre, & hoc modo, Christus maledixit ficulneæ, quia verbo eam aridam fecit; dicere enim Dei est facere.

Tertio

Tertio maledicere optatiuè, & hoc est deprecari alteri malum; & propriè maledicere, & de hac maledictione tantum hic est dictum, atque hæc de hoc capite.

CAPVT SECVNDVM.

De Iuramento.

HOC caput diuiditur in quatuor mẽbra, in quorũ primo de Iuramẽto dicam quid sit, & quotuplex; In secundo dicam an iurare sit licitum, & quando; In tertio dicam de iuramento promissorio, quam vim habeat obligandi, Et in quarto dicam de relaxatione iuramenti promissorij.

MEMBRVM PRIMVM.

De Iuramento quid sit, & quotuplex sit.

1 *Iuramentum quoad quid nominis.*
2 *Iuramentum quoad quid rei.*
3 *Quot modis Deus adduci possit in testem.*
4 *An iurare dicatur, qui dicit, Ad fidem.*
5 *Dicens, Deus scit an veritatem dicam, num censeatur iurare.*
6 *Iuramentum quotuplex sit.*
7 *Iuramentum execratorium.*
8 *Varij modi iurandi.*

1 IN hoc membro primo quæritur quid sit Iuramentum quantum ad nomen, seu quæ enam sit ethymologia vocis?

D. Th. 2.2.q.89 art.1. quem sequuti sunt Syl. Tab & alij Sũmistæ i suis summis verbo Iuramentum; dicit quod iuramentum dicitur quasi à iure introductum, quia iuramentum adinuentum est à Iuris Peritis ad decidendas, terminandas, & finiendas lites, & controuersias; quando veritas non potest cognosci per testes, per rationes, aut per alia inditia sufficientia. Vnde & nos videmus, quod statim ac actor defert reo iuramentum, & reus iurat finitur lis, & terminatur controuersia.

2 Secundo quęritur quid sit iuramentum quantum ad rem?

Sylu. verbo iuramentum primo in sua summa §. 1. ita deffinit iuramentum. Scilicet

Iuramentum est affirmatio, vel negatio de aliquo facto, vel faciendo Sacræ rei attestatione firmata, &

Dicit de aliquo facto, vel faciendo vt comprehendat iuramentum assertorium, quod vt plurimum est de facto, & promissorium quod est de faciendo.

Dominicus Soto lib. 8. de iustitia, & iure q. 1. art. 1. ita deffinit Iuramentum.

Iuramentum est dictio diuina attestatione confirmata, vbi per dictionem dicit se intelligere affirmatiuam, & negatiuam, hoc est affirmationem, & negationem.

Nau. in man. cap. 12. n. 1. ita deffinit iurare.

Iurare est affirmare, vel negare aliquid inuocando tacitè, vel expresse Deum in testem tamquam infallibilem veritatem.

Sed melius omnibus ita D. Th. art. cit. deffinit iurare dicens.

Iurare esse Deum in testem inuocare, hæc enim deffinitio est melior cæteris, quas attulimus, & quæ afferri possunt, primo quia est D. Thomę, quam ipse dicit esse desumptam ex D. Augustino.

Secundo quia est magis secundum regulas Aristotelis, quas de deffinitione ponit in secundo posteriorum, quia est clara, & breuis.

Tertio quia cæteræ deffinitiones iuramenti, quas attulimus, & quæ afferri possent sunt potius istius deffinitionis explicationes, quam diuersæ deffinitiones.

Et iuxta hanc deffinitionem possumus dicere iuramentum esse inuocationẽ Dei in testem, nam si iurare est Deum in testem inuocare, Iuramentum est Dei inuocatio in testem.

Sed pro clariori notitia dictæ deffinitionis D. Th. & aliarum etiam notandum est primo, quod Deus potest in testem duobus modis inuocari, idest vel expresè, vel tacite; expresè vt cum quis dicit, res ita si habet, vel se habebit per Deum; tacitè vero vt cum quis absque verbo iurat tangendo scripturam, quæ sibi à Iudice, vel alio porrigitur ad hoc, vt iuret, vel ponendo manum ad pectus vt faciunt Sacerdotes cum iurant corã sęculari notario. 3

Secun-

Secundo notandum est, quod adhuc dupliciter Deus potest adduci in testem. idest vel formaliter vt cum quis nominat Deũ, quem adducit in testem dicendo, res ita se habet per Deum; vel virtualiter, vt cum quis iurat ad Sancta Dei Euangelia, vel per Sanctos tunc enim intelligitur adducere Deum in testem, cuius infallibilis veritas relucet in Euangelijs, vel manifestata fuit, aut testificata per Sanctos; Vnde cũ iurans dicit ad Sancta Dei Euangelia virtute idem est, ac si formaliter diceret adduco Deum in testem veritatis, quam dico, cuius veritas manifestatur in Euangelio. Et licet ad iurandum quælibet scriptura possit porrigi illa tamen vt dicunt aliqui Doctores quæcunque sit in tali casu censetur, representare Sãcta Dei Euangelia.

Tertio notandum est, quod rursus adhuc duobus modis potest Deus in testem inuocari, idest vel explicite. Vt cum quis dicit allego, vel adduco Deum in testem, seu testis sit mihi Deus, vel implicitè, vt cum quis dicit Per Deum, per crucẽ Dei, per fidem, viuit Deus, vt fiebat in Testamento Veteri, per Sancta Dei Euangelia, & similia, quæ implicitè sonant idem, ac Deum in testem inuoco.

Ex ijs infertũ primo, vt benè dicit Nau. in man cap. 12. n 2. & Syluester in summa verbo Iuramentum 1. §. 4. quod non iurat ille, qui dicit per fidem meam, in veritate mea, per fidem gentilis hominis, seu ad fidem nobilis hominis, quia hoc non est aduocare Deum in testem, secus esset si quis diceret per fidem Dei, per veritatem Dei.

4 Quod si dicas si aliquis diceret ad fidem vel ad veritatem absolutè, absque eo quod adiungeret meam, vel Dei censeretur ne iurare?

Ad hoc resp. facilè Doct. quod si talia diceret intelligendo de fide, & veritate Dei iuraret, secus si talia diceret intelligendo de fide, vel veritate humana.

Quod si dicas, quid si ad neutram aduerteret. i. neque cogitaret de fide Dei, aut de fide hominis, vel de veritate Dei, aut de veritate hominis.

Resp. quod postquam talis non aduertebat, neque intendebat iurare ad fidẽ Dei vel ad veritatem Dei non iurauit.

Secundo infertur, quod non iurat ille, 5 qui dicit Deus scit an verum dicam, vt dicit Nau loco cit. licet Dominicus Sotus contrarium existimauerit lib. 8. de iustitia, & iure q. 1. ar. 2. & hoc ego probarem hac ratione, quia si aliquis dicit de alio, Deus scit an verum dicat, non ideo iurat; ita nec iurat si de se ipso dicit, sed, vt benè dicit Nau loco cit. iurat ille, qui dicit Deus scit me verum dicere, quod idem dicit Sotus loco cit licet contrarium senserit Caiet. 2. 2. q. 89. art. 2. & hoc posset probari hac ratione, quia si aliquis de alio diceret Deus scit illum verum dicere censeretur iurare secundum verum, & sanum intellectum, quia vt dicit Sotus loco cit. adduceret in testem diuinam scientiam, ita & si de se diceret Deus scit me verum dicere.

Secundo quæritur quotuplex sit iuramentum Caiet. in summa verbo periur. ũ dicit iuramentum esse triplex scilicet assertorium cum quis iureiurando asserit aliquid ita esse, vel fuisse. Promissorium cum quis iurando aliquid alteri promittit; & comminatorium cum quis comminando eum iuramento minatur alteri malum.

Alij Doctores vt D. Th. q. cit. Tab Syl. & Angelus non faciunt mentionem de iuramento comminatorio, tamquam quod sit distinctum à promissorio, sed illud reducunt ad promissorium, & dicunt duplex esse iuramentum scilicet assertorium, & promissorium.

Rursus iuramentum, siue sit assertoriũ, siue promissorium adhuc duplex est, idest vel execratorium, vel non execratorium.

Iuramentum execratorium est illud, 6 quo adducitur Deus in testem, & punitorem, vt cum quis dicit, res ita se habet possim occidi idem enim vt dicunt Doctores præcipuè Sotus loco cit. est, ac si quis diceret adduco Deum in testem, & si mentior puniat me morte, vt hoc modo reuelet veritatem, & ad hoc reducitur, inquit Sot. illud iuramentum quo inuocatur Deus, & in testem, & in remuneratorem veritatis, vt cũ qs dicit ita est sic me Deus adiuuet, idem enim est, ac si diceret, inquit Sotus adduco Deum in testem huius, & si veritatem dico Deus me adiuuet, sub qua

phrasi

phrasi intelligitur contradictoria, idest si veritatem non dico Deus me perdat.

Sed hic est dubium vtrum diuersum sit dicere per Deum, seu per fidem, ad fidem Dei, in fide Dei, & supra fide Dei.

Diu. Bonauentura lib. 3. sententiarum dist. 39 dicit quod hęc sunt iuramenta æqualia etiam si fiant per diuersas præpositiones, atque hæc de hoc membro dicta sufficiant, nam licet alias diuisiones iuramenti afferat Sotus artic. citat. & alij Doctores eas nos consulto prætermittimus, quia nihil, aut parum ad rem faciunt.

MEMBRVM SECVNDVM.

An Iuramentum sit licitum, & quando.

1 *An liceat iurare.*
2 *Satisfit dubijs in Scriptura.*
3 *Num Iuramentũ sit aliquando de pręcepto.*
4 *An sit actus religionis.*
5 *Iurans per Dæmonem, & falsos Deos peccat.*
6 *An liceat iurare per creaturas.*
7 *An liceat iurare per membra Christi.*
8 *Quomodo sit iurandum & quibus circunstantijs*
9 *Periurium an semper sit peccatum.*
10 *An peccet iurans se scire, quod tantũ credit.*
11 *An ioco iurans falsum sit periurus.*
12 *Iuramentum iniustum an sit peccatum.*
13 *Iuramentum sine iudicio.*
14 *An iuramentum sit frequentandum.*

1 IN hoc membro primo quęritur an iuramentum sit licitum.

Resp. quod D. Th. 2. 2. quæst. 89 art 2. affirmatiuè, & ita tenent omnes Catholici Doctores, & contrarium est hæreticum, & quidem quod iuramẽtum sit licitum probatur primo auctoritate Sacræ Scripturæ dicitur enim Deuter. cap. 6. Dominum Deum tuum timebis, & per nomen eius iurabis. Secundo probatur ratione originis, quia vt dicit D. Th. loco cit. iuramẽtum fuit introductum ex fide, qua credimus Deum esse infallibilem veritatem, & habere vniuersalem omnium rerum cognitionem, & promissionem. Tertio probatur ratione finis, quia iuramentum fuit introductum, vt diximus membro antecedenti quæsito primo ad dirimendas lites, & finiendas controuersias similiter, & ad iustificandum hominem, ita D. Th. art. 2. citato.

Sed dicet aliquis illud non est licitum, quod prohibetur in Sacra Scriptura, sed iurare prohibetur in Sacra Scriptura, igitur iuramentum non est licitum, quod iurare prohibeatur in Sacra Scriptura probatur quia Christus Dominus Matth. 5. dixit nolite iurare omnino, neque per cęlum, neque per terram, neque per Hierosolymam, neque per caput nostrum, &c. Item Iacobi. 5 legitur ante omnia patres mei nolite iurare, neq; p cęlũ, neque per terram, neque aliud quocunque iuramentum. 2

D. Hier. in commentarijs sub caput 5. Diui Matth. dixit Christum prohibuisse iurare per creaturas, vt euitaretur peccatũ Idolatriæ, sed bona esset hæc responsio, nisi adhuc vigeret id quod affertur ex D. Iacobo, qui absolutè dicit, neque aliud quodcunque iurare eorum, vt bene notat Sotus lib 8. de iustitia, & iure quæst. prima artic. 2.

Sanctus Th. 2. 2. q 89. ar. 2. dicit ex Diu. Augustino quod Christus non prohibet iuramentum, sed facilitatem iurandi, ne ex facilitate fiat consuetudo, & ex consuetudine perueniatur ad periurium.

Dominicus Sotus artic. cit. facilius respondet ad loca citata Sacræ Scripturæ, quod videlicet in illis dicitur non iurandũ non semper, sed vbi nõ ẽ aliqua necessitas, vel magna vtilitas, itaut sẽnsus sit nolite iurare omnino &c quotiescunq; non est aliqua necessitas, vel magna vtilitas.

D. Bonauentura libro tertio sententiarum dist. 39. nescio quid dialecticę hic commiscuit dicens quod quando particula, omnino, ponitur post verbum non excludit totum, sicuti quando ponitur ante verbum, si enim Christus dixisset omnino nolite iurare, prohibuisset oẽ iuramentum quia omnino fuisset ante verbũ, sed quia dixit nolite iurare, omnino non

prohibuit omne iuramentum, sicut cum dialecticè negatio postponitur signo vniuersali affirmatiuo negat totum, secus si ponatur ante, vt omne rónale animal est homo, facit sensum falsum, si vero nō ponatur ante omne, non facit sensum falsum, idest non omne animal est homo; Sed vt bene dicit Sot. art. cit. non est credendum, quod Christus tunc temporis meminerit huius dialecticæ.

Quare respondendum est ad loca scripturæ cit. vt resp. D. Th. vel Sotus.

Secundo dicet aliquis, id quod est à malo, malum, & illicitum est, sed iuramétum est à malo, igitur iuramentum malum, & illicitum est.

Quòd id, quod est à malo sit malum, & illicitum probatur, quia arbor mala, vt dicit Christus Matth. 7. non potest bonos fructos facere; & quod iuramētū sit à malo probatur auctoritate Christi, qui Matt. 5 dicit sit autem sermo vester, est est, non non, quod his abundantius est à malo est.

Ad hoc resp. D. Th. art cit. quod Christus non dixit iuramentum esse malum, quia si fiat cum debitis circunstantijs est licitum. Sed iuramentum esse à malo, quia caussatur ex infirmitate illius, cui præstatur, qui nō vult credere. Addite vos quod iuramentum etiam potest dici esse à malo, quia venit ex infirmitate iurantis, qui cum sit homo est mendax, nec semper dignus cui credatur, omnis enim homo mendax, vt dixit Dauid.

3 Tertio dicet aliquis iuramentum est ne aliquando in præcepto.

Dominicus Soto, & bene art. cit. affirmat, vt quando aliquis innocens iuramēto potest liberari à morte.

Adde tu quod etiam tenetur homo iurare quando ab eo iuramentum exigitur à Iudice competente procedente secundum ordinem iuris.

4 Secundo quæritur vtrum Iuramentum sit actus Religionis.

Resp. affirmatiue, ita D. Th. 2. 2. q. 89. art. 4. Caiet. in commentarijs supra eundem articulum. Dom. Sot. libro 8. de iust. & iure q. 1. art. 4. Syl. in summa verbo latria in principio. Nau. in man. cap. 12. nu. 2. & alij Doctores, & probat D. Th. hac ratione, Ille est actus religionis, seu latriæ quo Deo exhibetur honor, sed per Iuramentum Deo exhibetur honor, igitur iuramentum est actus latriæ.

Quod per iuramentum exhibeatur Deo honor probatur, quia in iuramento attribuitur Deo honor infallibilis veritatis; & vniuersalis cognitionis omnium rerum.

Deinde probat D. Th. idem auctoritate D. Hier. qui dicit qui iurat, aut diligit, aut veneratur eum, per quem iurat, & auctoritate Arist. qui in primo Metaph: dicit iuramentum esse honorabilissimum.

Ex ijs infertur primo, quod ille, qui iurat per Deos falsos puta per Iouem, Saturnum, Diabolum, vel Maumetum peccat mortaliter, quia committit idolatriā, & blasphæmat, vt dicit Nau. in man. cap. 12. n. 4. 5

Et quod committit idolatriam probatur, quia ille committit idolatriam, qui creaturæ tribuit cultum diuinum, sed qui iurat per falsos Deos, ant per Diabolum, vel Maumetum tribuit creaturæ cultum qui debetur Deo, ergo committit idolatriam.

Quod tribuat creaturæ honorem, qui debetur Deo probatur, quia tribuit creaturę honorem infallibilis veritatis, & vniuersalis scientiæ, qui Deo tantum tribui potest, & debet.

Et quod peccet peccato blasphæmiæ probatur quia ille blasphæmat, qui tribuit creaturæ id quod est proprium Dei, sed qui iurat per falsos Deos tribuit creaturę infallibilem veritatem, & vniuersalem rerum cognitionem, quæ est propria Dei, ergo blasphæmat.

Secundo infertur quod illi, qui iurant per creaturas, puta per cęlos, per astra, per Euangelia peccāt mortaliter peccato idolatriæ, & blasphæmiæ. 6

Si per creaturas intelligunt creaturas secundum se non referendo eas ad Deum, quia honorem diuinum tribuunt creaturæ, & id quod est proprium Dei, idest infallibilem veritatem, & vniuersalem cognitionem, & hoc est inquit D. Hier. id quod prohibuit Christus Mat. 5. cum dixit nolite iurare omnino per cælum, &c.

Et quod iurare per creaturas secundum se sit peccatum mortale propter rationem dictam affirmant D. Th. 2. 2. q. 89. artic. 6. Caiet.

Caiet. ibidem Dominicus Sotus lib. 8. de iust.& iure,& Sūmistæ i verbo iuramentū; secus esset si quis iuraret per creaturas, vt faciunt Christiani cum iurant per Euangelia, vel per crucem, idest non considerando eas secundum se; sed in ordine ad Deum, idest prout in eis relucet veritas Diuina, vt supra diximus membro pri-
7 mo.

Sed dicet aliquis, licet ne iurare per membra Christi, vel Sanctorum.

Resp. quod non si intelligantur membra secundum se sicut diximus de alijs creaturis, & quod sic si intelligantur membra Christi, vel Sanctorum prout in eis relucet Diuina veritas.

Secus tamen esset si quis iuraret per membra verecunda pudenda Christi, vel Sanctorum etiam sub hac ratione, quia hoc esset blasphæmia, nam sic irrogatur Deo,& Sanctis iniuria,vt diximus de blasphæmia cap. primo, & ita dicit Sylu. in summa verbo Iuramentum 2. §. 10.

8 Tertio quæritur quomodo sit iurādum, seu quos comites debeat Iuramentum habere?

Ad hoc resp. D. Tho. 2.2 q.89. artic. 3. quòd Iuramentum debet habere tres comites, idest veritatem, iustitiam, & iudicium. Idem dicit Caiet. in Commnetarijs suis super eodem articulo.

Dominicus Sotus lib. 8 de iustitia,& iure qu. 1. artic. 3. Caiet. etiam in sua summa verbo Iuramentum, Syl. Tab.& alij Summistæ in verbo Iuramentum ...

Et probat hoc D. Th. auctoritate Hier. 4. vbi dicitur Iurabis, Deus viuit, in veritate, iustitia,& iudicio, quod exponens D. Hier. dicit aduertendum esse hos esse tres comites iuramenti, veritatem videlicet, iustitiam,& iudicium.

D. Th. art. cit. explicat comites iuramēti dicens, quod iuramentum debet esse cum veritate, idest, quod debet non esse falsum, maximè quantum ad animum, & conscientiam, idest quod homo si iurat debet iurare id, quod est verum, sed multo magis id quod existimat esse verum, quia potest fieri quod aliqua res sit vera, sed aliquis vel non credat, vel nesciat eam esse veram, vel dubitet an sit vera.

Secundo dicet quod Iuramentum debet esse cū iustitia, idest de re licita, atque ex hoc Syl. in summa verbo Iuramentum 2. §. 5. dicit D. Th. referre veritatem ad Iuramentum assertorium, Iustitiam vero ad promissorium.

Tertio dicit quod Iuramentum debet esse cum iudicio, idest quod debet fieri cōsideratio cum debitis circunstantijs maximè quando adest necessitas, vel vtilitas magna,& non aliter.

Quare vt dicit D. Th. illud iuramentū caret veritate, quod est falsum,& illud caret iustitia, quod est de re illicita, scilicet facienda & illud caret iudicio, quod fit temerè. Iuramentum sine primo comite est falsum, sine secundo iniquū, sine tertio temerarium.

Sed dicet aliquis primo, Iuramentum 9
sine primo comite, idest sine veritate estne semper peccatum mortale?

Ad hoc resp. Caiet. in summa verbo periurium, Nau. in man. cap. 12 nu 5.6. & 7. Syl. Tab & alij Summistæ in verbo periurium: item omnes alij Doctores, quod Iuramentum falsum semper est peccatum mortale in quacunque materia, seu pro quacunque re fiat, etiam si sit parua quibuscunq; verbis fiat, pro quacunq; caussa fiat, quocunque loco fiat, & quo unque tempore,& à quocunque fiat, modo habeat vsū rationis,& quomodocunq; fiat; siue fiat ex coactione, siue ex maximo motu, siue ioco, siue consuetudine, siue leuitate, siue excusatione, Et ratio huius est, quia quotiescunque quis iurat falsum adducit Deum in testem falsitatis, & propterea profitetur Deum testem falsum, & mendacem, quòd est maximè iniuriosum de homine, & multo magis de Deo, & ideo nō potest excusari aliquis à peccato mortali si iurat falsum, aliter quam propter imperfectionem actus, vel ex parte iurantis quando videlicet iurat lapsu linguę nō intendens, neque aduertens se iurare, vel ratione rei quando aliquis adhibita diligentia putet aliquam rem esse veram, & propterea iurat eam esse veram, quod non iuraret vlla ratione; nisi putaret ita esse.

Et dixi, adhibita diligentia, quia si non adhiberet diligentiam ad cognoscendum

an id quod iurat sit falsum nec ne profecto peccat mortaliter, vt dicit Nau. loco citato.

Ex his infertur primo, quod ille, qui iurat falsum aduertenter peccat mortaliter, & grauissimè.

Secundo quod ille qui iurat verum, sed credens esse falsum etiam peccat mortaliter, quia Iuramentum tale licet materialiter sit verum, formaliter tamen dicetur falsum.

Tertio quod ille, qui iurat aliquam etiã esse veram de qua dubitat an sit vera peccat mortaliter.

10 Quarto quod ille, qui iurat hoc, vel illud ita esse, cum tamen nesciat, sed tantum credat illud ita esse, peccat, vt si aliquis cui crederem diceret mihi in tali arca esse tantã pecuniã puta centum aureos non possem verè iurare me scire, quod in tali arca sunt tot pecuniæ, vel absoluiè quod in tali arca sunt tot pecuniæ, sed quidem possem iurare me credere, quòd in tali arca sunt tot pecuniæ; & melius possem iurare quòd talis mihi dixit tot pecunias esse in tali arca: atque ex hoc inferunt Host. & Bar. quos citat, & sequitur Syl. in summa Iuram 2. § 8 quod mulier, quæ commisit adulterium, de quo Sacramentaliter confessa est non potest verè iurare marito se non habere peccatum adulterij. Idem dicit Nauar. in man. cap. 12. n. 18 quia licet credat se absolutam esse, non potest tamen affirmare iuramento quod nõ habeat peccatum adulterij; quia non potest scire an confessarius habuerit intentionem, aut potestatem absoluendi, quia non potest scire certo an sit Sacerdos ordinatus ab Episcopo cum intentione, deinde nec potest scire quod habuerit sufficiētem attritionem, & demum si quis posset scire, se absolutũ esse à peccatis posset etiam tunc scire se esse in gratia, quod est contra Conc. Trid. contra D. Paulum, & Doctores, vt dixi in Tractatu de Sacramentis, vbi egi de contritione.

Verum quidem est, quod mulier in dicto casu, vt bene dicit Nauar. loco cit. non tenetur iurare secundum intentionem mariti, sed potest iurare secundum suam intentionem puta se non commisisse adulterium intelligendo quando erat paruula, vel dum dormiret, quod meo iuditio intelligendum est si maritus ipse exquireret iuramentum ab ipsa vxore; secus si ipsa vxor sponte exhiberet iuramentum absque eo, quod exquiratur, vt dicam in membro sequenti, in quo quæretur an iurans teneatur iurare secundum intentionẽ illius, cui iuramentum præstatur an vero possit iurare secundum propriam intentionem tantum.

Secũdo hinc infertur, quod ille, qui credit aliquem esse pauperem, nec habere bona mobilia, vel immobilia, si de hoc vult fidem facere cum iuramento, nõ debet præstare iuramentum scientiæ, sed credulitatis; idest debet iurare, quòd talis non possidet bona mobilia, vel immobilia iuramento credulitatis, eo modo, quo asserit Archid. de ordinandis, quando dicit, quòd credit, vel scit ordinandos esse idoneos quantum humana fragilitas patitur.

Quinto infertur, quod ille, qui iurat aliquam rem ita esse, quam putat ita esse, & adhibuit diligentiam ad cognoscendum an ita esset, & adhuc certo existimatur ita esse, non peccat etiam si res non ita sit. Si sunt alij comites Iuramenti; quia licet tale iuramentum sit falsum materialiter, est tamen verum formaliter, idest secundum conscientiam iurantis.

Sexto infertur, quod si aliquis iurat se facturum aliquid licitum, vel illicitum sine animo illud faciendi peccat mortaliter, quia in tali iuramento deest veritas; vt si aliquis iurat committere homicidiũ peccat mortaliter, si quando iurat non habet animum committendi homicidium; quia iuramento deest veritas, & si iurat cum animo committendi dictum homicidium etiam peccat; quia tali iuramento deest iustitia.

Vltimo infertur, quod ille, qui ioco iurat falsum peccat mortaliter, vt dicit Nauar n. 5. citato, & magis, quam si seriò falsum iuraret, vt dicit Syl. verbo iuramentum 2. § 6. quia magis assumit nomẽ Dei in vanum; quicquid dicunt Palud. & aliquæ glosæ sequutæ Paludanum. 11

Sed dices, si aliquis induceret ad iurandum aliquem, quem credit falsò iuraturum peccat ne mortaliter?

D. Tho. 2. 2. q 89. art. 4. & Nau. in man. cap.

cap. 22. n. 20 ita distinguunt quòd si ille, qui inducit aliquem ad iurandum, quem credit esse peieraturum, est persona priuata peccat mortaliter; Si verò est persona publica, quæ ad instantiam partis exquirat iuramentum ab aliquo quem credit peieraturum non peccat: atque hæc sufficiant quantum ad primum comitem iuramenti.

12 Secundo dices circa secũdum comitem Iuramenti, An Iuramentum sine eo sit peccatum mortale, nec ne

Et ad hoc dico primo, quod si quis iurat se perpetraturũ aliquod opus mortale peccat mortaliter iuxta communem omnium Doctorum opinionem, tum quia habet animum committẽdi peccatum mortale, tum etiam quia ad hoc adhibet testimonium Dei iurando.

Secũdo dico, quod si aliquis iurat committere aliquod peccatum veniale peccat venialiter, & non mortaliter, quia cum peccatũ veniale non sit contra, sed præter charitatem, & amorem Dei, qui iurat illud perpetrare non facit contra, sed præter charitatem, & amorem Dei; secus tamen esset si quis iuraret, committere peccatũ veniale vt ita Deo iniuriam irrogaret, seu in contemptum Dei.

Tertio dico, quod si aliquis iuraret omittere consilia Euangelica puta nõ mutuare, non ingredi religionem, non hác iubere, non dare eleæmosynam pauperibus peccat venialiter nisi intelligeret iuramẽtum seruare etiam in eo casu in quo, quod erat consilium sit præceptum, vt no dare eleæmosynam, vel non mutuare etiã in casu extremæ necessitatis simpliciter, vel secundum quid.

Quarto dico, quod ille peccat venialiter, qui iurat facere aliquod indifferens manens sua indifferentia, idest deambulare, vel dormire absque bono fine, & absque malo fine, si tamen hic casus potest dari.

Vltimo dico, quod ille peccat mortaliter qui iurat aliquod bonum, quod potest esse bonum, & malum mortaliter intelligendo illud sub vtraque ratione, vt si iurat facere aliquid, quod ab alio præcipiatur, siue illud bonum, siue malum mortale sit; in prædictis enim iuramentis est peccatum, quia deest iustitia, vel mortale, vel veniale prout parua, vel magna iustitia deest secundum dictas quinque regulas, quas nunc posuimus, quæ deprompræ sunt ex communi Doctorum opinione, & maxime ex Caiet. in summa verbo periurium.

Circa tertium comitem Iuramenti dicet aliquis vtrum Iuramentum sine iudicio sit peccatum mortale? 13

Ad hoc resp. communiter omnes Doctores, vt dicit Syl. in summa verbo Iuramentum 2. §. 8 quod non, sed tantum veniale modo adsint duo al j comites; si .n. aliquis sine vlla necessitate, vel vtilitate ex cõsuetudine vel leuitate iurat aliquid, quod sit licitum, & verum peccat tantum venialiter.

Quarto, & vltimo quæritur vtrum Iuramentum sit appetendum, & frequentandum, videtur enim quod sic, quia Iuramentum est actus religionis, vt diximus cap. 12. quæsito 2. & omnes actus religionis sunt boni, & per se expetere bonum est bonum, & frequenter expetere bonum est laudabile. 14

Ad hoc resp. D Th. 2. 2. q. 89 artic. 5. & Nau. cap. 12 supra cit. & omnes alij Doctores, quod Iuramentum licet sit actus religiosus, & bonum, seu licitum non tamen est frequentandum, aut per se expetendum, quia non connumeratur inter bona per se expetenda, sed inter bona necessaria, sicut medicina est quidem bona, sed non per se expetenda; sed tantum in ordine ad sanitatem, & ita Iuramentum non est bonum per se expetendum, sed tantum in ordine ad necessitatem, vel magnam vtilitatem, propterea nõ est frequentandum; quia vt dicitur Ecclesiast. c. 23. vir multum iurans replebitur iniquitate, quia qui multum iurat facit consuetudinem iurandi, & ex consuetudine facilè delabitur in periurium; & dicit D. Aug. in libro de sermone Domini in monte, quod ille, qui scit iuramentum computari tantum inter bona necessaria, debet se refrænare à iuramento quantum potest, atque hæc de hoc secundo membro sufficiant.

F 2 MEM-

MEMBRVM TERTIVM.

De obligatione Iuramenti promissorij.

1 *Iuramentum promissorium an obliget, & quando.*
2 *Iuramentum an sit malum ratione euentus.*
3 *Iuramentum an excusetur ratione modi.*
4 *Iuramentum non obligat vbi relaxatum.*
5 *Iuramentum an obliget in modica re.*
6 *Iuramentum an excusetur ab ira.*
7 *Iurans an teneatur iurare iuxta intentionem iuramentum requirentis, an secundum suam.*
8 *Iurans in Iudicio Iudice interrogante legitimè.*
9 *Iuramenti validitas an tollatur metu mortis.*
10 *Iurans se rediturum ad carcerem, an teneatur redire.*
11 *An iurans aliquid tenere secretum, possit illud reuelare.*
12 *Successores an obligentur iuramento maiorum.*

1 IN hoc membro primo quæritur, An ille, qui promisit aliquid facere cum iuramento teneatur illud facere sub pœna peccati mortalis.

Ad hoc resp. D. Th 2.2.q.89.ar.7. affirmatiuè, & ita omnes alij Doctores.

Caiet. in summa verbo periurium ex doctrina D.Th. articulis citatis dicit quod ab hac regula generali ex quatuor capitibus possunt fieri exceptiones, quorũ primum caput est ex parte materiæ, secũdum ex parte euentus, tertium ex parte modi, quartum ex parte relaxationis.

Ex primo capite non peccant mortaliter illi, qui non seruant iuramentum, qui iurarunt facere aliquod mortale, puta furtum, homicidium, vel adulterium; quia in hæc, & similia non potest cadere vinculum obligationis, imo peccatũ mortale esset talia facere etiam iurata.

Secundo non peccant illi, qui non faciunt peccatum veniale, quod iurarunt facere propter eandem rationem, quia in materiam venialem non potest cadere obligatio, imo peccant venialiter si faciunt peccatum veniale iuratum.

Tertio non peccant illi, qui non seruant iuramentum de omissione boni supererogationis, idest quod est in consilio, vt qui iurarunt non facere eleæmosynam, non fideiubere &c quia nõ est ponendus obex Spiritui Sancto, imo dicit D.Th. art. cit. & bene quod in his melius est facere contra iuramentum quam secundum iuramentum.

Quarto non peccant illi, qui non seruant iuramentum factum de re indifferẽti manente sua indifferentia, vel de re bona facta indifferenti, vt si aliquis iurauit non ingredi domum, in qua habitabat meretrix, quia illi erat occasio peccati, mortua illa, vel postquam inde discessit iuramentum nõ erit amplius obligatoriũ, quia factum est de re indifferenti, licet prius esset de re bona.

Ex secundo capite idest ratione euẽtus, vt inquit Caiet. loco cit. primo non peccant illi, qui iurarunt aliquid facere, & illud non faciunt propter malum euẽtum, exemplum huius refert D. Th. 2. 2. q. 89. art. 7. de iuramento Herodis, quod etiam refert Caiet. loco cit qui cum iurasset dare puellæ Saltatrici quicquid petijsset (quod iuramentum, vt inquit D. Th. sanè intellectum poterat esse bonum;) non tenebatur illud adimplere, si euenisset vt postea euenit, quod puella saltatrix petijsset aliquod illicitum, non enim tenebatur Herodes seruare iuramentum in euentu tam malo, cum non posset illud seruare sine commissione magni sceleris, quod fuit amputatio capitis Diui Iohannis. Aliud exemplum dat Caiet. quando videlicet aliquis, qui habet depositum ensem iurauit illum tradere Domino quacunque hora illum petierit, qui tamen non tenebitur seruare iuramentũ si Dominus iratus illum petat vt alium occidat, propter malum euentum. 2

Secundo non tenetur seruare iuramentum ratione euentus ille, qui iurauit facere aliquid, quod est quidem bonum, sed impeditiuum maioris boni, vt si aliquis ex charitate iurauit matrimonium cõtrahere cum aliqua paupere, & postea inspirante

ante Spiritu Sancto antequam contrahat matrimonium desiderat ingredi in aliquā religionem, non tenetur seruare iuramentum, quia si contrahit cum paupere, quod est bonum, non poterit postea esse Monacus, quod est melius.

Addite tertium, quod non peccat ille, qui non fecit id, quod iurauit, quia non potest illud facere vt si iuraui dare creditori meo cras centum libras quas habeo in arca, & nocte sequenti surripiuntur à latronibus, propter sinistrum euentum non peccabo si non dabo cras, quia ad impossibile nemo tenetur.

Quarto addi potest id, quod dicit Caiet. de iuramento comminatorio, quod si Iudex iurauit amputare caput homicidæ, qui est in carcere, quia meretur & postea Duces, & nobiles viri ab eo petunt, vt misericordia vtatur circa homicidam, & ipse precibus, & misericordia motus non seruat iuramentum, & quia credit, quod melior sit in tali casu non amputare caput homicidæ. Similiter si mater pia iurauit verberare filiū acriter, quia aliquod malum fecit, & parauit virgam, nō peccat si deinde misericordia mota, vel ne filius deinde fugiat, vel totam domum flatibus perturbet non seruet iuramentum.

3 Ex tertio capite scilicet ratione modi non peccant illi, qui iurant ex vrbanitate aliquid, intelligentes quantum in se est; & deinde iuramentum nō seruant; Exemplum si duo curiales discessuri ab aliquo loco contendant de præcedentia, & vnus illorum dicat, Non præcedam per D.ū, tamen postea præcedit multum rogatus ab alio. quia subintelligebat quantum in me est, sicuti D. Petrus cum Christo dixit non lauabis mihi pedes in æternum; intellexit quantum in me est; nam postea dixit non tantum pedes; sed, & manus, & caput.

Potest etiam dici, quod similia iuramēta non obligent sub pæna peccati mortalis, puta de præcedentia, quia sunt de re leui; iuramenta vero de re leui non obligant sub pæna peccati mortalis, vt postea dicam si sunt promissoria, & iurans intendit facere, quod iurat; nam si nō intelligit facere quod iurat etiā si minimū sit, eliet peccatū mortale, vt antea diximus in membro antecedenti circa primum comitem iuramenti.

Secundo ratione modi non tenetur seruare iuramētū, qui iurauit vi, vel ob metum cadentem in constantem virum matrimonium contrahere cum aliqua, quia si matrimonium, vi cōtractum eit nullum similiter & iuramentum de contrahendo matrimonio vi extortum erit nullum, licet vt inquit Caietanus, in hoc casu tutius esset petere dispensationem ab Episcopo; & ratio huius est, quia sunt aliqui Doctores, qui dicunt quod licet matrimonium vi contractum sit nullum, quia matrimoniū cū sit vinculum indissolubile, & perpetuum non debet esse coactum, tamen Iuramentum de contrahendo matrimonio, etiam si vi sit extortum nō est nullum, quia Episcopus non potest dispensare in matrimonio contracto, sed quidem in iuramento de matrimonio contrahendo.

Ex quarto capite non tenentur seruare iuramentum illi, quibus iuramentum fuit relaxatum vel ab eo, in cuius fauorem erat factum, vel ab Episcopo iusta de caussa, vt si iuraui intra mensem dare creditori meo centum non tenebor iuramentū seruare si creditor prorogauit terminum, vel si condonauit pecunias. Similiter si coactus iuraui dare prædoni centum, non tenebor seruare iuramentum si Episcopus illud relaxauerit. 4

Ex his quæ diximus possunt solui infiniti casus, qui passim occurrere possunt. Sed quoniam adhuc restant nonnullę dubitationes alicuius momenti. Ideo in hoc tertio membro.

Secundo quæro, An ille, qui iurauit facere rem paruam, puta recitare semel Salutationem Angelicam; vel dare pauperi quadrantem teneatur iuramentum seruare sub pæna peccati mortalis. 5

Caiet. 2. 2. quæst. 89 art 7 & Armilla in summa verbo Iuramentum §. 12 dicunt iuramentum factum de re minima obligare sub pæna peccati mortalis, vt iuramentum de recitanda oratione Angelica semel, vel de dando quadrante pauperi: sed contrarium tenuerunt Dominicus Sotus lib. 7. de iust. & iure q. 2. art. 1. & lib. 8. q. 1. ar. 7 & q. 2. ar. 3. D. Ant. 2. p. tit. 10. cap. 4. §. 2. Nau. in man. cap 12. n. 10. vbi etiam

citat

citat Sylu. & ita dicendum est, & probatur primo, quia hæc est communior opinio, quam illa Caiet. vt dicit etiam Nau. ibidem; secundo quia in omni transgressione præcepti, vt diximus in prima parte huius Tractatus, paruitas rei excusat à peccato mortali; tertio quia si aliquis ex præcepto tenetur recitare officium, & omittit aliquẽ versiculum, non ideo peccat mortaliter propter paruitatem rei omissæ; ita & si aliquis iurauit recitare vnum versiculum non peccat mortaliter non recitando illum; sed Caiet. loco cit. ad hoc respõdet quod aliud est ommittere particulam aliquam totius rei iuratæ, aliud est totum iuratum omittere, si enim aliquis iurauit recitare totum officium non peccat omittendo versiculum, quia omittit particulã rei iuratæ, sed si iurauit recitare vnũ versiculum, & omittit illum recitare peccat mortaliter, quia ommittit totam rem iuratam.

Verum hæc distinctio Caietan. vt dixit Sot. art. 7. cit. & Nau. vbi supra parum refert, quia vnum ouum siue consideretur cum alijs, siue secundum se est parua res, & propterea si quis surripiat vnum ouũ, licet surripiat vnum totum peccat tamen tantum venialiter propter paruitatem rei: similiter si quis iurauit recitare vnum versiculum Psalmi peccat venialiter si non seruet iuramentum, quia vnus versiculus est modica res; quarto etiam iuxta Caietanũ inquit Nau. si maier iurauit dare pomũ puero non peccat non seruando iuramentum: hoc autem non potest esse nisi propter paruitatem rei, ergo paruitas rei excusat transgressionem iuramenti a peccato mortali; quinto, & vltimo non est verisimile, quod Deus misericordissimus velit condemnare ad mortem hominem propter transgressionem iuramenti in minima re.

6 Tertio quæritur vtrum ille, qui ira percitus iurat se facturum aliquid, sed bonum teneatur adimplere iuramentum.

Resp. cum Nau. vbi supra affirmatiue, nisi ira fuerit tanta, quòd omnino demerit iudicium sufficiens ad mortale a iurante, & ita dicendum est.

7 Quarto quæritur vtrum ille, qui iurat teneatur iurare secundum intentionem illius, cui iurat, an vero possit etiã iurare secundum propriam intentionem, Nau. in man. cap. 12. n. 8. dicit quod vel iurans iurat sponte, & sic tenetur iurare secundum intentionem illius, cui iurat; vel iurat requisitus ab alio, & sic vel ille, qui requirit iuramentum, potest de iure illud requirere, vel non. Si potest de iure illud requirere, vt est Iudex competens, qui secũ lum ordinem iuris requirit iuramentum, & interrogat, tenetur iurare secundum intentionem illius, cui iurat. Si vero non potest de iure exigere iuramentum, vel non exigit secundum ordinẽ iuris iurans potest iurare tantum secundum propriam intentionem si vult, & dicunt fecisse Beatum Patrem Franciscum, qui interrogatus, qua per exisset homo, qui quærebatur vt occideretur; respondit illum nõ transisse hac, intelligendo per manicam suam; nõ enim tenebatur tunc D. Franciscus respondere veritatem secundum intentionem interrogantium, sed poterat, vt fecit, respondere veritatem secundum propriam intentionem, quia interrogans de iure non poterat exigere responsionem à Beato Francisco in tali casu.

Ex his infertur ex Nau. vbi supra, quod si aliquis interrogatus a Iudice non competere de aliquo delicto, vel præter ordinẽ iuris idest si nulla præcesserit infamia, vel semiplena probatio, vel non apparent indicia sufficientia non tenetur reus respondere, neq; iurare secundum intentionem Iudicis. Sed de hoc fusius dicam super octauum præceptum Decalogi. 8

Idem Nauarrus cap. 12. nu. 37 littera A. ex dictis infert contra Sotum in libro de ratione agendi, vel detegendi secreta, quod si quis interrogaretur qui esset fur contra ordinem Iuris de furto, posset iurare se non commisisse furtum intelligendo secundum suam mentem mense præterito, in quo non est furatus.

Similiter Nauarrus nu. 8. ex dictis infert quod si mulier, quæ non habitat cũ marito propter legitimum impedimentum, puta quia habuerat rem cum fratre mariti ante contractum matrimonium, & hoc est ocultum; & quia nõ habitat cum marito est excommunicata ab Episcopo; & postea infirmata ad mortem vt possit recipere

Sacramenta, & sepeliri in Ecclesia, in articulo mortis petit absolutionem ab excommunicatione. Sacerdos dicit, quod ad hoc vt absoluatur ab excommunicatione secundum formam præscriptam requiritur vt iuret. Quod si sanabitur habitabit cum marito, poterit iurare sub intelligẽdo si potero id facere sine peccato.

Quinto quæritur vtrum si aliquis transiret penes aliquam vrbem contaminatam peste, ita tamen vt in illa non commoraretur neque in aliquo eius suburbio tangeret aliquem hominem, seu aliquid al ud quo posset peste contaminari, & accederet ad aliam ciuitatem peste non contaminatam, & custoditam propter eminens periculum pestis, & custodes nollent eum ingredi nisi iuret se non transisse per vrbem, vel penes vrbem peste infectam; possit iurare se non transisse penes dictam vrbem?

Ad hoc resp. Nau. in man. cap. 12 n. 19 & bene quod potest iurare se non transisse penes illam vrbem peste contaminatam vt possit ingredi in illam vrbem non contaminatam peste, quia supposito casu vt diximus quod non sit suspectus iurat secundum intentionem custodum principalem licet remotam, nam principalis intentio dictorum custodum est vt non admittatur in vrbem aliquis, qui possit contaminare ciues peste.

Similiter si aliquis natus esset ãno 1569. & nunc vellet habere ordinem Subdiaconatus, si nollet iurare se natum esse dicto anno propter aliquam legitimam causã, seu etiam aliam, posset iurare se natum esse anno 1570. quia intentio Episcopi est tantum scire an inceperit vigesimum secundum annum quæ ætas est sufficiens ad recipiendum Subdiaconatum, quam ætatem sufficientem habet ille, qui natus est anno 1570.

9 Sexto quæritur vtrum ille, qui iurat se facturum aliquid propter metum mortis teneatur adimplere iuramentum, vt latrones cogunt iter habentem iurare, quod termino trium dierum feret illis centum aureos nummos, & vt iuret comminantur mortem nudo pugione, & ipse metu mortis iurat cum intentione ferendi pecunias ne occidatur, de isto quæritur an teneatur seruare iuramentum.

Ad hoc Nauarus resp. cap. cit. nu. 14 q tenetur seruare iuramentum; & ita dicunt omnes alij Doctores, potuisset tamen iste, inquit Nauarus, & alij iurare secundum propriam intentionem, idest iuro, quod vobis feram centum hoc triduo, intelligendo intra se, si tenebor de iure, quia in tali casu vt elicitur ex ijs, quæ dixi supra in quarto quæsito, iurans non tenetur iurare secundum intentionem illius cui iuramentum præstatur, cum non possit dari iuramentum secundum ordinem iuris, immo cum detur contra ordinem iuris.

Quod si dicas, si talis iurasset secundum intentionem latronum, sed cum animo nõ se obligandi, teneretur re seruare iuramentum?

Ad hoc respondent Doctores maxime Dominicus Sotus lib. 8 de iust. & iure q. 1. art. 7 & Nau. num. cit. & Caiet. 2. 2 q. 89. art. 7 quòd ille, qui iurat cum intentione iurandi, sed non se obligandi, tenetur seruare iuramentum, quia implicat contradictionem, quòd aliquis possit habere intentionem iurandi, & non se obligandi, quia iuramentum promissorium semper secum fert obligationem vt seruetur; contrarium tamen docet Syluester, sed reijcitur à dictis Doctoribus.

Septimo quæritur vtrum ille, qui iurauit redire ad carcerem teneatur redire cum 10 credat se passurum mortem propter id.

Caiet art. cit. dicit, quod tenetur redire etiamsi credat se passurum mortem iniuste, quia hic potest etiam illicitè pati mortem, & potest esse actus virtutis, & qui iurat se facturum actum virtutis tenetur iuramentum seruare sub pœna peccati mortalis.

Sed Nau cap cit. & alij Doctores distinguunt de carcere, quod si est iniuriosus, non tenetur redire, secus si non est iniuriosus; per carcerem iniuriosum intelligũt carcerem Tirani, idest Iudicis non competentis, seu non procedentis secundum ordinem iuris: posset tamen, sicut & ille, de quo dicebamus in casu antecedenti, petere absolutionem ab Episcopo, qua habita non teneretur seruare iuramentum.

Octauo quæritur, An ille, qui iurauit non amplius ludere possit ludere.

Resp.

Resp. ex Nauarro cap. cit. nu. 11. quod si ludus est licitus, & deparuare potest ludere; quod probatur ex ijs, quæ supra diximus, quod iuramentum factum de re indifferenti non obligat, ludere autem paruam rem aliquando animi gratia non est malum, sed virtuosum ita vt liceat etiam togatis, vt bene dicit Nauarrus.

11 Nono quæritur vtrum ille, qui iurauit tenere aliquid secretum possit illud reuelare?

Ad hoc resp. Armilla in summa verbo Iuramentum § 25. quod non potest reuelare nisi fit in præiuditium tertij, aut interrogetur à Iudice competenti, vel secundum ordinationem iuris, & ita dicunt omnes Doctores.

12 Vltimo quæritur vtrum ille, qui iurauit pro se, & successoribus obliget successores; & supponamus quod iurarint Mediolanenses pro se, & successoribus ieiunare in vigilia S. Sebastiani, an successores teneantur seruare iuramentum?

Resp. DD. quod non, quia iuramentum est obligatorium personaliter, ita Armill. verbo Iuramentum.

Quod si dicas si non ieiunaremus in vigilia Sancti Sebastiani peccaremus ne?

Resp. quod in vigore iuramenti non peccaremus, sed peccaremus si Episcopus instituisset ieiunium pro successoribus, quod potuit facere, vel forsan propter consuetudinem; quia, vt dicam in parte sequenti, qui habitant in al quo loco tenentur seruare ieiunia illius loci?

Ex his, quæ diximus possunt solui omnes casus pertinentes ad materiam obligatorij iuramenti, atque hæc de tertio membro satis.

MEMBRVM QVARTVM, & vltimum.

De relaxatione Iuramenti promissorij, seu eius dispensatione.

1 *Iuramentum promissorium an possit relaxari.*

2 *Qua auctoritas possit illud relaxare.*

3 *Differentia inter Papam, & Episcopum quoad iuramenti relaxationem.*

4 *Differentia iuramenti, & voti quoad relaxationem.*

IN hoc membro hoc tantum quæritur quinam possit iuramentum relaxare. 1

Ad hoc resp. cum Tab. in sua summa verbo Iuram §. 21. & Syluestro in summa verbo iuramentum quinto per totum secundum doctrinam Canonistarum, quod vel clarum est, quod iuramentum non obligat, vel dubium est an obliget, aut clarum est quod obligat.

Si clarum est quod non obligat non est necessaria iuramenti relaxatio, quia iuramentum quod non obligat ipso iure est irritum, & nullum, vnde si quis iurauit facere peccatũ mortale, vel veniale, aut aliquod indifferens manente sua indifferẽtia, vel non seruare consilium Euangelicum absque vlla relaxatione poterit facere cõtra iuramentum quia iuramẽtum est nullum, vt dixi in membro antecedenti quæsito primo, nisi vt dicũt Syluester, Tabienfis, & alij, ad euitandum scandalum taliter iurans vellet petere dispensationem ne videlicet videretur periurus.

Sed si est dubium de obligatione iuramenti, recurrendum est ad Ecclesiasticum Superiorem, qui de iuramento iudicet an obliget nec ne, & in illo dispẽset si potest.

Si autem est clarum, quod iuramentum obliget, vel est factum in materia pertinente ad Papam, vel est factum in materia pertinente ad fauorem Dei, vel est factum in materia pertinente ad fauorem alterius personæ.

Si primo, Papa potest in illo dispensare etiam sine caussa; vt si aliqui Canonici alicuius Ecclesiæ Collegiatæ iurassent inter se, quod non excederit numerum duodecimum, vel decimum quartum Canonicorum poterit in tali iuramento Papa dispensare etiam sine caussa, quia in materia pertinente ad Papam in iuramento subintelligitur si tamen Papa aliter non voluerit. 2

Sed si iuramentum est factum in materia pertinente ad fauorem Dei, vt de ingredienda religione de eleemosina facienda pauperibus, vel Ecclesiæ, & similibus Papa, & Episcopi in eo possunt dispensare, sed non sine iusta caussa, quia in tali iura-

iuramento obligatio est acquisita Deo, nec alius in eo dispensare potest etiam cũ caussa legitima præter Papam, & Episcopum, aut qui Episcopalem habet potestatem vt sunt Vicarij generales Episcoporum.

3 Est tamen hæc differétia inter Papam, & Episcopum in simili dispensatione, q; Papa cum caussa potest dispensare personam cuiuscunque Diœcesis.

Episcopus vero solam personam propriæ Diœcesis.

Rursus Papa potest dispensare se ipsum in simili iuramento cum caussa, Episcopus vero non sed recurrere debet ad Papã vt dispensetur.

Si vero iuramentum est factum in fauorem alicuius personæ, illa persona potest, & cum caussa, & sine caussa illud dispẽsare, vt si Petrus iurauit dare Antonio centum Antonius etiam põt & cum caussa, & sine caussa relaxare obligationem Petri, ita vt Petrus non teneatur dare Antonio centum.

Et si Iuramentum est illicitum ex parte recipientis vt est iuramentum factum metu cadente inconstantem virum, poterit in eo dispensare Episcopus, nam hæc est caussa sufficiens dispensandi in iuramento cum iuramentum ui extorquetur iniustè.

4 Et hic notandum est, quod quantum ad dispensationem in hoc differrunt inter se votum, & iuramentum, quod iuramẽ tum factum in fauorem alicuius personæ potest relaxari ab illa persona, nõ ita votum factum in fauorem alicuius personę, nam si iurasti dare Petro pauperi centum poterit Petrus iuramentum relaxare.

Sed si vouisti dare Petro pauperi cẽtum minime poterit Petrus relaxare votum; & ratio huius est, quia votum est promissio facta Deo non homini; iuramentum vero potest cadere super promissionem factam homini; & hinc est quod si quis iurauit Deo dare centum Petro pauperi non poterit Petrus tale iuramẽtum relaxare, tum quia iuramentum est factum Deo, & non Petro; tum etiam quia in illo iuramento includitur votum, nam est promissoriũ, & promissio facta Deo de bono meliori est votum, vt Deo fauente dicam in capite sequenti, atque hęc de iuramento dicta sufficiant.

CAPVT TERTIVM.

De voto.

DE voto tractant Scholastici Doctores in lib. 4. sententiarum dist 38. maximè D.Thomas, D.Bonauentura, Scotus, Durandus, & Riccardus: Summistæ vt D. Th. iterum 2.2. suæ summæ qu. 88. per duodecim articulos. S. Antoninus in secunda parte suæ summę, Syluester in sua summa verbo votum 1. 2. 3. 4. & 5. Angelus, Tabiẽsis, Armilla, Caietanus, & alij in suis summis verbo votum. Canonistæ caussa 27. quæst. 1. & titulo de voto & voti redemptione in decretalibus, & in sexto Nauarrus in manuali capite 12 à nu. 24 & infra, Dominicus Sotus libro 7. de iustitia, & iure per totum librum in sex quæstionibus. Controuertistæ lib. de votis Monasticis, Alphunsus à Castro titulo de voto.

Ego ea, quæ de voto ex prædictis Doctoribus dicere putani diuidam in quinque membra, In quorum primo dicam Quid sit votum, & quotuplex sit.

In secundo dicam de rebus, de quibus potest esse votum, & an melius sit, seu magis meritorium facere aliquid ex voto, quam non ex voto.

In tertio membro dicam de obligatione voti.

In quarto de personis, quę vouere possunt.

In quinto de irritatione, dispensatione, commutatione, seu redemptione voti.

MEMBRVM PRIMVM.

Quid sit votum, & quotuplex sit.

1 *Voti nomine quid veniat.*
2 *Votum quid sit.*
3 *An ad votum sufficiat promissio interna.*
4 *Qualis deliberatio requisita ad votum.*

1 IN hoc membro primo quæritur quid significet hoc nomen votum?

Respondetur quod nomen votum aliquando sumitur adiectiuè, aliquando substantiuè, quando sumitur adiectiuè significat rem Deo dicatam, & promissam, vnde Cicero lib. 3. de natura Deorum dicit templa Deo vota, & dicata; Sed si sumatur substantiuè.

Primo aliquando significat desiderium, vnde ille, qui habet rem, quam desiderabat dicitur voti compos.

Secundo aliquando sumitur pro promissione communi, idest facta Deo, vel homini, vnde Cicero ad Atticum dicit quodam voto, & promisso me teneri puto.

Tertio aliquando significat illam rem, quæ Deo promittitur, Vnde in Psalmo dicitur, Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea, idest reddam tibi ea, quæ promisi, ore.

Quarto, & vltimo aliqñ sumitur p̄ pmissione, quæ fit Deo de aliquo meliori bono, & in hac tantum significatione hic à nobis sumitur, & dicitur votum talis promissio, vt dicit D. Thomas 2. 2. q. 88. art. 1. in responsione ad secũdum argumentum, à voluntate, quia voluntas nostra mouet rationem, seu intellectum ad promittendum Deo aliquid, quod subsit ipsimet voluntati.

Secundo quæritur quid sit votum. 2

Cic. lib. 2. de legibus dicit votum esse promissionem, qua Deo obligamur.

Scholastici Doctores lib. 4. sententiarũ dist. 38. citata multas afferunt voti deffinitiones.

Similiter, & Summistæ in suis summis locis supra citatis, vt maxime videre est apud Syluestrũ in summa verbo votum. 1. §. 1., ex quibus omnibus deffinitionibus ego hac tamquam meliori contentus sum videlicet.

VOTVM EST promissio, deliberatè facta Deo, de aliquo bono meliori.

Primo dixi (promissio) quia licet, vt D. Thomas dicit 2. 2. quęst. 88. art. 1 ad votum requiratur deliberatio, & propositũ, ista tamen non sunt vota, nisi, & illis accedat promissio, vt latius patebit infra.

Item dixi promissio, ad includendum promissionem, quæ tantum fit in mente, licet enim aliquando votum fiat verbo, scriptura, & coram testibus ad maiorem ipsius firmitatem; tamen ad constituẽdum votum sufficit interior promissio; Et hoc est, quod dicit Nauarrus in man. cap. 12 n. 24. quod votum est promissio, saltem interior.

Ratio autem cur promissio interior facta Deo sufficiat ad constituendum votũ, & ad obligandum hominem Deo, & non sufficiat ad obligandum hominem homini, refertur à D. Thoma art. cit. Quoniam promissio ad hoc, vt sit obligatoria debet posse notificari illi, cui fit, sed promissio facta homini non potest homini notificari sine voce, aut alio signo exteriori; promissio vero interior sine voce, & sine alio exteriori signo Deo potest notificari, quia ipse corda hominum intuetur. 3

Hinc ergo est, quòd ad votum, quod est promissio facta Deo sufficit vt promissio sit interior, idest in mente.

Secundo dixi (deliberate) quia ad hoc vt votum sit validum licet non requiratur plenissima deliberatio, idest plenissimus discursus, & plenissima consideratio, requiritur 4

quiritur

quiritur tamen saltem tanta deliberatio, seu consideratio, quæ sufficeret ad peccatum mortale, vt dicit Nau. nu 24. cit. quia vt habetur ex gl. cap. Mulier, dist. 32. q. 2. illa deliberatio, quæ sufficit ad obligandũ nos Diabolo per peccatum mortale sufficit etiam ad obligandum nos Deo per votum, sed de hoc fusius infra quæsito quarto.

5 Tertio dixi (facta Deo) quia promissio facta homini etiam de meliori bono non est votum, vt si Ego promitto Patri meo quòd non amplius ludam; ita Nau. cap. 12. cit n. 25. votum enim, vt bene dicit D. Th. q 88. citata art. 5. debet esse promissio vel mediatè, vel immediatè, vel implicite, vel explicite facta Deo; Quare si quis vouet Beatæ Virgini, aut Sancto Petro facturum se aliquid, illud votum non est promissio facta Beatæ Virgini, sed dicitur facta Deo ad honorem Beatissimæ Virginis, seu sub inuocatione Beatissimæ Virginis.

6 Quarto dixi (de aliquo bono) quia promissio facta Deo de malo mortali, vel veniali nō est votum, sed peccatum vel mortale, vel veniale, vt fusè dicam in membro sequenti.

Quinto dixi (meliori) quia ad hoc, vt promissio sit votum non sufficit quod sit de aliquo bono, sed debet esse de bono meliori, idest de tàm bono, quòd sit melius, quàm eius contrarium, vt si vouisti contrahere matrimonium certè promisisti Deo rem bonam, quia contrahere matrimonium est bonum, sed tale votum non est validum, quia eius contrarium, idest non contrahere matrimonium est melius, melior enim est status continentium, quã coniugatorum. Hoc autem intelligendum est nisi addatur aliqua circumstantia, propter quam sit melius contrahere matrimonium, quàm non contrahere, vt si promisisses cõtrahere, vel si esses incontinens.

7 Quæritur vtrum votum factum ex metu sit validum?

Notandum est quòd ad votum requiruntur quatuor, primo quòd sit voluntarium, secundo quòd sit cum deliberatione, tertio quòd sit cũ proposito, quarto quod sit cum promissione. Hæc enim quatuor voluntarium, deliberatio, propositum, & promissio ad votum requiruntur, & propterea de his omnibus est singillatim disserendum; & primo de voluntario in hoc tertio quæsito; deinde de alijs, in tribus sequentibus quæsitis. Et quoniam metus tollit voluntarium (quæ enim metu fiunt non dicuntur voluntariè fieri saltem secũdum quid) ideo hic quæritur vtrum votũ factum ex metu sit validum?

Secundo notandum est, quod si aliquis verbis tantum voueret sed cum intentione non vouendi, & non faciendi id, quod vouet, votum non est validum, quia est inuoluntarium, vt patet. 8

Tertio notandum est, quod metus duplex est, alius, qui dicitur incussus ad hoc, & alius, qui dicitur non incussus ad hoc.

Incussus ad hoc est, vt si aliquis nudo pugione minaretur mortem contra aliquem nisi voueret.

Metus non incussus ad hoc est, vt si aliquis nudo pugione minaretur alicui mortem propter aliquam caussam, puta quia occidit fratrem, & ille, in quem fit comminatio voueret Deo aliquid, vt facilius à morte eriperetur. 9

Omnes Doctores dicunt, quod metus non incussus ad hoc non inualidat votum, vnde vt dicit Nau. in man. cap 12. nu. 52. valida sunt vota, quæ fiunt in naufragijs timore mortis, in aggressione inimicorũ, in partu, in maximis infirmitatibus, & in alijs periculis mortis: Tota difficultas est de metu incusso ad hoc, qui inualidat Matrimonium, & quidem metus non incussus ad hoc non inualidat Matrimonium, etiam si sit cadens in constantem virum; vt dixi in Tractatu de Sacramentis parte vltima circa impedimenta Matrimonij.

Quarto notandum est, quod metus incussus ad hoc, adhuc est triplex, alius, qui dicitur cadens in constantem virum, & hic etiam dicitur iustus; Alius, qui dicitur non cadens in constantem virum, & hic etiam dicitur iniustus, seu leuis; & alius, qui dicitur reuerentialis.

Metus cadens in constantem virum est ille, cui vir constans, & fortis succumbit absque detrimento suæ laudis, suæ fortitudinis, & sui honoris. 10

Et hic cognoscitur primo ex obiecto, vt si instet periculum grauis mali puta

F 2 mortis,

mortis, mutilationis membrorum, perpetui exilij, perpetui carceris, & similium.

Secundo ex persona, quæ metum infert, puta si est talis, quæ possit inferre malum, quod minatur.

Tertio ex persona, cui metus infertur, vt si est senex, puer, puella, vel vir, minor enim timor sufficit, vt dicatur cadens in constantem hominem si cadat in puellam vel puerum, vel senem, quam si cadat in virum sanum, & fortem.

Metus leuis est oppositus metui, qui dicitur cadens in constantem virum, & cognoscitur, vel ex obiecto, puta si malum, quod imminet est paruum, vel ex persona, quæ timorem infert, puta si non potest inferre malum, quod minatur, vel ex persona, contra quam fit comminatio, vt si præualet comminanti.

Metus reuerentialis est ille, cui succumbit aliquis amicus, ne fit offendiculo amico, idest ne tristitiam inferat amico, vt si puella fieret religiosa, ne Pater contristaretur, qui desiderabit, vt fieret religiosa.

Secundum omnes Doctores, metus leuis, & reuerentialis non impediunt quin votum fit validum, quia, & Matrimonium factum propter talem metum est validum.

21 Sed tota difficultas est de voto, quod fit per metum cadentem in constantem virū, incussum ad hoc, an sit validum. Et quidem videtur, quòd tale votum factum ex metu cadente in constantem virum sit validum.

Primo quia iuramentum factum ex tali metu est validum, vt supra diximus cum de iuramento agereturi, sit vt dicit Dñ. us Sotus lib 8. de Iust. & Iure, q. 1. art. 3 ergo, & votum, quod est magis obligatorium, quàm iuramentum secundum D. Th. 2. 2. quæst. 88.

Secundo opus bonum factum ex metu cadente in constantem virum potest esse meritorium, Vt si aliquis propter talem metum faceret eleemosinam, ergo, & votum potest esse validum, imo & meritorium.

Tertio, vt supra diximus, id quod sufficit ad obligandum nos Diabolo, idest ad faciendum peccatum mortale sufficit etiā ad obligandum nos Deo, idest ad faciendum votum. Sed propter metum talem poterit aliquis peccare, vt si mulier ꝓpter talem metum consentiret in fornicationē, ergo & poterit vouere.

Propter has rationes, vel similes fuerūt duæ sententiæ de quæsito proposito, altera affirmatiua, idest quòd votum factum ex dicto metu sit validum, quam tenet Syluester in summa verbo metus §. 8. & Card. in Capitulo Abbas tit. de ijs, quę vi, metusuè caussa fiunt, vt eum citat Nauarus in manuali cap. 12. n. 52. altera vero negatiua, & hanc sequuntur Panormitanus dicto capite, Abbas, Paludanus in 4 dist. 38. Tabienfis in summa verbo votum primo § item primo Dominicus Sotus lib. 7. de Iust. & Iure q. 2. art. 1. Nauarus in man. dicto numero 52. Glosa in capitulo sicut nobis de religiosis. Caiet. in 2. 2. q. 88. art. 1. dicit hanc sententiam negatiuam esse veram, & conformem Sacris Canonibus, sed affirmatiuam esse magis secundum naturalem æquitatem, quia ille, qui facit votum propter dictum metum, vt euitet mortem corporalem exponit se morti spirituali, & ideo æquum est vt si eripiatur à morte corporali patiatur mortem spiritualem, si non facit id, quod vouet. Verum sententia negatiua est vera, primo quia est communior, secundo quia matrimonium contractum propter talem metū est inualidum, ergo & votum, tertio capitulo Perlatum, De ijs, quæ vi, metuuè caussa fiunt Alexander Papa III. declarauit votum factum à quadam muliere propter metum mortis esse nullum, & erat votum religionis, ergo votum factum metu cadēte in constantem virum est nullum, Quarto si votum habet vim obligandi, id habet quia est promissio, sed promissio, vt dicūt omnes Iuristæ, facta homini propter metum cadentem in constantem virum est inualida, ergo & votum factum propter eundem metum erit inualidum, quia licet votum sit promissio facta Deo, est tamen promissio, sicut, & promissio facta homini. Quare licet ratione obiecti magis obliget votum, quia est promissio facta Deo, quam promissio facta homini, quia tamen promissio facta homini ad nihil obligat si fiat per metum cadentem in constantem virum, ita & promissio facta Deo, si enim

hæc

hęc obligat,& illa obligaret licet non tantum. Vltimo votum,vt plurimum est de his,quæ sunt in consilio,licet, vt infra dicam membro sequenti possit etiam esse de his,quæ sunt in præcepto;sed ea,quę sunt in cōsilio sunt summè libera, ergo & votū debet esse summè liberum.

Et hinc est, quod non solet Sancta Mater Ecclesia propter aliquod delictū quantumuis maximum cogere aliquem ad votum Religionis, seu ad aliud votum.

Ad primam rationem supra allatam in contrarium respōdeo primo,quod votum est magis obligatorium,quam iuramētum obiectiuè, quia videlicet votum fit Deo, Iuramentum vero fit homini (intelligo enim obiectiuè,idest ratione personæ,cui fit votum, vel iuramentum) sed iuramentum est magis obligatorium,quam votum formaliter, quia iuramentum licet sit promissio (si est promissorium) facta homini est tamen promissio iurata, & propterea obseruandum est saltem propter reuerentiam Diuini nominis, quod in testimonium est inuocatum; vnde videmus quòd licet mendacium iocosum, vel officiosum sit veniale, erit tamen mortale propter irreuerentiam Diuini nominis,si illi iuramentum addatur,vt supra diximus cum de iuramento ageremus;Votum vero licet sit promissio facta Deo non est tamen iuramento firmatum.

Ad secundam rationem respōdeo quod res,quæ de sua natura est bona, si fiat propter metum, itaut metus sit caussa illius rei non est meritoria ; si vero fiat propter metum, itaut metus sit tantum conditio, sine qua non erit meritoria , vt si dedisti eleæmosinam, quia alius volebat te occidere,nisi dares eleæmosinam, eleæmosina non est meritoria , quia res facta vi nihil valet;sed si dedisti eleęmosinam,quia alius volebat te occidere propter aliā caussam , & vt Deus te eriperet a periculo eam dedisti eleæmosina est meritoria:Similiter & de voto dico,quod si fiat propter metum, itaut metus sit caussa voti non est votum, sed si fiat propter metum,itaut sit tantum conditio,sine qua non, est votum.

Ad tertiam rationem respondeo, quod metus ille, propterquem aliquis peccat non potest dici cadens in constantem virum , nam viri constantis est potius velle pati mortem , atque omnia alia corporalia,& temporalia mala,quàm peccare mortaliter,atque hęc de hoc quęsito dicta sufficiant.

12 Quarto quæritur vtrum ad votum requiratur necessario plena deliberatio?

Notandum est primo,quod deliberatio est discursus intellectus, seu consideratio , quam homo facit circa rem aliquam , seu circa actum aliquem an videlicet sit faciēdus nec ne,cui deliberationi, seu cogitationi , vel discursui accedit iudicium , quod est esse bonum,vel non esse bonum hoc facere , & pro deliberatione hic accipimus deliberationem , seu discursum ipsum simul cum iudicio, quod iudicium, & dicitur sententia.

Notandum est secundo deliberationem esse duplicem,alteram plenam, secundum quam quantum ad votum cōsideratur res, quam quis vult vouere,& principalia,quę circa rem ipsam circumstant, itaut illis consideratis vouens postea non possit dicere,certe si hoc sciuissem, vel considerassem votum non fecissem ;altera est semiplena,vt eam vocat Dominicus Sotus lib. 7.de iust.& iure q.1.ar.2. secundum quam non considerantur ea,quæ sunt circa rem, quam quis vult vouere,itaut possit dicere si hoc,vel illud considerassem certe votum non fecissem. 13

Tota difficultas est vtrum ad votum faciendum necessaria sit plena deliberatio , an vero sufficiat semiplena,Et quidem videtur vera opinio affirmatiua , videlicet quod requiratur plena.

Primo quia votum , cum à voluntate dicatur , debet esse omnino voluntarium , sed votum factum sine plena deliberatione non videtur voluntarium , quia si fuisset facta deliberatio plena , non fuisset factum votum;Deinde quia vbi non est deliberatio plena potest esse ignorātia, idest posset fieri quod si aliquis sciuisset aliquā rem , quæ est circa rem votam non vouisset.

Secundo capitulo Consaldus caussa 17. q. 2. ab Alexandro II. declaratur votum cuiusdam factum in feruore infirmitatis esse nullum.

Tertio capitulo Perlatum, De his, quæ vi,

vi, metune caussa sunt declaratur votum mulieris factum propter metum mortis esse nullum.

Propter has rationes quidam DD. dixerunt votum sine plena deliberatione esse nullum; & propterea votum factum in furore infirmitatis, in feruore iræ, & in maximo periculo, puta in naufragio, esse nullum, quia fit sine plena deliberatione ita Ricar in 4.dist 38.q.1.& nonnulli alij, quos refert Syluester verbo votum 2 § 13. Ang. in summa verbo votum dicit, quod signum quod non fuerit tanta deliberatio quanta sufficit ad votum factum in feruore iræ, infirmitatis,& in periculo,est quādo cessato feruore, vel periculo est vt inquit ipse malecontentus, quod vouerit.

Sed Nau.in man. cap.12.nu.26. & Dominicus Sotus lib.7.de iust. & iure q 1.ar. 2. dicunt hanc regulam non esse veram, quia etiam plerique, qui cum plena deliberatione vouerunt postea sunt malecontenti, quòd vouerint.

Altera opinio,& vera est negatiua idest quòd non necessario requiritur ad votum plena deliberatio, sed sufficit semiplena, ita Paludan. in 4. dist.38. Caiet. 2.2 q.88. ar.1. Dominicus Sotus lib.7.de iust.& iure ar.cit.Nau.in man.n.cit.& Syl.n.16. supra citato.

14 Dicendum est primo, quod votum factum sine vlla deliberatione est nullum,vt dicunt oēs Doctores, vt si fieret ab amente, ebrio, vel dormiente; tales enim non possunt habere deliberationem, idest discursū humanum, & propterea etiam si malefacerent non peccarent.

Similiter & si homo sanæ mentis, absq. vlla prorsus deliberatione, seu consideratione voueret,puta non aduertendo, idest nesciens id, quod voueret, & illud nihil considerans

Dicendum est secundo, quòd ad votum constituendum sufficit,quòd homo quando vouet cognoscat id, quod facit,& probatur quia vtsupra diximus,&,vt referunt Nauarus,Sotus,& Syluester locis supra citatis ex gl. capituli Mulier 32. q. 2 primo id, quod sufficit ad obligandum nos diabolo, sufficit etiam ad obligandum Deo, secundo Matrimonium contractum absq; plena deliberatione est validum, ergo & votum;sufficit enim ad Matrimonium cōtrahendum, quòd contrahens cognoscat id,quod facit,& intendat illud facere, etiā si plura alia considerasset matrimoniū non cōtraxisset, tertio capitulo sicut nobis, De regularibus declaratur votum factum in feruore infirmitatis esse validum, & 16.q. 4.capitulo sunt,qui opes, declaratur votū factum ex tumultuario impetu dandi opes Ecclesiæ esse validum. Item capitulo venientis, De voto,& voti redemptione declaratur votum factum ex animi facilitate esse validum.

Dicendum est tertio, quod vota facta 15 sine plena deliberatione sunt facilè dispēsabilia, quod dicit Nauarus, & Sotus locis cit.& Panormitan.cap.venientis,De voto, & voti redemptione. Addit tamen Dominicus Sotus, quòd signum ingrati animi est quando ille, qui vouit in infirmitate, vt haberet sanitatem, habita sanitate exquirit voti dispensationem.

Ad primam rationem allatam in contrarium respondeo,quod vbi est deliberatio semiplena est tantum voluntarij,quantum sufficit ad votum.

Ad secundum respondeo,quod capitulo citato Consaldus Alexander secundus dixit votum illius infirmi esse nullū, quia propter vehementem passionem infirmitatis erat extra se positus.

Ad tertiam rationem respōdetur, quòd Alexander Tertius capitulo Perlatum dixit votum illius mulieris, de qua fit mentio in dicto capitulo,esse nullum, quia vouerat propter metum mortis extrinsecus incussum ad hoc, vt voueret, vt supra dictum est.

Dices deliberatio, quæ requiritur ad votum debetne præcedere ipsum votum, seu promissionem factā Deo, per aliquod tempus?

Respondeo cum Nau. in man. cap. 12. num 26.quod non est necesse,vt præcedat tempore, sed sufficit vt præcedat natura, quemadmodum ignis præcedit calorem. Quare in eodem instanti temporis poterit esse & deliberatio,& promissio,sicuti in eodem instanti temporis, & est ignis, & calor, qui ab igne producitur.

Quinto quæritur vtrum propositum sit 16 necessarium ad votum?

Ad

Ad hoc breuiter respondetur,quod quadrupliciter potest homo se habere in ordine ad propositum voti, nam primo vel proponit vouere, & seruare votum, idest facere id,quod vouet,& hoc est verè,& bene vouere.

Secundo vel proponit,seu intendit non vouere,neque facere opere, id quod vouet ore, & qui sic vouet vere non vouet, sed votum est nullum;cogetur tamen aliquādo ab Ecclesia seruare votum,quod ore facit primo quia Ecclesia non iudicat de interioribus in foro exteriori, secundo quia non est magis tali credendum quando dicit quod non habebat propositum vouendi,quam quando dixit quod vouebat,tertio quia promissio facta homini sine animo, seu voluntate, vel intentione obseruandi quod promittitur,in foro exteriori est obligatoria, quarto quia si crederetur illi, quod non habebat animum vouendi aperiretur ianua Monasteriorum, & Religionis Religiosis; sicut si crederetur illis, qui contraxerunt Matrimonium, quod nō habuerint animum,seu intentionem, idest consensum,seu propositum contrahendi, quando contrahebant, facile multa dissoluerentur Matrimonia.

Sed dices teneretur ne qui sic vouerer in conscientia obseruare votum?

Caiet. in summa. D.Th.2.2.q.88.art.1. dicit quod teneretur non ratione voti, sed ratione mandati; vnde addit Dom Sotus quod si talis posset fugere sine scandalo in longinquas regiones,vbi non cognosceretur,posset ibi sine peccato non seruare votum.

Tertio vel vouet cum animo, seu proposito vouendi,sed non seruandi votum; & tale votum esset validum, sed cum peccat mortaliter, & teneretur qui sic vouit votum seruare; sicut qui iurauit facere aliquid cum animo iurandi, sed non faciendi, quod iurat peccaret mortaliter, & tenetur facere id, quod iurat si est bonum.

Quarto vel ille, qui vouet intendit vouere,sed non se obligare ad faciendum id, quod vouet, & dic, vt ait Sotus lib. 7 de iust.& iure q. 1. artic. 2. vere vouet,quia si vult causam, idest votum, necessario vult eius effectum, idest obligationem.

Sed alij dicunt quod tale votum non est validum,quia, quod astruit destruit;& Nau. cap. 12. man. num.24.27.& 38.dicit quod qui vouet sine animo se obligandi vere non vouet;idem dicit Caiet.art.1.supracitato: Sed opinio Soti videtur verior. Et hoc sit tamquam problema.

Sexto quæritur vtrum ad votum necessario requiratur promissio? 17

Theologi dicunt ad votum necessario requiri promissionem Deo factam,& propterea ponunt eam in deffinitione voti; imo,& in recto,quia non modo est necessaria ad votum,sed est genus voti;& quidē quod promissio sit necessaria ad votum probatur etiam ex Capitulo literaturam tuam, De voto, & voti redemptione, in quo habetur quod propositum non sufficit ad votum, nisi accedat & deliberatio, & promissio.

Fuerunt tamen nonnulli Iuristæ,vt dicit Dominicus Sotus lib.7. de iust & iure q. 1. art. 2. qui dixerunt propositum cum deliberatione habere vim obligandi sine promissione, sed errarunt.

Et si aliqui Canones, vt Capitulo,Qui bona 17. q. 1. & Capitulo Nuptiarum 27. q 1.dicunt propositum obligare,subintelligendum est si est cum promissione.

Atque ex his patet quod votum licet sit imperatum à voluntate est tamen actus intellectus, quia est promissio quædam,& promissio pertinet ad intellectum,quod si esset propositum esset actus voluntatis,quia propositum est in voluntate; ita Sot. art. citatis.

Septimo,& vltimo quæritur quotuplex sit votum? 18

Ad hoc dico primo, quod votum est duplex,aliud de re,quæ est in præcepto,vt votum non furandi, vel non fornicandi; aliud de re, quæ non est in præcepto, sed tantum in Consilio,vt votum Religionis, vel dandi eleæmosinam pauperi non existenti in graui,vel extrema necessitate, Et votum quod est de re,quæ est in præcepto est circunstantia vt infra explicabo membro sequenti,& dicitur votum commune, quia est de re, quam communiter omnes tenentur facere,vel vitare; est tamen propriè votum, vt probabo membro sequenti. contra nonnullos Doctores,vt Syluester,&

Tab.

Tab. tenentes contrarium.

Votum, quod est de re, quæ non est in præcepto, sed tantum in consilio, dicitur votum singulare, quia non omnes homines tenentur eam facere de præcepto, sed tantum illi, qui voverunt eam.

19 Dico secundo, quod votum rursus duplex est, aliud, quod dicitur solemne, & aliud quod dicitur simplex.

Votum solemne est illud castitatis, quod implicitè, vel explicitè emittitur in susceptione Ordinis Sacri; & illa tria scilicet Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, quę emittuntur in tacita, vel expressa professione Religionis approbatæ. Et quidem de hoc voto solemni, præcipuè castitatis; quod emittitur in professione Religionis approbatæ satis fusè dixi, sicut, & de alio Castitatis, quod emittitur in susceptione Ordinis Sacri in tractatu de Sacramentis parte vltima, circa impedimentum Matrimonij, quod dicitur votum, & ordo.

Votum simplex est omne aliud votum, quod non est vnum ex quatuor prædictis.

Dico tertio, quod votum rursus duplex est, aliud absolutum, vt cum quis vouet aliquam peregrinationem absolutè, aliud conditionatum vt cum quis vouet nō absolutè, sed cum conditione, vt si Deus dederit mihi sanitatem voueo hoc facere.

Angelus in summa verbo votū, vt ĕt refert Syl. verbo votum 1. §. 5 refert ex Innocentio III. Votum conditionatum non esse licitum, quia in se cōtinet symoniam, & forsan propter hanc rationem, si ego promitterem Episcopo, & me obligarem dare aliquod munus alicui Ecclesiæ si mihi ordines Sacros conferret, vel aliquod beneficium, certè esset symonia, ergo & similiter si vouerem Deo idem, si ordines, vel beneficium habuero. Sed Sylu. loco cit. optimè respondet, quod votum conditionatum est validum, & licitum, quia inter Deum, & hominem nō potest esse emptio, vel venditio, qualis est symonia, est enim symonia emptio, vel venditio rei spiritualis, vel spirituali annexæ.

20 Dico quarto, quod aliqui dicunt, Rursus votum esse duplex; Aliud, quod fit in Baptismo; aliud, quod fit extra Baptismū; Sed hæc diuisio non est bona, quia illa abrenunciatio, quæ fit in Baptismo, non est votum propriè, vt bene dicit Caiet. 2. 2. q. 88. & Nau. in man. cap. 12. n. 31.

Dico quinto, quod votum rursus triplex est; aliud personale vt voueo ieiuniū, vel peregrinationem; aliud reale vt voueo offerre calicem, vel dare eleæmosinam; aliud personale, & reale simul vt voueo ire Lauretum, & offerre Calicem. 21

MEMBRVM SECVNDVM.

De materia voti.

1 *De quibus possit quis vouere.*
2 *De re impossibili non est votum.*
3 *Vouere vota impossibilia an sit peccatum, & quale.*
4 *Votum de re præcepta an sit validum.*
5 *Votum de non peccando venialiter an teneat.*
6 *Quid si votum sit de non committendo hoc veniali?*
7 *Votum de non peccando mortaliter qualiter obliget.*
8 *An possit fieri votum de rebus, quæ sunt in consilio.*
9 *Votum liceat votum de ijs, quæ sunt contra consilium.*
10 *Votum de non vouendo nisi coram testibus.*
11 *Votum de re media inter bonam, & meliorem.*
12 *Votum de nubendo an sit validum.*
13 *Votum de re indifferenti.*
14 *Votum factum de peccato veniali quale peccatum sit.*
15 *Votum de re mortali an mortale sit.*
16 *An sit laudabilius aliquid facere ex voto, quam sine voto.*
17 *An Christus, Beata Virgo, & Apostoli fecerint vota.*

IN principio huius membri prænotandum est ex Caiet. 2. 2 q. 88 ar. 2. in principio Expositionis ipsius articuli, Quod septem sunt genera rerum, de quibus potest quæri an possint esse voti materia. 1

Primum est earum rerum, quę sunt simpliciter necessariæ, vel, vt hoc addam, omnino impossibiles, vt mori, vel non mori, volare, vel non volare.

Secun-

Secundum, Est earum rerum, quæ nō sunt simpliciter necessariæ, sed sunt necessariæ ad salutem nostram, vt non fornicari, non furari, confiteri p. m.

Tertium, Est earum rerum, quæ nec sunt necessariæ simpliciter, neque ad salutem æternam, sed melius est eas facere, quam non facere, vt profiteri Religionem; seruare virginitatem, & similia.

Quartum, Est earum rerum, quæ quidem sunt bonæ, sed non est melius eas facere, quam non facere, vt nubere.

Quintum, Est earum rerum, quæ de sua natura, nec sunt bonæ, nec sunt malę, sed indifferentes, vt non nere in die Sabbathi; induere vestes albas, non comedere caput piscis in honorem Sancti Iohannis.

Sextum, Est earum rerum, quæ impediūt progressū specialē, vt pecca ū venialæ

Septimum, Est earum rerum, quæ tollunt vitam spiritualem, Vt homicidium; furtum; & alia p. m. De his enim posset aliquis quærere, an omnia possint esse materia voti; & ideo.

2 Primo quæritur in hoc membro, vtrū si quis voueret mori; vel non mori; volare, vel non volare faceret votum validū?

Ad hoc respondet D. Th. 2. 2 q 88. art. 2 C. i. t. ibidem. Dominicus Sotus lib. 7. de iust. & iure q. prima ar. 3 Nau. in man. cap. 12 num. 28. quod tale votum non est validum, & ratio huius est, quia cum votum à voluntate dicatur debet esse de his, quæ possunt esse subiecta nostræ voluntati, idest quæ nos possum. facere, & non facere iuxta nostrum arbitrium, sed ea, quæ sunt simpliciter necessaria, vel omnino impossibilia, vt mori, non mori; volare, non volare non subijciuntur voluntati nostræ.

3 Quod si dicas si quis similia emitteret vota peccaret ne?

Respondeo quod talia vota dicuntur stulta, & propterea, qui ea emitteret falsé peccat venialite, & mortaliter si ppter ho... arrogare iniuriam Deo.

4 Secundo queritur vtrum votum factū de re, quæ est in præcepto, puta non fornicandi, vel audiendi Missam die festo sit validum?

D. Bonauentura libro 4. sent. dist. 38. Syl. in summa verbo votum primo §. 4. & Tab. verbo votum primo. §. 3. & nonnulli alij respondent negatiuè.

Sed contraria sententia, quæ est affirmatiua est vera, & communior Doctorū, & eam sequitur Ricc. in 4. dist. 38. Caiet. 2. 2. quest. 88. art. 2. Dominicus Sotus libro 7. de iustitia, & iure q p. ar. 3 Nau. in Man. cap. 12 num. 34 & alij complures, & probatur.

Primo, quia votum est de his quæ subsunt voluntati nostræ, sed ea, quæ sunt in præcepto subsunt nostræ voluntati, nam licet sint necessaria ad salutem possumus tamen ea facere, & non facere.

Secundo votū, quod facit, qui ordinatur in sacris, & qui profitetur Religionē, non tantum est de non nubendo, sed etiā de seruanda castitate, idest de non mæchando, non fornicando, & similia, quæ sunt in præcepto; vnde si ordinatus in sacris, vel Religiosus professus fornicatur peccat contra votum, & non tantum contra sextum præceptum Decalogi.

Tertio iuramentum factum de re, quæ est in præcepto est validum, ergo, & votum.

Quarto, & vltimo D. Augustinus 12. quæst. 1. cap. pri. dicit quod alia sunt, quæ etiam non vouentes tenemur facere, & alia, quæ tantum vouentes, ex quo videtur dicere, quòd de ijs, quæ sunt in pręcepto potest esse votum.

Ex dictis infert Nau & Caiet. locis citatis, quod si aliquis facit contra aliquod pręceptum, & voueret non facere contra illud committit p. m. duplex, seu cum duplici obliquitate, quia, & facit contra pręceptum, & contra votum, vt si vouisti non fornicari, & postea fornicaris, peccas dupliciter, quia facis contra præceptum non fornicandi, & contra votum, & propterea, vt sæpe alias dixi, quando volueris peccata confiteri non sufficiet tibi dicere, quod fornicatus es, sed, & quod tenebaris non fornicari propter votum; licet Tabiensis in summa verbo votum primo §. 3. cōtra communiorem Doct. opinionem contrariam existimauerit.

5 Sed dices esset ne votū validū si aliquis voueret nūquā peccare venialiter? videtur enim quod sic quia melius est non p. v. quam

G

quam peccare, & votum de meliori bono est validum.

Respondeo quod non esset votum, quia licet non peccare venialiter sit melius, quam peccare, est tamen impossibile in hac vita, & votum, vt diximus in quæsito antecedenti, debet esse non tantum de meliori bono, sed de re possibili, quæ sit melius bonũ; Votũ enim vt dixim⁹, debet esse de rebus, quæ subsunt voluntati nostræ.

6 Dices secundo, si quis faceret votum non cõmittendi tale p. v. puta nõ dicendi mendacium iocosum, seu officiosum esset ne validum.

Respondeo affirmatiue, quia esset de re possibili, & de meliori bono, nam licet aliquis non possit vitare omnia p. v. potest tamen, si vult, in particulari hæc, vel illa vitare, vt mendacium, & melius est vitare mendacium, quam non vitare.

Quod si deinde quæras An talis p. m. faciendo contra votum, idest mentiendo ioeose, vel officiose post votum factum?

Resp. ꝙ nõ mortaliter, vt postea dicã memoro sequenti, propter paruitatem rei, sed quidem venialiter.

7 Dices tertio, An si quis voueret nũquã p. m. votum esset validum?

Ego resp. quod esset validum, quia, supposito Dei auxilio posset homo omnia mortalia vitare. Verum quidem est quod tale votum esset periculosum, & propterea non suadendum alteri, ne eius animus magis illaquearetur.

Dices vltimo, an esset persuadendum alicui, vt faceret votum non committendi tale p. m. in specie, puta fornicationem.

Respondetur, quod consideranda esset persona, an esset talis, quæ nulla ratione faceret contra votum, an verò facile faceret contra votum; Si primo persuadendũ esset secus si secundo quia esset exponere personam maiori euidenti periculo.

8 Tertio quæritur vtrum de rebus, quæ sunt in consilio possit fieri votum?

Respondeo quod de hoc non est dubiũ apud Doct. quia omnes dicunt votum de ijs, quæ sunt in consilio esse validum, imò proprijssimè votum est tantum de illis.

9 Sed dices primo vtrum facere votum de ijs, quæ sunt contra consilium sit licitum, vt non mutuandi, non dandi eleemosinam &c.?

Ad hoc dico primo, cum communi Doct. opinione, quod tale votum est inualidum, quia non est de meliori bono.

Dico secundo, quod tale votum est peccatum, quia displicet Deo stulta promissio.

Dico tertio, quod tale votum de sua natura esset saltem peccatum veniale.

Dico quarto, quod tale votũ esset p. m. si qui sic voueret, intenderet illud seruare etiam in casu, in quo obligatur ad contrarium ex præcepto, vt in casu extremæ necessitatis.

Dico quinto, quod tale votũ esset etiã p. m. si qui sic voueret, ita voueret, vt faceret aliquid, quod Deo displiceret, quia intendere immediate facere aliquid contra Deum hoc fine vt sit contra Deum est peccatum mortale grauissimum.

10 Dices secundo, An facere votum de nõ faciendo votum, nisi coram testibus, vel in scriptis sit votum validum?

Riccardus in 4 sententiarum dist. 38. affirmat aliquando facere votum de non facienda re, quæ est in consilio, esse validum, idest de non faciendo votum sine testibus.

Primo respondeo, quod facere votum absolute de non faciendo votum, non est vouere, seu tale votum non est validum, quia est contra rem, quæ est in consilio idest vouere.

Secundo, quod votũ de non faciendo votum nisi coram testibus, vel in scriptis est validum, quia est de meliori bono, nam melius est vouere coram testibus, vel in scriptis, quam sine testibus, & sine scriptis, quia hoc tollit præcipitationem vouendi, & incertitudinem voti.

Tertio, quod non obstante tali voto si postea quis voueret sine testibus, & sine scriptis votum esset validum, sed esset cum peccato, quia esset contra antecedens votum, nec prohibet votum antecedens quin secundũ sit votũ, quia votũ antecedens est lex, & si quis facit contra legem peccat quidem, sed factum tenet, quando lex nõ est talis, quæ possit dirimere ipsum factũ, vt si vouisti non contrahere matrimoniũ, &

postea contrahis facis contra votum, sed Matrimonium est validum.

Notandum hic est, vt notat Syluester in summa verbo votum primo §. 4. quod quando fit votum de aliqua re bona, quæ respectu aliquorum est melior, & respectu aliorum minus bona, votum factum de ea est validum respectu earum rerum, quæ sunt minus bonæ, sed non respectu earũ, quæ sunt meliores, vt si vouisti perpetuo inseruire alicui Hospitali, teneris illi inseruire, quia melius est, quam illi non inseruire, sed si volueris fieri Religiosus votum de inseruiendo Hospitali non erit amplius validum, quia est impeditiuum maioris boni, slz. Religionis, quæ est maius bonum.

Similiter si vouisti Religionem laxam, & postea volueris ingredi strictionem votum non amplius obligat, quia melius bonum est ingredi strictionem Religioné, quam magis laxam.

Et per laxam non intelligas eam, in qua non seruatur modus viuendi religiosus; sed eam, in qua seruatur, sed non ita stricte; quod si nolueris ingredi strictioré, teneris ingredi in illam; quam vouisti.

12 Quarto quæritur, an votum de nubendo sit validum? Nau. in man. cap. 12. num 43. benedicit quod absolute non est validum, quia est impeditiuum maioris boni, melior est enim status continentiũ, quam coniugatorum, vt dicunt omnes Catholici Doctores, & vt determinatum est in Concilio Tridentino.

Posset tamen in aliquo poni aliqua circunstantia, quæ efficeret, vt illi esset melius nubere, quam non nubere, & si talis faceret votum de nubendo esset validum, vt si aliquis propter incontinentiã sæpe caderet in peccatum fornicationis, vel aliud carnis, illi esset melius nubere, quam non nubere, & propterea si faceret votum nubendi esset validum; ita Nau. loco citato; & Caiet. 2. 2. q. 88. ar. 2.

13 Quinto quæritur vtrum de re indifferenti possit esse votum? Et per rem indifferentem intelligimus eam, quæ nec est moraliter bona, neque mala secundum se, vt deambulare per aliquam viam; ingredi in aliquam domum; nere die Sabbathi; vngues die Veneris incidere; induere vestes albas; immittere ossa in ignem; & similia.

Respondeo secundum omnes Doctores quod non est votum validum; ita Caiet. in summa verbo votũ D. Th. 2. 2. q. 88. ar. 2. & Caiet. ibidem. Nauarus cap. 12. manualis pluribus in locis. Dominicus Sotus libro 7. de iust. & iure. q. prima articulo 3. & alij.

Sed si rei indifferenti de sua natura addatur aliqua circunstantia, secundum quã fiat bona moraliter, & postea de ea fiat votum tunc est validum, quia illa res cum illa circunstantia non est amplius indifferens, sed bona, vt si vouisti non ingredi talem domum, quia in ea manet meretrix, quæ te allicit ad malum. vel non deambulare per talem viam, quia in ea commoratur inimicus tuus, quò viso incitaris ad odium, votum est validum, dum manet illa circunstantia, sed si denuo res fiat indifferens cessat votum, vt si moriatur meretrix, vel inimicus, vel alio discedat.

Sed dices votũ factũ de re indifferenti manente sua indifferẽtia est ne peccatũ?

Respondeo quod est saltem p. v. quia est stulta promissio, & Deo displicet stulta promissio; sed si credas rem indifferentem esse bonam, & Deo gratam, non est peccatum; & teneris seruare votum quousq; cesset tua ignorantia, qua cessata non amplius teneberis illud seruare; nec eges dispensatione licet contrarium existimauerit Syluester, contra quem arguit Nauarus in manuali capite citato.

Sexto quæritur vtrum votum factum de peccato veniali sit validum? 14

Ad hoc dico primo secundum omnes Doctores quod non, quia si de re indifferenti non est validum tanto minus de re mala.

Dico secundo, quod est saltem v. p. & graue, & mortale si illud facias, vt facias aliquid, quod Deo displiceat; & si animaduerteres quando facis tale votum, quod Deo displicet esses in periculo p m. licet illud non faceres hoc fine, vt facias aliquid, quod Deo displiceat, quia sponte, & aduertenter velles promittere Deo id, quod scis illi displicere.

Septimo quæritur vtrum votum factũ de re mortali sit p. m.? 15

G 2 Ad

Ad hoc dico primo. Quod non disputatur apud Doctores, an sit votum; quia si de re indifferenti, & veniali non potest esse votum, multo minus de p. m.

Dico secundo. Quod votum factum de re mortali est p. m. imo mortalissimum. Et quidem quod sit p. m. patet quia quādo quis vouet malum mort. habet animū committendi illud; & qui habet animum committendi mortale. p. m; quod sit mortalissimum probatur, quia qui minatur Deo peccat mortalissime, qui promittit Deo aliquod malum mort. comminatur in Deum, ergo qui vouet aliq. mortale mortalissime peccat.

Sed circa illicitorum vota notandum est ex Caiet. in suma verbo votum, quod sex modis potest contingere, quod aliquis voueat;

Primo potest esse, vt voueat rem intrinsece illicitam, vt homicidium, adulterium, furtum &c. & hoc votum est p. m. vt dixi.

Secūdo potest aliquis vouere aliq. d intrinsece bonum, sed vestitum malo fine; vt si voueres dare eleemosinam propter inanem gloriam; intellige si finis includitur in obiecto voti, & tale votum esset inualidum, & peccatum, quia licet sit de re bona secundum se, est tamen de re mala propter circunstantiam finis malam.

Additur quod idem esset dicendum si esset alia circūstantia mala, vt si vouisti peregrinari sine vestibus, non teneris seruare votum, quia licet peregrinari sit bonum si fiat cum debitis circunstantijs, est tamen malum quando illi adiungitur mala circunstantia.

Tertio potest aliquis vouere aliquod licitum, sed propter illicitam petitioné, vt si voueres dare centum Ecclesiæ si Deus concedat tibi, vt occidas inimicum, vel obtineas meretricem, & tale votum esset blasphæmia, & non votum, quia faceres Deum in mente tua auctorem, seu patronum mali culpæ.

Quarto potest homo vouere aliquod licitum in gratiarum actionem alicuius mali obtenti, vt si quis voueret aliquod bonum, quia obtinuit meretricem, quam volebat, vel inimicum occidit, vt desiderabat; & hoc etiam non est votum, sed blasphæmia, quia est existimare Deum fuisse mali auctorem; vt blasphæmus esset Sacerdos, si quia obtinuit aliquod malum, quod desiderabat, diceret Missam pro gratiarum actione.

Quinto potest homo vouere aliquod bonum ad obtinendam rem bonam, sed ex mala caussa, vt si quis voueret, inquit Caiet. aliquod bonum si haberet filium ex meretrice, quam habet; & tale votum, inquit ipse, est bonum, & validum, & obligat veniēte conditione ad sui obseruationem. Melius esset hoc exemplum si quis abiret, vt inimicum occideret, sed timeret ne ab inimico occideretur, & ideo voueret aliquod bonum si in aggressione, qua faciet in inimicum euadat incolumis.

Sexto potest homo vouere aliquod bonum si fecerit peccatum, ad euitandum, vel castigandum ipsum peccatum; vt si quis voueret aliquam rem bonam si fornicabitur, v. ergo vt faciat disciplinā quotiescunque fornicabitur, & hoc votum est validum, & obligat aduenientε conditione.

Ex his, quæ hactenus in hoc membro diximus clare patet, quod votum non potest esse de alijs, quam de ijs, quæ sunt in consilio, vel præcepto; & quod si sit de alijs non modo non est votum, sed est peccatum vel veniale, vel mortale iuxta ea, quæ dicta sunt.

Vltimo quæritur vtrum facere aliquid, & ex voto sit melius, laudabilius, & magis meritorium, quam idem facere non ex voto?

Et quidem prima fronte opinio negatiua videtur probabilis.

Primo quia facere aliquid ex libertate videtur laudabilius, quam idem facere ex obligatione.

Secundo, quia qui vouet exponit se periculo peccandi.

Tertio, quia non legitur, quod Christus, B. V. & Apostoli vouerint, & tamē, cum fuerint perfectissimi, vouissent facere bona, quæ faciebant si melius fuisset.

Primo dicendum est, quod vouere est licitum, vnde dicitur psalmo 75. vouete, & reddite Domino Deo vestro.

Secundo dicendum est quod vouere est actus Religionis, & Latriæ; nam Religio est

est virtus, quæ ordinat bonos actus ad cultum Dei, vt diximus in prima parte istius tractatus; & votum ordinat bonos actus ad cultum Dei; ita D. Thomas 2. 2. q. 88. ar. quinto.

Tertio dicendum est, quod facere aliquid ex voto Laudabilius, & magis meritorium est, quam idem facere non ex voto; ita D. Th. q. cit. art. 6. & alij Doctores scholastici libro quarto sent. dist. 38. qui omnes adducunt illud B. Anselmi quod melius est offerre fructum cum arbore, quam fructum tantum; licet aliqui dicant hoc non valere, quia videtur valere tantum ad probandum, quod votum, & obseruatio voti plus valent quam obseruatio voti tantum; secundo probatur, quia ille actus bonus, qui est ex pluribus virtutibus est laudabilior, & magis meritorius, quam ille, qui est ex vna tantum virtute, sed actus bonus, qui fit ex voto est ex pluribus virtutibus, vt ieiunium, quod fit per votum non tantum est virtutis abstinentiæ, seu temperantiæ, sed etiam Religionis, ergo.

Tertio ille, qui firmat magis voluntatem in bono, magis meretur; sed qui vouet magis firmat volũtatem in bono. ergo.

Ad primam rationem respondeo quod ille, qui facit votum non cogitur facere id, quod vouet, quia potest etiam illud non facere.

Deinde, ait B. Augustinus, quod fælix est necessitas, quæ ad meliora perducit.

Ad secundum respondeo, quod ille, qui vult equitare exponit se periculo cadendi.

Deinde dicitur Ecclesiastici vndecimo quod qui timet ventum non seminabit, & qui timet pluuiam non metet.

Deinde periculum non est ex parte voti; sed ex parte vouentis, qui vult transgredi votum.

17 Ad tertiam rationem resp. Quod Christus non vouit.

Primo quia erat Deus, & promissio fit Deo.

Secundo quia erat compræhensor.

Tertio quia erat omnino firmatus in bono.

Rursus dico quod B. V. vouit Virginitatem, vt inquit Beda; & D. Bernardus super Missus est, in illis verbis. quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?

Deinde dico, quod Apostoli vouerunt pertinentia ad perfectionem; quando sl. dixerunt Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te; ita. D. Th. 2. 2. q. 88. art. cit. Et hæc de hoc membro satis.

MEMBRVM TERTIVM.

De voto, quantum ad eius obligationem.

1 *Promissio facta homini qualiter obliget.*

2 *Promissio, quas conditiones requirat.*

3 *Votum, an obliget vouentem sub pęna peccati mortalis.*

4 *Quid si votum sit de re minima?*

5 *Quid de eo, qui vouit dare quotidie quadrant in pauperi?*

6 *Quando mutatur voti materia, qualis obligatio maneat.*

7 *Si impossibilitas superueniat materia voti.*

8 *De vouente ingredi religionem, quæ illius sint partes,*

9 *Quid de eo. qui vouit religionem, tũ contrahit matrimonium.*

10 *Votum religionis, castitatis, & non nubendi differunt.*

11 *Ad quid tenetur, qui retrahit aliquẽ à religione.*

12 *Quando votum adimplendum.*

13 *An toties quis peccet, quoties transgreditur votum.*

14 *Quando teneatur quis adimplere votum alterius.*

15 *Hæres quomodo teneatur implere vota illius, qui reliquit hæreditatem.*

16 *Cessante causa voti, an cesset votum.*

17 *An peccet, quem voti pœnitet.*

IN hoc membro primo quæritur, vtrũ promissio facta homini obliget sub pęna p. m. promittentem ad seruandum id, quod promissum est? & hæc quæritur quia si quis cognouerit promissionem tactum homini obligare promittentem ad sui obseruationem sub pęna p. m. certe, 1

& sibi persuadebit votum, quod est promissio facta Deo obligare vouentem sub pena p. m. ad sui obseruationem.

Et ad quæsitum dico, quod promissio facta homini obligat ad sui obseruationé, sub pęna p. m. ita Nau. in man. cap. 18. num. 6. Dominicus Sot. c. de iust. & iure q. 2. ar. 1. in resp. ad primum arg & Syluester in summa verbo pactum. § 4. licet Caiet. 2. 2 q. 88. existimauerit contrariú quando non obseruare promissum non est mendacium perniciosum, & vt clarius dixit q. 113. eiusdem secundæ partis.

Et probatur opinio Nau. & aliorum.

Primo quia, vt dicit Cic. lib. 1. de officijs, & ex Cicerone ipso D. Augustinus Epistola 19. ad Hier. & D. Th. 2. 2. q. 88. fides quando signant fidelitatem ideo fides dicitur, quia fieri debeat id, quod dicitur.

Secundo non seruare fidem est contra iustitiam, sed quod est contra iustitiam est p m.

Tertio apud omnes gentes sceleltissimus reputatur ille, qui promissum non seruat, & vt dicit Sot. loco cit. vox vniuersæ gentis est vox legis naturæ, & vt alij dicunt vox populi vox Dei.

2 Sed notandum hic est ex Nau. maxime loco cit. & alijs DD. quod ad hoc vt promissio obliget promittentem ad sui obseruationem sub pęna p. m. requiruntur nónullæ conditiones, quarum.

Prima est, quod promissio sit voluntaria, idest non extorta per metum cadenté in constantem vtrum, nam hoc modo non obligaret, sicuti supra diximus membro primo quæsito 3. de voto nisi esset iuramento firmata, quia iuramentum, vt diximus in membro dicto, & in cap. præcedenti cum de eo ageremus obligat propter reuerentiam diuini nominis etiamsi sit extortum per metum cadentem in constantem vitum, & qui sit talis metus dictú est in dicto quæsito.

Secunda conditio, quæ requiritur ad promissionem, vt obliget &c. est quod sit facta cum deliberatione, nam si fiat sine vlla deliberatione, & aduertentia non obligat tanta autem deliberatio requiritur ad promissionem factam homini, vt sit obligatoria, quantam diximus requiri ad faciédum votum validum in primo méb. quæsito 4.

Tertia conditio est, quod sit vera idest non ficta, sed facta cum animo promittendi, itaut animus correspondeat verbis, ná promissio facta sine animo promittendi in conscientia non obligat, peccat tam promittens, & quidem mort. si ex hoc noceat, vel intendat notabiliter nocere proximo.

Et dixi quod non obligat in cōscientia, quia in foro exteriori, si est vestita, idest facta cum testibus, vel instrumento, vel aliá publica scriptura obligabit.

Quarta conditio debet esse de re licita, nam si fieret de re illicita non obligaret, vt si vouisti aliquem occidere, vt habet capitulo in malis 2. 2. q. 4.

Quinta conditio est, quod sit rei possibilis, quia si vouisti volare, non teneris, quia ad impossibile nemo tenetur.

Sexta conditio, quod sit rei notabilis, nam si est de re parui momenti non obligat ad p. m. vt si promisisti nomine meo dicere alicui salutem non p. m. non seruando. similiter si promisisti cænare mecum, vel aliud parui momenti facere.

Septima, & vltima, quod non sit eneruata per mutationem status, vt si res, quę erat possibilis, facta sit impossibilis, quæ licita facta sit illicita, vt si promisi dare ensem non teneor si factus est furiosus; & si promisi ducere Catarinam non teneor eam ducere si facta est meretrix, & similia, vt bene dicit D. Th. 2. 2. q. 110. ar. 3. in resp. ad 5. argumentum, & ideo D. Pau. non peccauit si non iuit Chorintum, prout promiserat primo cap. Epistolæ secundæ ad Cor. quia non poterat.

Secundo quæritur vtrum votum obliget ad sui obseruationem sub pęna peccati mortalis. 3

Resp. cum omnibus scholasticis Doctoribus. 4. sent. dist. 38. & cum D. Thoma 2. 2. q. 88. ar. 3. cum sumistis verbo votum; Dom. Soto. lib. 7. de iust. & iure q. 2. ar. primo cum Canonistis tit. de voto, & voti redemptione, & alijs omnibus Catholicis DD. quod votum obligat ad sui obseruationem sub pęna p. m.

Et

Et probatur primo quia dicitur Ecclesiastici quinto si quid vouisti ne moteris reddere, displicet enim Deo stulta promissio.

Secundo promissio facta homini cum debitis circumstantijs, de quibus dixi in quæsito antecedenti obligat sub pœna p. m. ad sui obseruationẽ. ergo multo magis votum, quod est promissio facta Deo.

Tertio idem probatur ijsdem rationibus, & multo magis, quibus supra probatum fuit in quæsito antecedenti, quo promissio facta homini obligat sub pęna p. m.

4 Fallit tamen hæc Regula generalis.

Primo quando votum est de re parui momenti secundum Nau. Sot. & alios; licet Caiet. contrarium tenuerit, prout hunc, & illos in capite antecedenti cum idem dubiũ de iuramento facto circa rẽ parui momenti proponeretur, citauimus; & certe quatuor, vel quinque illæ rationes, quibus probauimus iuramentum de re parui momenti non obligare sub pęna p. m., idem probant de voto facto de re parui momenti, quas ne longum faciamus ea repetendo, vos ibi iterum videte, ac diligenter considerate.

5 Dices, qđ si quis vouisset quotidie dare quadrantem pauperi?

Resp. quod si per vnum diem, duos, vel tres non seruaret votum non p. m. propter paruitatem rei; Secus si per multos dies, quia vt benedicit Dom. Sot. lib. 7. de iustitia, & iure q. 2. ar. primo si vouisti quotidie dare quadrantem pauperi, & hodie non das p. v. & cras teneris dare duos, & si cras non dabis duos, neque vnum sequenti die teneris dare tres, & sic deinceps; & si per duos menses non seruatis votum p. m. quia materia erit p. m. nam erit sex sextertiorum.

6 Secundo fallit quando materia voti facta est talis, qualis si fuisset, quando votum factum est, non fuisset validum votũ vt si facta est illicita, quæ erat licita; impossibilis, quæ erat possibilis, indifferens, quæ erat bona; vel impeditiua maioris bonis, quæ erat de meliori bono.

Sed vt rudiores intelligant ponantur exempla, quæ ponit Caiet. in summa, verbo votum, vt vouit mulier ieiunare quarta, sexta feria, vel Sabbatho etiam, per totum annum, vel per plures, concipit filium, parit, & lactat, non tenetur seruare votum, quia ieiunium, quod erat licitum quando vouit, factum est illicitum, quia est in præiudicium tertij, idest prolis, hoc autem intelligendum est durante tali causa.

Similiter vouit Rex ædificare, ornare, & dotare Monasterium, eicitur deinde, à Regno, & fit pauper, non tenetur seruare votum, sicut si nunc faceret tale votum esset inualidum.

Similiter vouisti non transire per talem viam, in qua commoratur inimicus, quo viso commoueris ad odium, si moritur, vel alio discedit, non teneris seruare votum.

Similiter si vouisti peregrinationem Hierosolimitanam, & postea vis fieri religiosus non teneris seruare votum.

Notandum tamen est ex Caiet. in sũma verbo votum, circa impossibilitatem superuenientem materiei voti, quod si superueniat toti materiæ votum non obligat in aliquo, manente dicta impossibilitate; sed si superueniat tantum parti votũ obligat ad aliam partem, vt si mulier vouit castitatem, postea contrahit, & consummat matrimoniũ nõ teneť seruare votũ castitatis, quantum ad redditionem debiti, quia non potest; sed quantum ad petitionem debiti. 7

Similiter si quis vouit dare centum aureos Monasterio, & surripiuntur quinquaginta; tenetur dare alios quinquaginta.

Tertio fallit quando votum est conditionatum, & conditio non fuit in actu; vt si quis vouit aliquod bonum si filius suus sanetur, si moriatur non tenetur seruare votum.

Quarto fallit, quando votum fuit irritatum, vel dispensatum, aut commutatũ; sed de irritatione, dispensatione, & commutatione voti dicetur infra Membro sequenti.

Tertio quæritur An ille, qui vouit ingredi Religionem si non admittitur in aliquam, in quam cuperet intrare teneatur in aliam ingredi, vt si vellet intrare in Religionem S. Francisci, sed ab ea repellatur, teneatur intrare in eam. l. Domi- 8

nici,

nici, vel in aliam, in qua reciperetur?

Dico primo, quod in similibus, & in omnibus alijs votis respicienda est intentio, quam habebat tacite, vel expresse vouens, quando vouebat, quia votum non ad plus obligat, quam ad illud, de quo vouens intendebat vouere.

Dico secundo, quod si aliqua persona vouit intrare in aliquod determinatum Monasterium, puta Annunciationis in Ciuitate Mediolani, si non admittitur in eo, in totum est libera, a voto, nec tenetur ingredi aliud Monasterium alterius Religionis, aut etiam eiusdem, etiamsi daretur omnino simile.

Dico tertio, quod si non repellitur in totum, sed tantum per aliquod tempus puta, vt probetur eius vocatio, vel vt locus vacet, tenebitur expectare.

Dico quarto, quod si quis vouit ingredi religionem S. Francisci, sed non determinando Monasterium, si non recipitur in religione S. Francisci, non tenebitur in aliam ingredi, sed est omnino liber, a voto, & si tentat ingredi in vnum Monast ord. S. Francisci, nec recipiatur in eo, tenetur aliud exquirere eiusdem Ordinis, in quo recipiatur; & si nullum inuenit, quod velit ipsum recipere liber est, à voto.

Quod si dicas, an talis teneatur commigrare ad omnia Monasteria ord. S Fráncisci donec inueniat vnum, in quo recipiatur?

Resp. cum Dom. Sot. 7. de iust. & iure q. 2. ar primo, quod non, sed sufficit tentare multa monasteria suæ prouinciæ, & alia si quæ sunt, in quibus probabiliter existimet quod recipietur, vel qua vero non.

Dico quinto, quod si aliquis vouit Religionem absolute, non determinando potius hanc, quã illã. si non recipitur in vna tenetur in aliam intrare, si aliqua est, quę velit illum recipere.

Dico sexto, quod si aliquis vouit fieri Monachus, ex illis, qui celebrant Missam non tenetur fieri conuersus, si nolunt eum recipere nisi pro conuerso.

Quarto quæritur vtrum ille, qui vouit fieri Monachus ex illis, qui celebrant Missam, teneatur studere Grammaticæ, quia non potest recipi in Monasterio, nisi eam discat.

Resp. quod tenetur, quia tenetur facere, quod in se est vt possit adimplere votum.

Quinto quæris, An ille, qui vouit Religionem in comuni, vel particulari, & ab illa repellitur teneatur in sæculo seruare castitatem propter votum religionis factum? Caiet. 2.2. q 88. ar. 3. Dominicus Sot. lib. 7. de iust. & iure. q. 2. ar. primo, & Nau. in manuali cap. 12 num 47. dicunt quod non.

Primo, quia alioquin sequeretur, quod statim, ac aliquis vouit ingredi in Religionem San. Benedicti teneretur non comedere carnes.

Secundo quia sequeretur quod ille, qui vouit fieri Sacerdos, si non potest fieri, quia est irregularis, teneretur recitare horas Canonicas, quod est falsum.

Tertio quia, qui vouet Religionem vouet seruare castitatem tantum in Religione, & non extra Religionem.

Sed dices primo mulier, quæ vouit virginitatem, si postea corrumpatur tenebitur seruare castitatem, vt ait D. Th. 2. 2. q 88. ar. 3. ergo, & qui vouit Religionem si non recipitur in ea, saltem tenebitur seruare eius Regulas in quantũ potest.

Ad hoc respondeo, quod vouere virginitatem potest intelligi duobus modis, idest vel seruare omnino incorruptionem, vel vt communiter intelligitur non cognoscere virum; & si primo modo puella vouit virginitatem non tenebitur seruare votum post corruptionem, quia est illi impossibile; si vero secundo modo, tenebitur seruare castitatem post corruptionem.

Dices secundo, qui vouit ieiunare per totum aduentum si non potest ieiunare per omnes dies, saltem tenebitur ieiunare per eos dies, in quibus potest, ergo & qui vouit Religionem si non potest in eã intrare, saltem tenebitur seruare Regulas quantum potest.

Respondeo quod ille, qui vouit Religionem tenebitur seruare castitatem, sed in Religione, quia qui vouet Religionem vouet omnes status in Religione, non autem

tem

item extra Religionem; sed qui vouet ieiunare per totum aduentum, si non potest ieiunare per totum, tenebitur ieiunare in illis diebus aduentus, in quibus potest, quia ieiunium illorum dierum est pars voti.

Sexto quæritur vtrum ille, qui vouit religionem, vel suscipere ordines Sacros, deinde antequam ingrediatur relig. vel ord. suscipiat culpabiliter contrahit matrimonium possit petere debitum?

De hoc dicendũ est primo quod talis quando Matrimonium contrahit p. m. si non habet intentionem seruandi votum, quam non potest habere licite si vouit suscipere ord. sacros; & si habet intentionẽ ingrediendi Religionem, si eam vouet p. m. quia decipit coniugem.

Quod si dicas, quid si iurasset contrahere matrimonium postquam vouit Religionem?

Sunt qui ad hoc respondeant, quod posset contrahere Matrimonium, vt seruet iuramentum, deinde ingredi Religionem vt seruet votum; Et hoc probant auctoritate cuiusdam Can. quem nos citauimus in sacramento Matrimonij; sed Papa in eo Canone loquutus est secundũ opinionem apparentem, & famosam, vt nonnulli existimant.

Quare dicendum est, quod talis deberet seruare votum, & non iuramentum, quia iuramentum non fuit validum, quia fuit de materia illi illicita.

Dicendum secundo, quod ille, qui vouet religionẽ, vel ordines sacros suscipere, & postea culpabiliter matrimoniũ cõtrahit, ante cõsumationẽ Matrimonij tetur ingredi Religionem sub pœna p. m. quia tenetur facere quicquid potest, vt votum suum adimpleat, & qui contraxit matrimoniũ quod nondũ cõsumauit licite potest Religionem ingredi, vt fuse explicatum fuit in tractatu de Sacramentis in parte vltima.

Dicendũ tertio, quod talis p. m. si cõsumat matrimoniũ, quia in illa consumatione reddit se inhabilem ad seruandum votum.

Dicendum quarto, quod mortua vxore tenebitur talis ingredi religionem si vouit eam; vel suscipere ordines sacros si potest, si vouit illos suscipere.

Et dixi, si potest, quia si propter consumationẽ matrimonij factus esset irregularis, quia forsan vxor erat vidua, vel ipse erat primo viduus non tenetur suscipere ordines sacros, vt diximus in tractatu de Sacramentis parte vltima, vbi de ordine.

Dicendum esset quinto, secũdum opinionem Syl. in sum. verbo votum; Tab. in sum. verbo matrimonium, & D. Ant. quod talis post primam copulam adhuc viuente vxore non posset petere debitum, sed tantum reddere; sed melius dicendum est secundum opinionem Caiet. 2. 2. q. 88. art. 3. Nau. in man. cap. 12. Domin. Sot. 7. de iust. & iure q. 2. ar. primo, quod talis viuente vxore post consumationem matrimonij, absque peccato nouo potest petere debitum, sicut & reddere, quia licet vouerit religionem, seu suscipere ordines sacros, nõ tamen vouit castitatem adhuc, Et probatur quia si ille, qui vouit religionẽ, vel suscipere ordines sacros, antequã ingrediatur religionẽ, & profiteatur; vel antequã suscipiat ordines sacros fornicetur illa fornicatio nõ erit cõtra votum, sed simpliciter contra sextũ præceptum Decalogi.

Septimo quæritur vtrum votum Religionis, votum non nubendi, & votum Castitatis æquipolleant?

Respondetur, quod non, quia ille, qui vouit religionem, vel non nubere si committat fornicationem ante professionem non facit contra votum, sed ille, qui vouit castitatem quotiescunque fornicatur facit contra votum. Deinde si ille, qui vouit castitatem contrahit matrimonium, & consumat, non potest petere debitum, sed tantum reddere; sed ille, qui vouit religionem, seu non nubere, si postea contrahit matrimonium poterit petere, & reddere debitum.

Rursus ille, qui vouit religionem, vel castitatem perpetuam non potest dispensari in voto comuniter ab Episcopo, vt dicam in membro vltimo, sed tantum à Sum. Pontifice, ille vero, qui vouit non nubere potest dispensari ab Episcopo.

Octauo quæritur vtrum ille, qui fecit votum religionis, & ingressus est religionem,

nem, & professus est, & postea fuit expulsus, teneatur aliam ingredi Religionem?

Dom. Sot. 7. de iust. & iure. q. 2. ar. 1. dubitabat de hoc casu, quia videtur talis semel adimplesse votum postquam vnam religionem ingressus est, & in ea professus.

Sed dicendum est primo, quod talis si propter peccatum suum fuit expulsus à religione debet se emendare, & iterum ingredi religionem, in qua professus est; & si religio eum iam emendatum nolit recipere.

Dicendum est secundo, quod si vouerat iste Religionem in communi tenetur aliam ingredi, vt satisfaciat voto; Sed si vouerat in particulari eam, in quam est ingressus non tenetur aliam quærere, sed poterit manere in sæculo seruando tamen castitatem, quam vouit in religione.

Nono quæritur vtrum ille, qui vouit religionem aliquam, & in eam ingreditur; postea recedit antequam profiteatur, quia non placet illi modus viuendi illius Religionis, teneatur iterum illam ingredi?

Nauarus in man. cap. 12. num. 47. dicit quod non tenetur, quia satisfecit semel voto, nam aliud est vouere religionem, aliud est vouere perseuerare in religione, vel profiteri in religione.

Et ex hoc colligitur, quod si aliquis vouet religionem aliquam, & postea in eam ingreditur, si ingressus postea vouet professionem, vel perseuerare absque dubio votum simplex, quod fecit quando est ingressus, est distinctum ab eo, quod fecerat antequam ingrederetur.

11 Decimo quæritur vtrum ille, qui retraxit aliquem à voto religionis, seu à religione ipsa teneatur ad aliquid?

Respondeo primo, quod non tenetur ipse ingredi religionem, vt aliqui existimauerunt, quia religio est in consilio, & de iustitia non potest aliquis cogi, vt fiat religiosus, nisi sit propter votum propriũ; nec Ecclesia vnquam condemnauit aliquem vt fiat religiosus.

Dico secundo, quod an teneatur restituere aliquid religioni dictum est in tractatu de restitutione.

Dico tertio, quod de iustitia non tenetur ad aliquid circa eum, qui volebat ingredi religionem, vel qui fuit abstractus ab ea si est ita liber vt possit si vult ingredi religionem, quia ille, qui surripuit crumenam non tenetur hortari dominum crumenæ, vt eam recipiat, sed sufficit illam ei exhibere, vt possit capere si voluerit.

Dico quarto, quod ex charitate tenetur hortari volentem ingredi religionem, vel abstractum à religione vt eam ingrediatur; sed fusius de hoc in tractatu de restitutione.

Vndecimo quæritur quando aliquis teneatur adimplere votum? 12

Respondetur primo, quod si aliquis apposuit tempus, in quo adimpleret votum quando vouit tenetur implere illo tempore sub pæna p. m. si potest; Vt si quis vouit ieiunare per quatuor dies in sequenti hebdomada tenetur in ea ieiunare sub pæna p. mortalis.

Dico secundo, quod si apposuit tempus, in quo non teneatur adimplere votum non tenetur illud adimplere in eo, vt si quis vouit ire Lauretum mortua Matre, non tenetur adimplere ea viuente.

Sed notandum hic est diligenter, quod potest aliquis dupliciter apponere tempus voti; vno modo itaut sit pars voti, vt si vouisti ieiunare sexta feria, & tunc non teneris ieiunare die Sabbathi si non ieiunas sexta feria; alio modo ponitur tempus non vt pars voti, & tunc si non ieiunas in eo p. m & teneris votum adimplere postea, vt si vouisti ieiunare per quatuor dies in sequenti hebdomada non ieiunando p. m. & teneris ieiunare in alia hebdomada.

Dico tertio, quod si quis vouet aliquid sine vlla determinatione temporis Caiet. 2. 2. q. 88. ar. 3. & Nau. in man. cap. 12. num. 41. dicunt quod talis tenetur adimplere votum, quando conscientia remordet. Sed melius. D. Th. 2. 2. q. 88. ar. 3. Syl. verbo votum 2. §. 5. & Palud. in 4. dist. 34. dicunt quod talis tenetur quanto citius comode potest adimplere votum. Et probatur quia debitor tenetur soluere debitum, quanto citius potest si non adest deter-

determinatio temporis in quo soluat, secundo quia dicitur in sacra scriptura. Quod vouisti ne moreris reddere. Et dicit D. Th. 2 2 q. vltima ar. 6. ad 3. argum. quod ille, qui vouit relig. si timet supetuenturum aliquod impedimentum si aliquantulum tardet, tenetur statim ingredi, vt si timet quod Parentes cum aliquo modo impediant.

13 Duodecimo quæritur quoties quis transgreditur votum, an toties peccet?

Resp. affirmatiue, vt si vouisti audire Missam quotidie, & per tres dies omisisti sine impedimento, vel iusta caussa tria sacrilegia comisisti.

Et caussa rationabilis non adimplendi votum, vt non audiendi Missam, est illa per quam melius est non audire, quam audire Missam.

14 Decimotertio quæritur quãdo aliquis teneatur adimplere votum, quod alius fecit?

Pro responsione not. est ex Palud. vt & nos notauimus in primo membro huius capitis, quæsito vltimo secundum doctrinam eiusdem Palud 4. sent. dist. 38. q. 3. ar. 3. quod votum aliud est persona lem tantum, aliud reale tantum, & aliud mixtum iuxta exempla, quæ dedimus loco cit.

Et hoc supposito dico primo, quod nullus vnquam tenetur adimplere votum personale ab alio factum.

Et ex hoc infertur primo, quod si mater vouit filium suum futurum religiosũ non tenetur filius fieri religiosus; nisi quãdo Mater vouit ipse tali voto consenserit. Vt si mater vouit, quod si filius qui nasceretur ex ea esset masculus cum faceret religiosum, non teneretur ad religionem; teneretur tamen mater ipsum filium suum adhortari ad religionem; Sed si quando mater vouit filius erat adultus, & consensit absque vllo dubio tenetur ingredi religionem ratione illius consensus.

Infertur secundo, quod si quis vouit ieiunium non potest alter ieiunare pro ipso, sed si ipse non potest ieiunare est absolutus ab obligatione voti pro eo tempore, in quo non potest ieiunare.

Quod si dicas vnus potest pro alio pænitentiam iniunctam facere, si est data tantum in satisfactionem, non autem in remedium, & vt medicina quædam, ergo & vnus potest pro alio voto satisfacere.

Respondeo, quod non est par ratio, quia pænitentia datur ad tollendam pænam peccati, & in satisfactionem, quæ si non fiat etiam cum legitima caussa remanet pæna, & obligatio ad satisfactionem per aliqua opera satisfactoria in hoc mũdo; vel in purgatorio per ignem, & propterea potest vnus pro alio satisfacere.

Sed si quis non potest adimplere votum tollitur omnino obligatio ad votum pro tempore, in quo non potest adimplere.

Sed dices in multis oppidis sunt dies festi, qui dicuntur de voto, & propterea sunt in præcepto, & tamen qui vouerunt non sunt amplius in mundo, & tale votũ est personale, ergo aliquando vnus tenetur adimplere votum, quod alius fecit.

Respondeo cum Nau. cap. 12. num. 79. primo quod licet non sint nunc illi homines, qui vouerunt, est tamen idem populus, & populus est ille, qui votum facit.

Secundo quod si non tenentur successores seruare tale votum ex vi voti, tenentur tamen facere festum ratione promissionis factæ ab antecessoribus, nam antecessores possunt promittere pro successoribus, & ratione promissionis obligare successores; Vt si aliquod oppidum promitteret dare Regi, qui pro tempore erit centum in singulis annis successores tenebuntur dare centum.

Tertio dico, quod successores tenebuntur seruare dictum festum ratione statuti, quia ex voto facto ab antecessoribus statuitur, quod in tali oppido seruetur tale festum.

Quarto dico, quod successores tenebuntur seruare festum ratione consuetudinis, & consuetudo tantum valet in obseruatione dierum festorum, vt dicam in parte sequenti circa tertium præceptum; quod illi tantum dies festi sunt obseruandi in vno quoque oppido, Ciuitate, & diœcesi, quæ in eo, vel in ea consueuerunt seruari. Secus esset si aliquod oppidum voueret faceret festum tantum per decem an-

nos in tali die, talis Sancti, populus enim post decennium non teneretur amplius; sed si non obstante quod transierit decennium assuescant homines tali die facere festum, successores postea tenebuntur facere festum propter consuetudinem, quæ vsque ad eos peruenit.

15 Dico secundo quod hæres tenetur implere votum illius, qui reliquit hæreditatem si est reale; Ratio est quia in voto reali obligatur res familiaris, quæ si transit ad alium transit cum onere suo, vnde eo modo, quo hæres tenetur soluere, debita illius, qui reliquit hæreditatem, ita & tenebitur seruare votum reale eiusdem, qui reliquit et hæreditatem.

Sed dices tenetur ne hæres seruare votum reale illius, qui reliquit hæreditatē vltra vires hæreditatis?

Respondeo, quod non in conscientia, sicuti, nec tenetur in cōscientia soluere alia debita vltra vires hæreditatis, licet quantum ad forum exterius contrarium sit faciendum.

Et ex hoc fit quod si quis vouit instituere capellaniam quotidianam; vel dare semper vsque in perpetuum Sacerdoti eleemosinam ad celebrandum quotidie, & hæres suus adit hæreditatem, & inuenit quod redditus hæreditatis non excedunt centum libras in anno non tenetur ad plus, quam ad faciendum celebrare tot missas, quot celebrantur pro eleemosina centum librarum; hoc probaut alias in simili in casu restitutionis dicens hæredem in conscientia non teneri ad soluendum debita testatoris vltra vires hæreditas.

Dico tertio, quod hæres tenetur adimplere votum mixtum illius, qui reliquit hæreditatem ex ea parte, qua reale est, non autem ex ea, qua est personale, vt si vouit ire Lauretum, & offerre calicem tenetur hæres mittere calicem, non autē ire Lauretum.

Sed dices si ille, qui reliquit hæreditatem vouit ire Lauretum tantum esset ne votum personale tantum, an mixtum? videtur enim esse mixtum, quia non potest ire Lauretum sine expensis necessarijs in itinere ergo hæres saltem tenetur ad illas expensas?

Respondeo quod tale votum est substantialiter personale, & tantum accessorie reale, & propterea hæres ad nihil tenetur; verum quidem esset quod si testator fuisset dispensandus in dicto voto dispensans obligasset eum, si ei duces, vel habet facultates competentes ad dandum tantum Ecclesijs, vel pauperibus; quantū expendisset in itinere.

Decimoquarto quæritur vtrū cessante caussa voti cesset votum? vt vouit aliquis ire Compostellam, quia ibi commoratur amicus suus, qui postea moritur? 16

Respondeo cum Panor. cap. magne de voto, & voti redemptione quod caussa voti vel est tantum motiua, & impulsiua ad faciendum votum, & ea cessante non cessat votum, vt in exemplo proposito; vel est finalis, & ea cessante cessat votum, vt si quis voueret ire Compostellam, vt filius suus sanetur, & moriatur filius.

Decimoquinto, & vltimo quæritur, an peccet ille, quem voti pænitet, idest qui nollet vouisse? 17

Respondeo cum Nau. in man. cap. 12. num. 55. quod non p. m. modo seruet votum; & ita dicendum est, atque de hoc membro.

MEMBRVM QVARTVM.

De personis, quæ vouere possunt.

1 *An subditi possint vouere.*
2 *An Episcopus possit vouere.*
3 *An Clericus possit vouere.*
4 *An Monjales possint vouere.*
5 *An filij familias possint vouere.*
6 *An seruus possit vouere.*
7 *An Coniux possit vouere.*
8 *An vxor sine mariti licentia possit vouere abstinentiam, vel peregrinationem.*
9 *De votis emissis ante matrimonium.*
10 *Quid si coniuges voueant religionem.*

IN hoc membro primo. Quæritur An subditi possint vouere? 1

Respondeo affirmatiue; ita dicit D. Th. 2. 2. q. 88. ar. 8. Caiet. ibidem; Syl. verbo

verbo votum 3. per totum; Et Nau. in man cap. 12. num 67.

Sed pro resp. ad hoc quæsitum notandum est quod votum subditi, vel est de materia, in qua est subditus, vel de materia in qua non est subditus.

Rursus si est de materia, in qua est subditus, vel talis materia est prohibita, vel non; Et hac distinctione supposita.

Dico primo quod si subditus facit votum de materia prohibita, in qua est subditus; voto debet apponere, vel subintelligere hanc conditionem si superiori placet; vt si religiosus subditus voueret visitare septem Ecclesias debet apponere voto hanc conditionem si superiori placet, vel eam subintelligere, quia est illi prohibitum exire à Monasterio sine licentia; propterea facto voto debet petere licentiam, idest exquirere à superiore an illi placeat concedere, vt visitet septem Ecclesias; Et si placet tenetur seruare votū; si non placet non tenetur seruare quia deest adimplementum Conditionis; Et quia votum non esset de meliori bono, quia melior est obedientia, quam sacrificium.

Quod si dicas debetne ille, qui fecit tale votum dicere superiori quod fecit votum, an vero sufficiat petere licentiam, à superiore eundi ad septem Ecclesias?

Ad hoc resp. Caiet. in summa verbo votum quod si superior aliter non dat licentiam debet dicere se fecisse votum, vt gerat fideliter negotium Dei, quia forsan superior intellecto voto concedet id, quod non concessisset. Et si superior intellecto voto non vult vt adimpleat illud, subditus est liber à voto, quia votum illud erat conditionatum, & conditio non ponitur in actu; & quia vt dixi melior est obedientia, quàm sacrificium.

Dico secundo, quod si subditus facit votum de re non prohibita, sed in qua est subditus debet intelligere hanc conditionem si superiori non displicat, vt si religiosus subditus, qui vouit obedientiam solemniter, postea vouet quotidie dicere Coronam, debet eam dicere si per tempus licet absque eo, quod petat licentiā, à superiore; Sed si superior cognito voto prohibeat illi ne dicat Coronam propter aliquam caussam liber est à voto, quia Melior est, vt iam dixi, obedientia quam sacrificium.

Dico tertio, quod subditi absolute vouere possunt ea, in quibus non sunt subditi, vt clericus potest vouere disciplinam eleemosinam, & ieiunium absque licentia Episcopi, & sine conditione, quia in hoc non est subditus Episcopi, & vxor potest vouere non petere debitum, quia in hoc non est subdita, sed æqualis marito.

Secundo quæritur in particulari, an Archiepiscopus, qui est subditus Papæ possit vouere absolute aliquid. 2

Ad hoc dico primo, quod non potest vouere relig., nisi sub intellecta hac conditione si Papæ placet; quia non potest Episcopus fieri religiosus sine licentia S. Pont. vt habetur capitulo, non satis pridem, de residentia; Et ratio est hanc assert Syl. verbo votum 3. § primo, quia Episcopus non potest vouere ea, quæ dirimunt matrimoniū spirituale inter ipsum, suam Ecclesiam.

Dico secundo, quod Episcopus potest vouere absolute ea, in quibus non est subditus Papę, vt ieiunium, eleemosinam, & similia, quia in his, & similibus non habet manus ligatas.

Tertio quæritur vtrum clericus possit aliquid vouere absolute? 3

Respondeo cum Syl. verbo votum. 3. § 2. quod potest vouere religionem absque vlla conditione; & si iam vouit tenetur votum adimplere, etiam contradicente Episcopo; Item potest vouere ea, in quibus non est subditus vt ieiunium, & similia absolute, non tamen potest vouere longam peregrinationem si habeat beneficium, quod requirat residentiam, absolute, vt habetur capitulo, magne de voto.

Quarto quæritur vtrum Monachus possit aliquid vouere absolute? 4

Dico primo, quod si vouet aliquid, in quo est subditus, & quod est prohibitum, sed dispensabile à superiore subintelligēda est conditio si superiori placet vt dictum est in primo quæsito de omni subdito in primo dicto.

Dico secundo quod est dubitatio an possit vouere super excedentia regulam; Ricc.

Ricc. enim in 4. dist. 38. & Aug. in su-ma verbo votum negant, quia Ecclesia statuit vt monachi nō possint vouere propter grauitatem voti solemnis, quod iam fecerunt; vnde habetur capitulo monachi 24 quod monachus non possit vouere sine licentia superioris; & si voueat frangendum sit votum; sed glosa dicit capitulum loqui de voto scandaloso. Deinde illud capitulum non est vniuersalis Ecclesiæ, sed tantum D. Basylij. Deinde etiamsi ab Ecclesia prohibitum esset monachis vouere, si tamen vouerent votum esset validum; licet possit irritari a superiore.

Dicendum est quod monachus subditus potest vouere super excedentia regulam, sed cum hac conditione si superiori non displicet, vt dictum est supra quæsito primo dicto secundo de omni subdito.

Sed dices si monachus vouisset dicere quinquies Coronam post vesperas quotidie & aliquando occuparetur à Prælato, ita vt non posset eas dicere, teneretur ne dicere prælato se fecisse tale votum.

Respondeo quod benefaceret si diceret, quia superior vel dabit ocium adimplendi votum, vel illud forsitan irritabit.

Quod si non dicat, vel superior non det ocium pro tunc, nec irritet votum, pro tunc monachus non tenetur adimplere votum; sed in alijs diebus tenebitur adimplere prout vouit, nisi iterum occupetur, vel votum irritetur.

Dico tertio, quod monachus absolute potest vouere statum perfectionis, vt arctiorem religionem, vt potest monachus conuentualis absque conditione facere votum religionis illorum, quos dicunt Capucinos; Sot. 7. de iust. & iure dicit quod superiores in relig. possunt dispensare subditum in tali voto; sed hoc non est credendum nisi habeatur speciale priuilegium à Papa, quale dicuntur habere superiores in religione societati Iesu, vt ipsi dicunt.

Dico quarto, quod Monachi subditi absolute possunt vouere aliquid, quod est in pcepto diuino, licet Ecclesiastico, vt non furari; recitare officium si sunt in sacris; item vitare aliquod p. v. vt non mentiri iocose; item aliquod; quod pertineat ad suam regulam, vt ieiunare die Veneris vbi præcipitur; Silere in dormitorio Dom. Sot. dicit quod hæc vota etiam debent esse conditionata, quia tota voluntas monachi subditi pendet à prælato; sed contrarium dicunt alij maxime Caietanus.

Quinto quæritur verum filius familias possit vouere. 5

Respondeo, quod si est doli capax, idest si habet vsum rationis, & impubes potest omnia vota personalia facere, præter votum solemne relig. Et quidem quod possit alia vota facere probatur, quia si est doli capax potest habere omnia, quæ ad votum faciendum requiruntur, de quibus fuse dixi in primo membro puta deliberationem, propositum, & promissionem. Et quod non possit facere votum relig. solemne patet, quia iure antiquo declaratur nullum votum solemne in religione factum à persona, quæ non habet ætatem quatuordecim annorum; & nunc post Conc. Trid. declaratur simile votum esse nullum, si fiat à persona, quæ non habeat 16 annos completos, & ratio huius est sacrosanctæ Ecclesiæ auctoritas, quæ tale votum factum antedictam ætatem irritat, & annullat; sed an parentes possint irritare alia vota impuberum mox dicetur membro sequenti.

Dico secundo, quod filius familias, qui iam peruenit ad annos pubertatis potest absq; licentia parentū, vel tutoris, vel curatoris vouere quodlibet, quod ad suam pertineat personā, & illud tenetur adimplere etiam contradicentibus parentibus tutore vel curatore, vt si quis, qui iam attigerit 14. annum voueat Religionem postquam adimpleuit deinde 16. tenebitur in ea profiteri, seu eam ingredi etiam contradicentibus parentibus &c. nec similia vota slz. personalia facta à puberibus possunt irritari a parentibus, neque a Tutore vel curatore, vt dicam in membro sequenti.

Dico tertio, quod filius familias siue sit pubes siue non, non potest facere votare alia pertinentia ad facultatem domesticam vt ait Syl. votum. 3. §. 6. & omnes alij DD. nisi habeat peculium castrense, vel quasi castrense.

Sexto quæritur vtrum seruus possit vouere?

Dico primo quod seruus non potest vouere ea, in quibus domino præiudicatur vt non potest vouere religionem, vel peregrinationem sine consensu Domini.

Dico secundo, quod absolute potest vouere ea, in quibus Domino non præiudicatur, vt dicere orationes quando à Domino non occupatur.

Septimo, & vltimo quæritur vtrum Coniux possit vouere?

Dico primo, quod potest vouere ea, in quibus non præiudicatur alteri coniugi, vt maritus potest vouere eleemosinam vxore contradicente; Et vxor etiam potest vouere eleemosinam marito contradicente si de aliquibus potest facere eleemosinam sine licentia Mariti, vt si aliquid habet præter dotem maxime si dos est sufficiens secundum suum statum &c.

Dico secundo, quod coniux non potest vouere ea, in quibus præiudicatur alteri coniugi sine licentia eiusdem, vt non reddere debitum.

Sed hic sunt nonnullæ dubitationes, quarum.

Prima est vtrum coniux possit vouere non petere debitum? nam antea in nonnullis exemplis videmur supposuisse quod possit.

Tamen d. Th. 2. 2. q. 88. videtur dicere contrarium, quia tale votum videtur præiudiciale alteri Coniugi, nimis enim onerosum videtur vxori si maritus non possit petere debitum.

Alij DD. videntur dicere contrarium Syl. votum 3. §. 5. bene conciliat D. Th. cum alijs DD quod coniux potest vouere non petere debitum quando non est in obsequio alterius Coniugis, quod voluit intelligere D. Th. non autem quando est in obsequio.

Secundo dicet aliquis, An vxor sine licentia mariti possit vouere abstinentiam, vel peregrinationē Nau. in man. cap. 12. num. 61. & alij DD. dicunt quod non nisi accedat consensus mariti, quia tale votum potest esse in præiudicium mariti; Et quod dixi de vxore dic etiam de marito.

Tertio dicet quis, An si maritus concessit vxori vt faceret aliquod votum sibi præiudiciale puta peregrinandi, vel dandi eleemosinam deinde possit negare, vt adimpleatur tale votum?

Caiet. 2. 2. q 88. 8 dicit quod in tali casu vxor non peccaret, si maritus prohiberet adimpletionem voti; sed maritus ipse peccaret, & affert hanc rationem subtilem, quod maritus, quando dat licentiam vxori faciendi votum puta eleemosinæ faciendæ de reb. ipsius mariti facit materiam voti eam rem, quam vxor vouet dare in eleemosinam, sed non facit materiam exhibitionis propterea concesso voto potest negare adimpletionem voti, sed non sine p m.

Quarto dicet quis vtrum si coniux aliqua emisit vota antequam matrimonium contraheret possit ea adimplere post matrimonium? 9

Ad hoc dico primo, quod non sine licentia coniugis alterius si sunt præiudicialia illi.

Dico secundo quod potest, & tenetur si non sunt præiudicialia Coniugi.

Dico tertio quod mortuo Coniuge tenetur adimplere vota facta ante matrim. si est tempus ea adimplendi, vt si adolescentula vouit castitatē postea cōtraxit, & cōsumauit matimoniū Et postea moritur. maritus tenebitur seruare votum, nec poterit cum alio contrahere sine nouo peccato mortali.

Quinto dices vtrū si duo coniuges mutuo consensu vouerint relig. teneantur seruare votum. 10

Resp. quod sic; sed de ingressu in relig. qui fieri potest a coniugatis satis dictum est in parte vltima de sacram. vbi de matrimonio; vbi & diximus quod coniux potest ingredi relig. de licentia alterius, si & ipse alter ingrediatur religionem; vel si manens in sæculo est senex, nec suspectus de peccato libidinis sed plura de his loc. cit.

*

MEM-

MEMBRVM VLTIMVM.

De irritatione, dispensatione, commutatione, & redemptione voti.

1 *Quid sit irritatio voti dispensatio &c.*
2 *Quis possit votum irritare.*
3 *Vtrum superior, de cuius consensu emissum est votum; possit idem votũ irritare.*
4 *An pater possit irritare omnia vota filiorum.*
5 *Quinam possit dispensare in voto.*
6 *Qua nam causa requiratur ad dispensandum in voto*
7 *Qua auctoritas requiratur ad commutationem voti.*

1 IN hoc membro primo. Quæritur quid sit irritatio, dispensatio, commutatio, & redemptio voti, & quomodo hæc inter se differant?

Et resp. ex doctrina Syl. votum, & §. primo, & Nau. in man cap. 12. num. 63. cum quibus concordant omnes alij DD. quod irritatio voti est annullatio obligationis voti facta ab eo qui habet potestatem dominatiuam supra rem, quam alter vouit ex beneplacito ipsius irritantis; dispensatio voti est annullatio obligationis voti facta à superiore Ecclesiastico habente auctoritatem Episcopalem cum rationabili caussa.

Quare in duob. differunt irritatio voti, & dispensatio quod illa non requirit vt superior sit Ecclesiasticus, hæc verbo maxime.

Item illa non requirit aliquam caussam, hæc vero requirit, & eam rationabilem.

Commutatio est annulatio obligationis voti cum ligamine ad aliquid aliud faciendum, quod sit, vel maius bonum, quam esset materia voti, vel saltem æquale.

Quare in hoc differt commutatio voti à dispensatione, quod illa omnino annullat obligationem voti absque ligamine ad aliquid aliud faciendum; illa vero nõ omnino tollit obligationem voti, sed mutat materiam, quia post remanet ligamen ad aliud faciendum.

Redemptio si distinguatur à comutatione est annullatio obligationis voti cũ ligamine ad aliquid dandum.

Quare in hoc differt redemptio voti à cõmutatione, quod hæc obligat ad aliud faciendum, illa vero ad dandum vnde colligere possumus, quod redemptio voti, & commutatio inter se distinguntur, inquit Syl. loco supra citato, quemadmodum distinguntur emptio, & permutatio, & exemplum huius est hoc, si quis vouit ire Compostellam, & petat dispẽs. à Sum. Pont. si Pont. dispensat, tollitur omnino votum absque ligamine ad aliud, si imponit onus eundi ter, vel quater Lauretum loco peregrinationis ad Compostellam erit comutatio voti, sed si tantum ligabit vouentem ad dandum Ecclesiæ, vel pauperi tantum quantum expendisset in dicta peregrinatione erit redemptio voti.

Secundo quæritur quis possit irritare? 2

Respondeo quod ille potest irritare votum, qui habet potestatem dominatiuam supra rem, quam alter vouit. Seu ille potest irritare votum qui est superior & subintelligitur in illa conditione apposita voto si superiori placet, vel non displicet de qua supra dixi. Seu ille potest irritare votum, sine cuius licentia votum non potest seruare, atque hinc sequitur, quod Papa potest irritare votũ Episcopi factum de ingressu relig. Dominus potest irritare vota serui facta in præiudicium ipsius, non autem alia; superior in religione potest irritare vota facta à subdito de materia in qua est subditus illi. de quo diximus supra, & non de alia. Item coniux potest irritare vota alterius Cõiugis facta in eius præiudicium, vt de non reddendo debitum; vel si vxor vouit eleemosinam, & nihil habet vltra dotem, & sic de reliquis, de quibus in membro antecedenti.

Nec requiritur ad irritandum votum aliqua caussa. Quia cum irritans habeat potestatem dominatiuam supra rem quã alter vouet, nec ipse vouerit, potest vti iu-

se

re suo prout libet.

3 Sed hic est dubitatio. Primo an ille de cuius cōsensu factum est votum à sub dito in materia, in qua est subditus possit recitare votum?

Resp. quod si recitat. p. m. tamen votum remanet irritatum, itaut nō peccet, vouens si non adimplet votum.

Quod si dicas si postea iterum consentiat superior, vt adimpleatur votum, quod irritauit tenetur ne vouens illud adimplere?

Resp. Cum Nau. & contra opinione, quod nō nisi iterum voueat ita Nau. cap. 12. nu. nu. 66. contra Innoc. qui existimauit contrarium capitulum scripturæ de voto, sed vera est opinio Nauarri, quæ est communis.

Vera quidem esset opinio Innoc. quādo ille, qui vouit quando vouit non erat in potestate ricitantis vt si puella fecit votum Relig. deinde contrahit matrim. & consumat si maritus irritat votum valebit irritatio viuente marito, sed non post.

4 Secundo est dubitatio An Pater possit irritare omnia vota filiorum?

Resp. cum communi DD. opin. quod Pater potest irritare omnia vota personalia filiorum impuberum non autem puberum facta in pubertate.

Et dixi facta in pubertate, quia si aliquis impubes fecit votum, quod non irritatur dum est impubes secundum communiorem DD. opin. poterit irritari etiā quando est pubes viuente patre, ab ipso patre nisi impubes factus pubes votum ratificet.

De votis rea libus autē filiorū fam. etiā factis à puberibus non est dubitatio, quod possint irritari; nam hæc est certum quādo filius, nec habet peculium castrense, nec quasi castrense.

5 Tertio quæritur quinam possit dispensare in voto?

Et resp. quod ad disponendum commodum seu redimendum in voto requiritur potestas ecclesiastica, & eam rationabilis, & de vtraque re est differendum.

Et not. est primo quantum ad potestatem, quod hic non quæritur verum possit transgressor voti absolui à peccato, & à qua persona possit absolui; nam certum est, quod confessarius est ille, qui potest absoluere à transgressione voti; sed quæritur de absolutione ab obligatione voti; ideo.

Not. est secundo, quod S. Pont. potest in omni voto dispensare, & ipse solus dispensat in voto castitatis perpetuæ, Religionis, peregrinationis ad S. Iacobi in Compostella, peragrinatur ad sepulchrum Hyerosolimit. & peregrin ad limina Apostolorum Petri, & Pauli in ciuitatem Romæ ita Nau. in man. cap. 12. num. 75. cum quo corcordant omnes alij DD.

Tertio not. est, quod licet, vt inq. Nau. loco cit. nullus textus propterea reseruat quinque prædicta vota quantum ad dispensat. tam en stylus Curiæ Romanæ & ita docet, vt pro certo habendum sit, itaut si alius quam Sum. Pont. in eis dispensaret, & p. m. & dispensatio esset irrita, vt dicit Nau. loco cit. quem, & omnes alij sequuntur.

Quarto not. est, quod soli Episcopi & qui Episcopalem habent facultatē, vel licentiam à S. P. aut ab Episcopis possunt dispensare in alijs vot s, & ita dicunt omnes, & maxime Nau. loco supra citato.

Quinto not est, quod de licentia S. P. potest Episcopus, vel alius dispensare etiam in quinque supradictis, quorum dispensatio est reseruata Papæ.

Sexto not. est, quod Episcopus potest dispensare in voto Castit. non perpetuo sed ad tempus, idest si quis vouit seruare castitatem per annum, vel duos.

Item potest dispensare in voto castit. perpetuæ si timet. incontentia, & non potest adiri S. P. seu non datur accessus ad S. Pontificem.

Item potest Episcopus dispensare in voto non nubendi, tum quia ita est vsus pænitentiariæ Romæ, vt ait Nau. loco cit. tum etiam, quia votum non nubendi, & votum castitatis non æquipollent; atque hæc de potestate dispensandi satis.

Quantum ad causam sciendum est ex Nauarro, quo stultum est existimare, quod sine legitima causa, sed pro libito arbitrio possit quis in voto dispensare, & quod sine legitima causa dispensatus sit tutus in

conscientia si non obseruet votum ab ipsomet emissum.

6 Deinde sciendum est, quod legitima caussa ad dinspensandū in voto vt dicit d. Th.2.2.q.88.ar.10.est quādo obseruare votum vel est malum, vel inutile, vel impeditiuum maioris boni;imo dicit ibid. D. Th. quod si est clarum, quod materia voti sit facta inutilis, idest in differens, vel mala vel impeditiua maioris boni nō est necessaria dispensatio, vt tollatur obligatio voti:secus si est dubia,tunc enim requiritur dispensatio in eo, qui desiderat non seruare votum.

Quare vt optime dicit Syl. in 5. verbo votum 4. §. 3. dispensatio est potius iuris declaratiua, quam dispensatiua in voto; quare & bene dicit Caet.2.2.q.88.ar.12. quod Papa non habet tantam auctoritatē circa vota filiorum, quantam habet Pater, & subditorum aliorum quantam habent superiores, & quantam ipse habet in religiosos.

Dixi quantam habet in religiosos,quia quantum ad vota religiosorum, & ipse ea potest irritare, sicut & alij superiores religiosorum, quia & ipse est eorum superior.

Sed dicet hic aliquis,neque Episcopus, neque Papa possunt dispensare in his,quę sunt de iure naturali, vel diuino; sed obseruatio voti est de iure, & diuino, & naturali,ergo Papa non potest dispensare?

Ad hoc facile resp.potest ex dictis,quod cum Papa iuxta doctrinā D.Thomę loco cit. & aliorum DD.non possit dispensare in voto, sicut & Episcopus, nisi quando est legitima caussa. Et legitima caussa dispensandi sit materia voti, dequa est dubium an sit facta illicita, inutilis, vel impeditiua maioris boni, inde fit vt dispensatio in voto sit potius iuris declaratiua, quam dispensatiua;& sic dispensare idem sit ac declarare votum non obligare.

7 Quantum ad comutationem requiritur auctoritas eadem, quæ ad dispensationē idest Pontificis, vel Episcopi; & legitima causa, quæ est æquale bonum saltem.

Et dixi æquale bonum quia si est maius bonum ad comutandum non requiritur potestas Ecclesiastica, sed sufficit voluntas vouentis, vt si quis vouit ire Hierusalem, & velit ingredi religionem; votum .n. est aliquid, quod debetur Deo, quod si mutetur in melius Deo satisfit plenius; nam si debes cētum alicui plenius satisfacies si dabis 150. eidem.

Non potest autem comutari votum in minus bonū, & ideo inquit Nau. in man. cap 12.num.77.quod si comutandum est votum peregrinationis habenda est ratio expensarum, quæ factæ fuissent in peregrinatione.

Not. hic est ex Nau. cap cit. num. 63. quod si est aliqua caussa dispensandi in voto sed non omnino legitima, & est auctoritas cōmutandi, & dispensandi, poterit votum commutari in minus bonum, & tunc partim erit dispensatio, & partim commutatio.

Not. item hic est, quod confessarius licet in casu mortis, seu extremi periculi possit absoluere ab omni excōmunicatione,& ab omnib. peccatis etiam reseruatis, & à trāsgressione voti, nō tamē potest dispensare in voto,nisi habeat facultatem dispensandi in eo.

Not. item est,quod Episcopus non potest dispensare in eo,qui vouit perpetuam continentiam, vt possit petere debitum si contraxit matrimoniū, quia dispensatio voti perpetuæ castitatis pertinet ad Sūmū Pontificē vt diximus, & coniugatus tenetur tale votum seruare in quantum potest.

Demum dicet quis An Episcopus possit dispensare in voto castitatis perpetuæ pænali, vt si quis vouisset castitatē perpetuā si fornicationem committit, in pænam fornicationis?

Dom. Sot 2. de iust & iure.dicit,quod Episcopus potest dispensare in tali voto antequam committatur fornicatio ita l. cit. q. 4.ar. 3. sed melius Nau. capite cit. ita distinguit

Si quis vouit nō fornicari sub pæna castitatis perpetuę, potest dispensare Episcopus post fornicationem,quia votum non cadebat super castitatem sed super fornicationem; sed si qui vouit dixit voueo cast. perpetuam si fornicationem commisero, Episcopus non poterit dispensare post fornicat. quia votū cadit supra cast. atque hæc de voto satis, & de tertia parte huius nostri Tractatus.

Pars

PARS QVARTA.

DE TERTIO DECALOGI PRÆCEPTO.

HÆC pars diuidetur in septem capita, In quorum primo dicam de cessatione ab operibus seruilibus facienda in die festo, seu de sanctificatione diei festi; In secundo dicam de missa audienda, In tertio de cõmunione sumenda in paschate; In quarto de confessione facienda semel in anno; In quinto de legitima susceptione, & ministratione sacramentorum, In sexto de horis canonicis recitandis,& in septimo de ieiunio Hæc n.septẽ licet formaliter non sint in tertio decalogi pręcepto,ad illud tamen reducuntur à Caet.in sũ. verbo interrogatur,& ab alijs summistis.

CAPVT PRIMVM.

De cessatione ab operibus seruilibus, & alijs facienda in die festo, seu de obseruatione dierum festorum.

HOC caput diuiditur in tria membra, In quorum primo dicam de festis dieb qui obseruantur à populo christiano in comuni; In secundo de ijs, quæ præcipiuntur, vel prohibentur fieri in die festo; In tertio de operibus seruilibus, quæ possunt fieri sine peccato in die festo.

MEMBRVM PRIMVM.

De obseruatione dierum festorum.

1 *Quo iure introducta obseruatio diei festi.*
2 *In lege veteri obseruatio diei festi erat de iure diuino.*
3 *In lege noua omnes de iure humano.*
4 *An ita sint nunc in precepto dies festi, vt erant in lege veteri.*
5 *Qui dies festi sint obseruandi.*
6 *An peregrinus teneatur lege loci,an patria.*
7 *Dies festi quando instituti.*

IN hoc membro primo quæritur an 1
dies festi., qui obseruantur à populo christiano sint introducti in Ecclesiam Chatholicam iure diuino,an vero tantum humano. Idest vtrum Deus ipse præceperit populo christiano, vt dies dominici, & alij dies festi sanctificarentur, qui nunc sanctificantur, an vero hoc tantum præceperit ecclesia, idest Apostoli, vel Papa, vel ipsa congregatio fidelium?

Angelus in sũma v. feria,& Panor. c. licet de ferijs dicunt, quod dies dominici fuerunt introducti in Ecclesiam iure diuino; Sed Nau. in man. c. 13.num 1.dicit, quod non solum alij dies festi, qui celebrantur,seu obseruãtur à populo christiano, sed etiam dies dominici fuerunt introducti in Ecclesiam iure humano, &

non diuino; idem colligitur aperte ex D. Th. 2. 2. q. 122. ar. 4. in resp. ad 4. arg. Vbi dicit, quod obseruantia diei dominici, quæ successit in noua lege obseruationi sabbathi, quę erat in veteri lege, fuit introducta non ex vi præcepti legis, sed ex constitutione Ecclesiæ, & consuetudine populi Christiani, idẽ dicit Maior l. 3. sent. dist. 27. & multi alij DD. quos citat Nau. loco cit.

Dicendũ est primo, q̃ de lege naturæ est vt in Ecclesia instituantur, & determinentur aliqua certa tempora, seu aliqui determinati dies, in quibus cessandum sit ab operibus corporalibus, seruilibus, pertinentibus ad res temporales, vt inseruiamus spiritualibus in seruientes Domino Deo nostro; Et probatur quia si ad alia negocia, quæ sunt minoris momenti instinctus naturæ efficit vt determinaretur aliquod certum tempus, pũta ad dormiendum, ad comedendũ, ad seminandum, ad faciendum mercatum, & similia; ita idem naturalis instinctus, seu eadem natura requirit, vt determinentur aliqui certi dies ad inseruiendum Deo relictis alijs operibus seruilibus.

2 Dicẽdũ est secundo quod in lege veteri dies festi fuerunt determinati iure Diuino; idest diuino iure determinatum est, quod obseruaretur dies Sabbathi, & aliæ solemnitates, quæ erant in tali lege, prout videre est in Leuit. & Deut. seu in alijs libris Moysis.

3 Dicẽdum est tertio quod dies festi omnes, qui obseruantur in noua lege fuerũt introducti in Ecclesiã iure humano; nam, vt dicit Nau. Apostoli in principio Ecclesiæ nouæ legis cœperunt obseruare primã feriam, quæ nunc est, & dicitur dies dominicus loco Sabbathi in memoriam Resurrectionis Christi, & hoc idem vel ipsi præceperũt deinde fieri à populo christiano; vel ipsemet populus exemplo Apostolorum obseruauit.

Propter has duas rationes principaliter, idest quia sicut in Test. Vet. obseruabatur dies Sabbathi in memoriam creationis mundi quia in tali die Deus cessauerat à creatione Mundi; ita in test. nouo obseruaretur prima feria, quæ & ideo dicta est dies Dominicus, in memoriam recreationis Mundi, quia in tali die per suam resurrectionem Christus Mundum, idest hominem renouauit, seu recreauit; & quia sicut in alijs ritibus debebat esse populus christianus distinctus à pop. Iudaico, ita & in hoc esset, vt figura à figurato esset distincta; & hic videre possumus, vt bene dicit Nau. loco supra citato, quanta sit vis consuetudinis pop. christiani circa dies festos, cum & ipsi dies festi, & modus illos obseruandi, vt mox dicemus sit ab ea introductus in Ecclesiam, Post Apostolos pop. christianus paulatim deinde introduxit alios dies festos in honorem Christi, B. V. & aliorum Sanctorum, vt dicemus.

Sed dicet aliquis capitulo licet, de ferijs dicitur, quod tam veteris, quã noui testamenti pagina septimũ diem humanæ quieti deputauit, ergo videtur, quod saltem dies dominicus festus sit introductus iure Diuino in Ecclesiam.

Ad hoc resp. Nau. cap. 13. cit. quod ad summũ ex dicto capitulo, licet si quid colligitur esse de iure Diuino colligitur tamẽ quod debuit obseruari in noua lege vnus dies in hebdomada iure Diuino, non autem, quod potius prima feria quam alia, sed quod eligeretur potius prima feria fuit de iure humano, & ex consuetudine pop. Christiani.

Possumus etiam dicere, quod per paginã noui testamenti potest intelligi Apostolicum decretum factum in noua lege.

Secundo quæritur an necessario festi dies Christianorum sint ita strictè obseruandi quemadmodum obseruabantur in lege veteri? 4

Resp. cum Nau. c. 13. cit. & D. Th. 2. 2 q. 122. ar. 4. in resp. ad 4. arg. quod non, vnde multa permittuntur fieri in die festo in noua lege, quæ non permittebantur fieri in festis veteris legis, vt pparare cibos &c. Et ratio huius est, quam affert D. Th. & Nau. locis cit. quia ius humanum non ità strictè Christianis præcepit obseruationẽ festorũ sicut Deus præceperat pop. Israelitico in lege ver. & hinc est, quod Papa, & alij superiores Ecclesiastici in multis possunt dispensare in die festo, quod non poterant facere Sacerdotes in test. veteri.

Tertio quæritur quinam sint dies festi nunc obseruandi à pop. Christiano? 5

Resp.

Resp. cũ Nau. c. cit. & alijs. DD. quod ex determinatione iuris communis nos nõ possumus elicere quinam sint dies obseruandi pro festis, nam cap. pronunciandum de consecrat. dist. 6. & cap. conquestus de ferijs, vbi enumerantur dies festi obseruandi, multi dies enumerantur inter alios, qui nunc non obseruantur; vt præcipitur in dictis cap. vt obseruentur omnes dies hebdomadæ Sanctæ pro festis diebus, & tota octaua Paschatis Resurrectionis; quod tamen non fit.

Item multi dies festi obseruantur in qualibet prouincia, qui non sunt scripti in dictis cap.

Quare dictum est in vna quaque prouincia vel vnoquoq; oppido, illos festos dies esse obseruandos vt bene dicit Nau. l. cit. qui secundum longam consuetudinẽ obseruari solent in eodem oppido, vel per aliquod statutum synodale iam receptũ, & vsu comprobatum; quæ consuetudo, & vsus vniuscuiusq; oppidi erit ille, qui nos docebit, quinam sint festi dies in illo obseruandi.

Caet. in sum. verbo festi dies dicit cõmuniter obseruari hos dies festos idest dies dominicos, diem Natiuitatis, Circuncisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis cum duob. sequentibus, Ascensionis; Penthecostes cum duobus sequentibus; & Corporis Christi. Item quatuor solemnitates principales B. V. scilicet diem Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, & Natiuitatis. Item diem Natiuitatis B. Iohannis Baptistæ; Item principales dies festos Apostolorum.

Dixi principales ad excludendos secundarios, vt Catedram S. Petri, & Conuersionis S. Pauli.

Item dies duorum martyrum S. Stephani, & S. Laurentij, Item diem omnium SS. & inuentionis S. Crucis; dies vero Innocentum, S. Syluestri, s. Michaelis, & s. Martini, quia non vbique seruantur; vnusquisque debet seruare secũdum morem patriæ in qua reperitur, sicut & alios dies, præter prædictos.

Nos in Ecclesia Mediolanensi habemus tabellam, in qua sunt descripti dies festi qui vel ex consuetudine vel ex statuto synodali approbato, & recepto per cõsuetudinem obseruari debent, quam inspicere debemus cum volumus scire an aliquis dies festus sit obseruandus; quibus tam en vnum quodque oppidum debet addere & alios peculiares dies festos, quos ex longa consuetudine obseruat.

Quarto quæritur an ille, qui reperitur in alieno oppido, seu in aliena patria teneatur obseruare dies festos suę patriæ, an verò illius, in qua reperitur? 6

Ad hoc resp. cum Nau. in man. cap. 13. num. 5. & alijs DD. quod tenetur obseruare dies illos festos, qui sunt in eo loco vbi reperitur iuxta illud vulgatum. Cũ fueris Romæ Romano viuito more; Cum fueris alibi viuito sicut ibi.

Atque hinc infert Nau. l. cit. quod operarij qui in alieno oppido locauerunt operas suas absque peccato possunt in eo oppido elaborare in die festo, qui obseruatur in proprio oppido, sed non in eo, vbi operas locauerunt, imo dicit Nau. quod ex hoc induci posset à peccato excusari illũ, qui in vigilia festi, qui obseruatur in suo oppido ab eodem discederet, vt die sequenti in alio operaretur, vbi tale festum non obseruaretur, imo, & quod amplius est dicit idem Nau. quod etiam à peccato excusari posset ille operarius, qui eodem die festo, qui obseruatur in sua patria ab ea discederet laboraturus in alio loco, vbi festum non obseruatur, modo *Missam* prius audiret; Verum meo iudicio hæc *Nau* opinio non esset simpliciter prædicanda, quia non est satis tuta quãtum ad eum qui in vigilia festi, vel in die festo, qui obseruatur in suo oppido ab eo discederet tantum hoc fine, vt in tali die festo alibi operaretur, & probatur.

Primo, quia hoc videtur directe esse contra finem diei festi, propter quem est institutus.

Secundo, quia hoc videretur fieri in fraudem diei festi.

Tertio, quia sartor, vel sutor vnius oppidi in die festo cupiens laborare de facili posset deferre instrumẽta suæ artis ad alienam parochiam, & in ea elaborare vsq; ad finem diei, quod profectò videretur factum in fraudem diei festi.

Quarto, quia omnes alicuius oppidi conuentione facta inter ipsos in aliquo

die

die festo solito obseruari in suo oppido possent discedere ad alienum oppidum, & sic fieret in fraudem diei festi, & frustra esset institutus ille dies festus in tali oppido.

Intelligenda ergo est opinio Nau. quãtum ad illos, qui discedunt à suo oppido tempore festi illius etiam discessuri si non obseruaretur talis dies festus in suo oppido, nisi esset aliquis egenus, qui propter paupertatem cogatur elaborare in diebus festis, qui quidem melius faceret elaborare in alio oppido vbi non obseruatur dies festus, quam in suo vbi, & quando obseruatur.

7 Quinto, quæritur quando incipiat dies festus?

Resp cum Nau. in man. cap. 17. num. 5 & Caet. in sum. verbo dies festi, quod in vnaquaq; prouincia etiam quantum ad principium festi obseruanda est consuetudo illius prouinciæ, quare licet in iure communi cap. 1. de ferijs dicatur, quod festi dies debẽãt incipere à vespera ad vesperum, In illis regionibus vbi consuetũ est incipere à media nocte ad mediam noctem, non est necesse seruare ius commune, sed debet homo cõformare se consuetudini illius loci, in quo reperitur etiã quantum ad principium festorum, & hæc satis.

MEMBRVM SECVNDVM.

De ijs, quæ præcipiuntur fieri, vel non fieri in die festo.

1 *Quænam præcipiantur in die festo.*
2 *A quibus cessandum sit in die festo.*
3 *Quæ prohibeantur in die festo præter opera seruilia.*
4 *Quid veniat nomine mercati.*
5 *Quid intelligatur nomine placiti.*
6 *Quid veniat nomine Iudicij.*
7 *Quid importet nomen Iuramenti.*

1 IN hoc membro primo quæritur quænam sint ea, quæ præcipiuntur in die festo?

Resp. quod tria iuxta Caet in sũma l. supra cit. primo cessatio ab operibus seruilibus. Secundo cessatio à nonnullis alijs operib. quæ nõ sunt seruilia. Tertio audire Missam, sed de hoc tertio dicetur capite sequenti nunc vero de alijs.

2 Secundo quæritur quænam sint opera seruilia, a quibus tenemur cessare in die festo?

Not. est pro responsione, quod sicut triplex est seruitus, vna, qua Deo seruitur, altera, qua diabolo; & tertia, qua hominibus; opera quibus Deo seruitur nõ prohibentur fieri in die festo, sed potius propter illa introductus est dies festus, nõ tamen, vt bene ait Nau. & Caet. loco cit. sunt in præcepto præter auditionem Missæ, quia licet cessatio ab operibus seruilibus, q[illegible] in die festo ideo sit introducta in Ecclesiam, vt commodius seruiatur Deo per opera spiritualia, tamen finis ipse non est in præcepto, quod dicitur Sabbatha sanctifices, nam vt bene inquiũt dicti DD. quando aliqua sunt in præcepto propter aliquem finem, si finis est diuersus ab illis, ipse non est in eo præcepto.

Atque hinc est inquit Caet. q ille, qui peccat in die festo non teneatur confiteri circunstantiam diei festi. Item quod non teneatur homo potius habere contritionem in die festo, quam in alio die sub præcepto, licet contrarium falso existimauerint Tab. Scot. & Angelus in summa.

Opera, quibus seruitur Diabolo neque prohibentur in die festo per hoc præceptum Sabbatha sanctifices, sed prohibentur in omnibus præceptis.

Dicendum igitur est quod opera seruilia, quæ præcipiuntur non fieri in die festo sunt tertij generis, idest opera exteriora, quibus seruimus hominibus. Quod vt intelligatis notare debetis ex Caet. in sum. Verbo, in festo illicita, quod opera exteriora hominum trifariam enumerari possunt, nam vel sunt propria seruis, & per seruos hic intelligendi sunt agricolæ, & opifices &c. vt orare, fodere, suere, & similia; alia sunt opera, quæ sunt propria hominum liberorum, vt sonare musicis instrumentis, canere, scribere, studere, legere, disputare, & similia; alia vero sũt communia seruis, & liberis hominibus, vt equitare, iter agere, comedere, & bibere.

Opera, quæ dicuntur seruilia prohibita

bita in die festo non sunt secundi, aut tertij generis, sed tantum primi generis; quæ pertinent ad artes mechanicas.

3 Tertio, quæritur quænam sint illa, quæ prohibentur fieri in die festo præter opera seruilia?

Resp. quod sint quatuor, quæ non sunt opera proprie seruilia, quæ tamen lege canonica prohibentur fieri in die festo p primum cap. de ferijs, & hæc sunt primo mercatum, secundo placitum, tertio iudicium ad mortem, seu ad aliam pœnam, quarto iudiciale iuramentum, idest iurãtum in iuditio, hæc enim quatuor in dicto capitulo prohibentur fieri in die festo, & consuetudo populi christiani dictum capitulum recepit; nam apud omnes christianos hæc non fiunt in die festo. Excipiunrur tamen duo casus, idest quando necessitas suadet contrarium, & quando pietas. & Caet. in sum. loco cit. bene dicit, quod hæc quatuor in tantum prohibentur fieri in die festo exceptis duobus dictis casibus, quod quantum ad secundum, & tertium non modo peccatur si fiant, sed etiam sententia in festo data, sed etiam processus in festo factus sit irritus, & nullus.

4 Quarto, quæritur quid intelligendum sit nomine mercati?

Pro resp. not. est quod nomiue mercati tria possunt intelligi, primo nundinæ, quæ in aliquo loco semel vel bis in anno fieri solent, ad quas multi ementes, & vendentes ex consuetudine cõcurrere solent; secundo nomine mercati intelligitur mercatum, quod in oppidis grandiorib. vel ciuitatibus fit semel in hebdomada, vel semel singulis quindecim diebus, ad quod feruntur merces, vel ducuntur animalia, & concurrunt multi ad vendendum, vel emendum ex ijs, qui circunstant tale oppidum; tertio nomine mercati intelligitur actus ipse mercandi, idest emendi, vel vendendi; & sub eo intelligitur actus locandi, conducendi, commodandi, mutuandi, &c.

Hoc supposito nomine mercati, quod prohibitum est fieri in die festo non sunt intelligendæ nundinæ, quia vt supra diximus in sanctificat. dierum festorũ oportet potius notare consuetudinem, & morem pop. christiani, qui non repræhenditur ab Episcopo, quam ius commune; sed in diuersis locis vt bene dicit Caet. loco cit. videmus, quod vsus populi Christiani est, quod nundinæ fiant etiã in dieb. festis, & locorum Episcopi hoc non repræhendunt, vt Bergomi in mense Augusti, & Cremæ in sequenti mense; hoc autẽ intelligendum est vbi Episcopi per se vel per ministros similia non prohibent; nam bonum esset hoc prohibere quando speraretur obedientia.

Quod si dicas in nundinis fit mercatum, & mercatum prohibetur per primũ cap. cit. de ferijs.

Resp. quod vel in illo capitulo per mercatum non intelliguntur nundinæ, quæ fiunt semel, vel bis in anno Episcopo tolerante; vel si intelligantur, quantum ad hoc ille canon est abrogatus, vt dicit Caet. loco cit. contraria consuetudine præualente.

Secũdo si nomine mercati intelligamus Iud, quod fit in singula hebdomada, vel singulis quindecim dieb. illud vere prohibetur fieri in die festo non tantum in cap. citato, sed etiam propter consuetudinem populi Christiani iam receptam; videmus enim, quod in illis oppidis, seu ciuitatibus, in quibus certo die hebdomadæ statutum est mercatum fieri, si in eo die concurrat dies festus, tam in eo die fit mercatum, sed vel transfertur in diem sequentem, vel fit in antecedenti, vel non fit pro illa vice, ità bene Caet. dicit loco supra citato.

Dico tertio, quod si nomine mercati intelligamus actum emendi, vel vendendi, & sub actu vendendi, vel emendi actũ conducendi, vel locandi opus est grano salis; vt inquit Caet. in sum. loco cit. nam videmus passim multa ad minutum vendi, & emi vbi inueniuntur, vt est panis, vinum, herbæ, oua, carnes, & similia ad vsũ illius diei, & propterea existimandum est id non esse peccatum quia & id Episcopi sciunt, & tolerant, & ita est vsus populi Christiani.

Dicendum igitur est, quod emere, vel vendere ad minutum ea, quæ sunt necessaria adusum, seu etiam ad recreationem in die festo non est peccatum, prout est

consue-

consuetudo populi Christiani, saltem in illis horis, in quibus non est prohibitum ab Episcopo.

Bene tamen faceret Episcopus si vbi speratur obedientia, hoc prohiberet saltem in alijs quibus horis, puta tempore diuinorum officiorum; & id, quod dico de actu vendendi, vel emendi, intelligendum est & de actu locandi, & conducendi prout est consuetudo populi.

5 Quinto, quæritur quid intelligendum sit nomine placiti?

Resp. quod intelligendum sunt lites iudiciales, tales enim prohibentur in die festo, nisi necessitas vrgeat in contrarium, vt si nó posset haberi testis examinandus in alia die; vel pietas suadeat; & ideo inquit Caet. excusantur Iudices rurales, qui in die festo per aliq tēpus rusticis ius dicūt ne in alijs diebus diurnū laborē amittant.

Idem dicendum esset de iudice ius dicente miserabilibus personis.

6 Sexto, quæritur quid intelligendum sit nomine iudicij?

Resp. quod intelligendum est vt dixi iudicium ad mortem, seu aliam pœnam, tale enim prohibetur fieri in die festo nisi necessitas suadeat, vt si quis reperiretur in flagranti crimine in die festo ad terrorē aliorum posset iudex ferre sententiam vt suspenderetur, vel si caperetur aliquis flagitiosus, & timeretur, quod si prorogaretur iustitia ipsa impediretur, tunc posset ferri sententia in die festo, & suspendi, hæc plerūq; fiunt in bellis.

7 Septimo, quæritur quid intelligendum sit nomine iuramenti?

Resp. quod nó intelligendum est omne iuramentum, sed tantū id, quod fit in iudicio; tale enim non potest fieri in die festo nisi aliter necessitas vel pietas expostulet vt diximus de placito, & iudicio.

MEMBRVM TERTIVM.

De operibus seruilibus, quę permittuntur fieri in die festo sine pecc. mort.

1 *Laborare modicū in die festo an sit peccatum.*
2 *Quæ opera seruilia fieri possint in die festo.*
3 *Quæ necessitas excuset à laborando in die festo.*
4 *Laborans coactus in die festo an peccet.*
5 *Repentina occasio lucri transitorij num excuset, vt quis possit laborare in die festo.*
6 *An liceat laborare in die festo ex cōsuetudine.*
7 *Artes liberales num possint exerceri in die festo.*
8 *Transcribere, componere &c. an liceat in die festo.*
9 *Opera pietatis facta cum quæstu num prohibita in die festo.*

IN hoc membro primo quæritur an laborare modicum in die festo sit peccatum? 1

Resp. quod non est pec. mor. quia sicut in alijs præceptis parum pro nihilo reputatur, ità & in hoc; atque hinc excusantur a p. m. parum suentes, vel reparantes aliquod minimum tempus insumentes in die festo.

Secundo, quæritur quænam opera seruilia possunt fieri licite in die festo etiam multum temporis insumendo? 2

Resp. quod possūt fieri primo illa, quæ per se, & immediate ordinantur ad diuinū cultum vt ferre cruces in processione, vel imaginem; quæ præparantur ad diuinum cultum, vt pulsare campanas.

Similiter, & aliqua alia, vt verrere, & mundare Ecclesiam, & eam ornare; item conficere hostias ad celebrandum, vel ad communicandum, hæc enim vt bene ait Caet. loco cit. deberent fieri in die antecedenti idest mundatio, & ornatus Ecclesiæ, & conficere hostias. sed si non fiunt in die antecedenti, vel propter negligentiam ministrorum, vel propter legitimam causam, possunt fieri in die festo ab ijsdem ministris vel alijs.

Dixi, quæ per se ordinantur ad diuinū cultum, ad excludendum, opera seruilia, quæ non ordinantur per se ad diuinum cultum sed per accidens, vt si aliqua Ecclesia haberet campum aliquem, nó posset ille campus in die festo arari, & seminari, vt communiter videmus fieri, quod

sine

si necessitas pauperculæ Ecclesiæ forsan aliter postularet, dicerem cum Caet. id non esse damnandũ, si fieret de consensu Prælati.

Secundo fine p. m. possunt in die festo exerceri opera seruilia, quæ per se ordinantur ad pietatem, & huiusmodi sunt opera misericordię etiam corporalia, vt sepelire mortuos; item eos deferre ad sepulturam, imo & fossam facere in cæmeterio vel Ecclesia vbi nõ est sepultura pro cadauere, tũnc non humato. Dixi pro cadauere tunc non humato quia nõ esset licitum in die festo facere sepulturam pro futuris mortuis, de quibus non est periculum vt adsint in illa die, vel statim post illam diem.

Item ex hoc capite excusantur vt dixi, Rectores, & alij Iudices ius dicentes in caussis miserabilium personarum.

Sed hic est dubium vtrum in die festo ratione pietatis liceat reficere pontes, seu vias?

Ad hoc resp. Caet. in summa §. in festo licita, & Nau. in manuali. c. 13 nu. 4 quod non; quia hæc tantum accidentaliter ordinantur ad pietatem; secus tamẽ esset si hoc fieret propter necessitatem, vt si non posset quis pertransire fluuium nisi apponeretur trabs pro põte, posset alius vel ipse deferre trabem, & pro ponte aptare.

3 Tertia Caussa propter quam licitum est exercere opera seruilia est necessitas, & hæc habet multos ramos; nam prima est necessitas victus, & hinc excusantur coqui qui cibos parant, & coquunt, & qui pastillos faciunt; & hinc etiam excusantur Lanij slz. macellarij, caupones &c. qui vendunt, vel coquunt, vel parant, vel ministrant ad cibum quasi dianum necessaria. Intelligendũ tamẽ est pro illa die, nã non esset licitum occidere in die festo bouem vel suem priuato homine, & eum in frusta concidere, & sale conspergere ad cibum futuri temporis.

Sed dices pistores, & fornarij possunt ne in die festo exercere suum opus? videtur n. quod sic quia ordinatur ad cibum.

Sed dicendum est cum Caet. l. cit. & Nau. c. cit. quod non, quamuis de pistoribus aliqui tenuerint contrarium, quia pistores panem tempus in fummo nt in suo opere quando molitur opera aquæ; secus tamen esset si adesset aliqua necessitas puta tempore belli, vel propter concursum multorum dierum festorum, nam tunc & pistores, & fornarij possent suum exercere opus.

Secunda necessitas est ratione sanitatis proprij, vel alterius corporis, & hinc excusantur Medici, Chirurgi, Barbitonsores, qui incidunt venas; Item, & pharmacopolæ, qui parant medicinas.

Intellige tamen medicinas necessarias pro tali die nam non liceret pharmacopolæ in die festo parare infusiones, quib. pro futuro tempore necesse habet, & similia non necessaria pro tunc. & ratio huius est vt ait Caet. l. cit. quia ars pharmacopolæ est mechanica, & non excusat artificem laborantem in die festo nisi propter necessitatem.

Tertia Necessitas est ratione paupertatis vt si aliqua persona non habet vnde viuat nisi ex sudore, seu ex labore, posset in die festo laborare ad acquirendum victum pro se, & suis filijs, quod tamen debet facere secreto ad euitandũ scandalum.

Quarta Necessitas est ratione publicæ necessitatis, & hinc tempore belli excusantur, qui parant arma bellica, conficiunt aggeres, faciunt fossas & similia in festo.

Similiter excusatur vt docet Caet. l. cit. & Nau. Cursores, Muliones, Nautæ, qui opus suum conficiunt in die festo, quod si non conficerent cederet in magnum damnum reip., imo dicunt dicti DD & bene, quod etiam excusantur qui illis seruiũt vt fabri ferrarij qui ferreas solas mulis, & equis eorum adaptant.

Quinta Necessitas est euitatio damni propriarum rerum, vel proximi ex imminente periculo; hinc excusantur qui metunt millium maturum flante aura, & qui defendunt proprias res ab igne, ab illusione, & ab incursionibus; quod dico de reb. proprijs, intellige vt dixi etiam de reb proximi.

Notandum hic est ex Nau in manual. 4 c. 13. n. 15. quod si Episcopus sub pena excommunicationis præciperet ne qs laboraret in die festo, talẽ excõmunicationẽ nõ in

K carreret

curreret ille, qui propter necessitatem vel aliam iustam caussam laboraret in die festo, nã sententia Episcopi generalis iuridice esset interpretanda, idest quod intelligeretur esset de opere illicito in die festo nõ autem licito, quale est illud, quod fit propter necessitatem, vel pietatem, etsi Episcopus in sua comminatione præciperet sub pæna excommunicationis quod nullus elaboraret in die festo etiam propter necessitatem, vel pietatem, tunc sentẽtia, seu comminatio esset nulla quia contineret errorem intolerabilem, & propterea etiam stante tali decreto posset quis propter necessitatem; vel alia iusta caussa ex dictis absque periculo excommunicationis laborare in die festo.

Hinc infertur quod licet elaborare in die festo in nostra Med. Ecclesia sit casus reseruatus Archiepiscopo, non tamen peccant illi, qui iusta de caussa elaborant, idest propter cultum Dei, pietatem, vel necessitatem, quia cum reseruatur casus in hac materia intelligitur de opere, quod est p. m. quod si non est p. m. sine reseruatione, neque est casus reseruatus.

Secũdo Not est ex Caet. in S.V. in festo licita, & ex Nau. in man. c. 13. q. si aliquis cogeretur elaborare in festo per violentiã extrinsecam, vt ab homine potente cõminante mortem, nisi laboraret non peccaret mortaliter laborando; imo neq; p. m. si laboraret coacte ad euitan. aliud damnum, alicuius momenti, putã si dominus præciperet seruis, aut famulis, vel subditis, quod in die festo laborent alioquin expelleret eos sine mercede non ultorum mensium, quæ illis ab eo debetur; possunt laborare ad euitan. tale damnum, secus tamen esset si aliquis cogeret aliquem ad laboran. vt iniuriam irrogaret diei festo, talis enim si laboraret p. m. peccaret sacrilegij. Simili modo noluerunt peccare Machabæi, qui potius voluerunt mori, quam carnes suinas in contemptum legis comedere, scriptum est enim, Qui erubuerit sermones meos coram hominibus &c.

Atque hinc infertur quod aliud est laborare coacte, quando qui cogit ad laborandum in die festo ideo cogit tantum, vt habeat opus seruile; aliud est elaborare propter coactionem quando ille, qui cogit, ideo cogit ad laborandũ, vt irrogetur iniuria diei festo, nam primo modo si cogamur, possumus laborare ad euitandum dãnum, si vero 2. modo, potius morien. est, quam laborandum.

5 Quarta caussa, propter quam aliquis potest laborare in die festo est repentina occasio lucri transitorij & hoc est concessione Ecclesiæ, concessit enim Ecclesia capitulo licet de ferijs, quod in die festo possimus capere alecia, seu alios piscos transitorios, qui commode non capiuntur nisi semel, vel bis in anno cum hoc moderamine tamen; vt honesta pars lucri detur Ecclesijs, & pauperibus circumpositis ita Nau. c. citato, Caiet. in summa in festo licita verbo &c.

6 Vltima caussa, propter quam licitum est laborare in die festo, est consuetudo populi Christiani, propter hanc enim vt dixi, sunt licitæ nundinæ, & licita est emptio, vel venditio rerum commestibilium ad minutum postquam Episcopi vident, & non prohibent.

7 His caussis potest & addi alia secundum Caet. meo iudicio non multum ad rem facit, ea enim est quod possunt in die festo fieri opera, quæ pertinent ad artes liberales, sed hæc non sunt seruilia, vt scribere ad docen, ad discendum, ad signandum aliquid alicui, vt fit per litteras docere Theologiam, & alias scientias, vel doctrinas; atq; hinc inquit Caet. possunt excusari illi, qui designant pueris, vel alijs, vt eos instituant quomodo aliquod opus sit faciendum hoc enim potius est docere, quam laborare.

8 Sed hic est dubium an transcribere instrumenta, aut alias scripturas propter quæstum sit licitum in die festo?

Rosella in V. feria; Angelica ibidem Dom. Sot. ar 4. cit. & Nau. c. cit. dicunt, quod est p. m. in die festo transcribere aliquid, & transcribere libros componere propter quæstum, quia licet scribere nõ sit opus mechanicum, transcribere tamẽ propter quæstum videtur opus mechanicum; hoc tamen non transcribere propter quæstum in die festo est tutius, sed an sit opus mechanicum non auderem deliberare, quia ex vna parte videtur, quod non

ex

ex alia sunt DD. citati cum alijs, qui docent non esse licitum in festo.

Sed dubitabit hic aliquis, an opera seruilia, quæ propter cultum Dei, pietatem, vel necessitatem, vel aliam iustam caussam ex dictis licita sunt in die festo, fiant illicita si propter quæstum fiant; fuerunt enim nonnulli DD qui tenuerunt partem affir. vt Ric. in 4. sent. d. 3. Ang. in sum v feria. Tab. ibidem, & syl. in summa v. Dominica, ij enim dixerūt, quod opus seruile licitum in die festo factum propter vnam, vel aliam ex dictis caussis licitum fit illicitum si fiat propter lucrum.

Sed contrariā sententiā, & bene tenuerūt Caet. in sum. l. cit. Nau in manuali c. 13. n. 5. & Dom. Sot. l. 2. de iust. & iure q. 4. ar. nullum enim opus seruile fit non seruile ex eo, quod non fiat propter quæstum, neq; aliquod opus non seruile fit seruile propter quæstum; quare ea opera seruilia, quæ prohibentur fieri in die festo etiam sunt peccata si non fiant propter quæstum, & si fiant licita propter aliquā caussam ex dictis, etiam erunt licita si pro illis accipiatur pecunia, vel aliquod lucrum, alioquin & Medici errarent accipiēdo lucrum pro infirmis curatis in die festo. Similiter & pharmacopolæ accipientes lucrum ex labore in componēdis medicinis; imo, & organistæ, & musici, & multi alij, qui propter pecuniam suum opus in die festo exercent; & videmus quod serui tam accipiunt salarium pro diebus festis, quam pro alijs, alioquin in mense Decembris serui deberent minus salarij accipere, quam in alijs mensibus, quia in ea sunt plures dies festi, vel in mense sequenti.

In calce istius capitis notandum est ex Caet. in sum. v. in festo licita in fine, & Nau l. cit. num 15. quod licet finis propterquem institutus est dies festus non præcipiatur tertio Decalogi præcepto, itaut non p. m. contra tale præceptum, qui audita Missa diem festum consumit in ludis, tamen malum est diem festum, qui institutus est ad honorandū Deum pertransire fine aliquibus operib. spiritualib. & fine seruitute, quam quilibet Deo facere debetur in die festo, quod minime faciunt illi, qui totum diem festum consumunt in ludis cōmessationib. spectaculis, vagationib. & similibus animæ inutilibus, & D. Ant. in 2. parte suæ sum. tit. q. c. 7. ff. 5. ait deploran. esse malū Christiani populi consuetudinem, quæ in dieb festis cultui Dei dicatis pluria, & maiora peccata committit, quam in alijs hebdomadæ diebus, qui ad vsus humanos deputantur. atque hæc de hoc capite dicta sufficiant.

CAPVT SECVNDVM.

De Missa audienda in die festo.

1 *Vtrum sit praeceptum de audienda Missa in die festo, & qualiter obliget.*
2 *An Missa audienda integra.*
3 *Quid si quis partem Missæ ab vno, partem ab alio Sacerdote audiat.*
4 *An ad praeceptum adimplendum sufficiat audire Missam integram à duobus Sacerdotibus celebrantibus distinctis horis.*
5 *Quomodo quis tenentur audire Missam, vt praecepto satisfaciat.*
6 *An tempore Missæ possit quis recitare horas Canonicas ex obligatione, & satisfacere vtriq; praecepto.*
7 *Qui excusentur ab audienda Missa.*
8 *Vtrum excusati ab audienda Missa teneantur priuatim recitare aliquas orationes.*

IN hoc cap. quæritur qui nam teneatur audire Missam in die festo?

Pro resp. ad hoc quæsitum, & pro solutione omnium dubiorum, quæ oriri possunt circa obligationem audiendi Missam in die festo not. est hæc conclusio desumpta ex Nau. in m. c. 21. Quicunque discretus tenetur Missam integram audire, in omni die festo, nisi aliqua legitima caussa excusetur. 1

Dixi (quicunq;) quia à præcepto audien. Missam neque excluditur fœmina, neq; masculus; neq; liber, neq; seruus, neque senex, neq; puer, modò habeat vsum rationis.

Dixi (discretus) quia infantes, & amen-

tres non tenentur audire missam, non enim peccant si missam non audiunt, quia cum non habeant vsum rationis peccare non possunt.

Dixi (missam in singulari) quia nullus tenet. in die festo, etiãsi sit dies Natalis Domini, audire plures missas, nisi ex voto, vel pænitentia iniuncta à Confessario teneatur; licet enim in die Nat. Domini Sacerdotes tres celebrant missas, quilibet tamen vt præcepto de audienda missa satisfaciat poterit vnam tantum audire in tali die. Ita Nau. l. cit.

2 Dixi (integram) ad signandum quod non sufficit ad satisfaciendum præcepto de audien. missa audire partem illius, sed requiritur vt integrã audiat. si vero parua pars tantũ non audiretur, non ideo p.m. & neq; teneretur iterũ missam audire ille qui eã omisit, quia sicut in omnibus alijs præceptis, ita & in isto paruum pro nihilo reputatur.

Animaduerten. tamen est hic ex Nau. c.21. cit. quod ex duabus partibus omissis puta ex altera omissa in principio, & altera in fine si simul positis conflent aliquod notabile, nõ satisfieret præcepto, vt si aliquis accederet ad missam audien. in principio recitationis epistolæ, & recederet statim post communionem; secus si alterum tantum ex ijs omitteret.

3 Sed dicet hic aliquis, satisfaciet ne præcepto de audien. missa integra ille, qui partẽ missæ audit à Sacerdote celebrante, & interest eleuationi SS. Hostiæ, sed non interfuit principio missæ per partẽ notabilem; si Sacerdos iterum recitaret missam, quantum ad eam partem, quam non audiuit ipso audiente?

Ad hoc resp. Nau. l. cit. quod satisfaceret, quia talis vere diceret audisse missam integram, nec refert an ille Sacerdos id, quod omissum est in Ecclesia recitet, an in Sacrario, an alio in loco, & an sine vestibus sacris. modo ille audiret, qui eam partem omisit; imo ait Nau. l. cit quod etiam sufficeret si ipsemet legeret non tamen verba Canonis ordinata ad sacrificiũ

4 Rursus dicet aliquis an sufficiat audire missam integram à duob. Sacerdotibus celebrantibus in distinctis horis?

Ad hoc resp. Nau. c. cit. affirmatiue, & bene vt si aliquis audiuit missam ab vno Sacerdote à præfatio vsque ad finem, poterit alterũ audire à principio vsque ad præfatiũ, quia sic diceretur talis audire missam integram; nec est præceptum, quod audiatur missa integra ab vno tãtũ Sacerdote, sed tãtum, quod audiatur missa integra.

Dixi in omni die festo, ad signandum, quod de præcepto cõmuni nullus tenetur audire missam in alio die, quam in die festo.

Et dixi de præcepto cõmuni, quia secus esset si quis teneretur eam audire ex voto, vel statuto aliquo particulari, vel ex pænitentia à Confessario iniuncta. Quare quando aliquę personæ confitentes cõfitentur omisisse missam ter, vel quater, interrogandæ sunt an id fuerit in die festo, & an legitima causa, si in die festo omissa fuerit missa, an verò fuerit in alio die, nã si primũ dicatur & sine causa erit p.m. secus si secundo; nisi vt dixi factum sit contra statutum aliquod, votum, aut pænitentiam à confessario iniunctam.

Dixi (audire) quod intelligen. est non 5
tam aurib. corporeis, quam mentis, nam ille, qui missam audit vt præcepto de audien. missa satisfaciat tenetur nõ tãtũm interesse missæ, sed & mente attendere ad verba, quæ dicũtur à Sacerdote, vel ad mysterium, quod fit, nam si aliquis dum missę interest, ita se occupat in aliqua alia re, vt non possit simul attendere ad verba, quæ recitat Sacerdos, vel ad Sacram, quod fit, non satisfacit præcepto de audien. missa; atque hinc fit primo, quod si aliquis dormiret dum missa celebratur, nõ satisfaceret præcepto de audien. missa, quia qui dormit nõ potest attendere ad verba, quæ à Sacerdote recitantur, vel ad mysterium, quod fit.

Secundo, Neque qui pingeret dum missa celebratur.

Tertio, Neque qui scriberet.

Quarto, sequitur, quod ille, qui non audit missam quantum ad verbum, satisfacit precepto attenden. ad misterium, quod fit.

Et probat. primo quia alioquin surdus nõ teneretur interesse missæ, vel non posset huic pręcepto satisfacere.

Secundo,

Secundo, Cum multi intersunt missæ, & Sacerdos summisse celebrat, illi, qui non audiunt Sacerdotem tenerentur iterũ audire missam, quod non est dicendum.

Tertio Mulieres, quæ non intelligunt linguam latinam non possent huic præcepto satisfacere, nã audire id, quod non intelligitur parum refert.

Quarto, Græco Sacerdote celebrante lingua græca, latini, qui ignorant linguam græcam non possent huic præcepto satisfacere, quod non est dicendum.

Sed hic occurrit non parua inter DD. controuersia an ille, qui tenetur recitare horas canonicas vel quia est professus religiosus, vel quia in Sacris ordinatus, vel quia titulum beneficij habet, simul, & eodem tempore possit satisfacere præcepto de audien. missa, & de recitãdis horis canonicis. Scotus.n. in 4. sent. & multi alij Theologi; Ar. in sum. 5. missa, & multi alij summistæ tenuerunt partem negatiuam propter hanc rationem, quia videtur ille, qui tenetur recitare horas can. eum eas recitat tenetur habere attentionẽ, vel ad verba officij, vel ad sensum verborum, vel ad gratiam, quã à Deo petit., vel ad Deum, quem alloquitur; vt etiam videre est apud Caet. in sum. 5. horæ canonicæ; & ille, qui vult audire missam, vt satisfaciat præcepto de missa audienda tenetur attendere, vel ad verba quę dicit Sacerdos, vel ad mysterium, vt diximus supra; sed nullus potest simul, & eodem tempore ad duo diuersa attendere, igitur vnus eodem tẽpore, & simul non potest satisfacere pręcepto de Horis can. recitan. & præcepto de audienda Missa.

Verum Caet. in sum V. festi dies, & Nau. in m. c. 21. & Sot. in 4. sent. d. 13. cont tenuere sent., dicunt.n. isti DD. locis cit. quod si aliquis recitat officium dũ audit Missam itaut non tantũ attendat ad missam, sed etiam ad ipsum officiũ vtrisq; satisfacit pręceptis.

Dicunt tamen omnes dicti DD. hoc esse difficile, & dicit Nau. c. cit. quod plerumq; qui duos sequitur lepores, vtrũq; amittit, volens inferre, quod sæpe ille, qui eodem tempore vult attendere ad officiũ, & ad missam, neque ad officium satis attendit, neque ad missam.

Dom. Sot. l. cit hoc modo conatur probare suam opinionem, vel ille, qui eodem tempore missam audit, & officium recitat, satisfacit precepto de officio recitan. tantũ, vel satisfacit præcepto de missa audien. tñ, vel neutriq; vel vtriq; non primum aut secundum quia non est maior ratio cur satisfaciat vni magis, quam alteri præcepto, non tertium quia sequeretur quod talis iterũ teneretur audire missam, & recitare officium, ergo quartum.

Sed meo iudicio ad hoc arg. facile posset hoc modo responderi, si attendebat ad officium, & non ad missam, satisfaciebat præcepto de recitan. officio, sed nõ de audienda Missa; & sic tenet. iterũ audire Missam, sed non recitare officium; sin vero è contra attendebat ad Missam, & non ad officium, quod recitabat, satisfaciebat præcepto de audienda Missa, & tenetur recitare officium iterum, & si ad neutrum attendebat, neutri præcepto satisfaciebat; si ad vtrumq; vtrique satisfaciebat.

Dicen. igit. est quod si aliquis det. qui possit simul, & eodem tempore attendere ad officium, & ad missam poterit vtrique præcepto satisfacere, sed cum hoc sit difficillimum, vt alias dixi in tract. de Eucharistia, tutius est in diuersis temporibus recitare officium, & audire Missam.

Dixi nisi excusetur aliqua legitima causa, & secundum Nau. in manuali c. 21. cit. legitima caussa, propter quam non peccat ille, qui in die festo nõ audit Missam est illa, quæ cogit aliquem omittere missam tali tempore ad euitandũ aliquod damnum quod incurreret si missam audiret in bonis, vel animę, vel corporis, vel famæ, vel fortunæ, & secundum Caet. in sum 5. festi dies, Dom. Sot. l. 4 de Iust. & Iure dist. 13. & Ar. in sũ. 5. missa, illa caussa dicitur rationabilis ad excusãdũ ab aud̃. missa, quæ iudicatur rationabilis, etiã ab eo, qui debet audire missam modo hoc iudicium sine fraude fiat.

Hinc inferunt Nau. & alij DD. cit. primo, quod excusãtur ab audien. missa infirmi, qui credunt, quod si domo discederent ad audien. missã augeretur infirmitas. 7

Secundo Excusantur illi, qui curant infirmos nisi habeant alios, qui loco eorum possint curare infirmos dum missam audiant.

diant.

Tertio Excusantur medici quando non possunt, & curare infirmos, & audire Missam.

Quarto Excusãtur illi, qui timent mortẽ vel aliud damnum sibi inferendum ab inimicis, qui eos persequuntur.

Quinto Excusantur puerperæ, quæ nõ vadunt ad missam ante benedictionem in illis regionibus in quibus non est consuetum audire missam puerperis ante benedictionem, & tenentur puerperæ postea quanto citius exquirere dictam benedictionem.

Sexto excusantur vxores, puellæ, & aliæ mulieres, quæ per aliquod temporis spacium iuxta consuetudinem patrię non vadunt ad missam tempore luctus ob mortem patris, mariti, aut alterius consanguinei, vel affinis; licet melius facerent quantocicius missam adire ad orandum pro mortuis.

Septimo excusãtur puellæ nubiles, quę secundum morem Patriæ ad missam non vadunt, quæ tamen nec deberent ire ad choreas postquam non vadunt ad missam.

Octauo excusantur nutrices, & aliæ, quæ infantes lactant, vel nutriunt, nec alias habent, quæ vicissim infantum curã gerant tempore audiendæ Missæ, nec est melius infantes in Ecclesiam deferre quã missam omittere, quia vt plurimum tales gemitibus & Sacerdotem celebrantem, & populum astantem perturbant.

Propter eandem rationem excusantur energumeni quãdo malignus spiritus cõsueuit perturbare astantes in Ecclesia, tales enim deberent deduci ab Ecclesia ab Hostiarijs, ne perturbet celebrans, & astantes, solet.n. dęmon ille malignus aliquã do in Ecclesia magis tumultum facere ad deuian animum astantium ab attentione, & deuotione.

Item excusantur itinerantes vt docent Ar. Caet. & Nau. locis cit. quãdo socij eorum nolunt eos expectare si socij sunt illis vtiles in via, puta quia suis expensis prę bent illis cibaria, vel iter tutum reddunt.

Excusantur itẽ nauigaturi quando nauta cum naui est discessurus; & alia, quæ vos potestis excogitare secundum regulas datas, vel à Nau. vel à Caetano.

Sed dicet quis vtrum ille, qui non audit Missam propter legitimam causam teneatur domi loco Missæ non auditæ, facere aliquas orationes?

Scotus in quarto sent. dist. 13. & sum. Angelica affirmant, & ratio eorũ est, quia festus dies est introductus, vt seruiatur Deo, & ad hoc Ecclesia instituit, vt in eo audiat. Missa, si ergo Missa non auditur aliud seruitium debet Deo præstari.

Sed Caet. l. cit. Nau c. 21. man. Sotus in 4. & alij dicunt quod hoc non est necessarium, licet esset laudabile, quia finis propter quem est institutus dies festus nõ continetur in pręcepto de sanctificando die festo atque hæc de hoc capite, plura si vultis uidere in tractatu de Sacramentis parte 4 quæ est de SS. Eucharistia.

CAPVT TERTIVM.

De Communione sumenda in Paschate.

1 *Qui teneantur communicare in Pascha te.*

2 *De tempore concesso ad se Communicãdum in Paschate, vt quis satisfaciat pracepto.*

3 *Non communicans in Paschate vtrum teneatur id facere extra illud tẽpus.*

4 *Quando id possit facere de consilio Cõfessarij.*

QVæritur quinam teneatur sumere SS. Eucharestiam tempore Paschatis?

Resp. quod præceptum de sumenda SS. Euch. est diuinum secundum se, dicitur enim in Euang. a Christo, nisi manducaueritis carnem filij hominis &c. sed quantum ad determinationem temporis est Ecclesiasticum; & antiquitus in singulis dominicis diebus ab Ecclesia præcipiebatur sumi SS. Euchar., postea refrigescẽte charitate præcipiebatur, vt in die Nat. Domini, Resurrect, & Pent. sumeretur; deinde adhuc magis refrigescente charitate præcepit Ecclesia sumendam SS. Euchar. in Paschate, vt habetur in capitulo omnis vtriusq; sexus de pænitentia, & remissione.

Et

2 Et not. est quod Eug. Quartus vt refert Ar. in summa 5. cõmunio, declarauit tempus Paschatis quantum ad preceptum de communione sumenda esse intelligen. per octo dies ante diem Paschatis, & per totidem post; in quorum dierum vno vnusquisq; qui habet vsum rationis tenetur sumere SS. Eucharistiam, nisi propter aliquod legitimum impedimentum excusetur, vel de consilio confessarij tempus prorogetur. Et vsus rationis qui requiritur ad hoc vt quis teneatur sumere SS. Eucharestiam est maior, quam ille, qui requiritur ad hoc vt quis teneatur ad Sacramentum pænitētiæ, vnde ad sumendã SS. Euchar. cõmuniter requiritur ætas 13. vel 14. annorum; sed ad Sacramentum pænitentiæ sufficit ætas, in qua homo potest mortaliter peccare.

3 Sed hic est difficultas an ille, qui non communicauit se in vno ex dictis quindecim diebus teneatur sub pæna p.m post octauam Paschatis se communicare antequam veniat aliud Pascha?

Armilla V. communio § 6. & D. Ant. 2. parte suæ summæ tit. 9 c. 9 § 8. dicit, quod si aliquis legitimo impedimento impeditus non communicauit se tempore Paschatis, tenetur se post illud tempus communicare, non autem si se non communicauit ex negligentia, seu sua culpa.

Sed ego non possum intelligere quomodo ille, qui legitimo impedimento impeditus non communicauit se tempore Paschatis teneatur se postea communicare, & non ille, qui non se communicauit tali tempore propter negligentiam, vel aliam culpam.

Dicen. igitur est primo q. ille, qui non se communicauit tempore Paschæ siue ex negligentia sua, vel alia culpa, siue propter aliquod impedimentum, non tenetur postea se communicare, vt satisfaciat præcepto de sumenda SS Euch. tēpore Pascatis; & probatur quia ille, qui non ieiunauit in quadragesima, siue propter culpam suam, siue propter legitimam causam nõ tenetur postea ieiunare, vt satisfaciat præcepto de ieiunan. in Quadrages., ita nec ille, qui non se communicauit tempore Paschatis tenetur se communicare post tale tempus, vt satisfaciat præcepto de sumen. SS. Eucharistia tempore Paschatis.

Dicen. est secundo, quod si quis de cõsilio confessarij non communicauit in Pascate, tenetur postea communicare se, quia confessarius prorogat tempus illorũ 15. dierum, & durante tempore prorogationis, quoniã ad illum in vtilitatem cuius prorogatum est dicitur durare tempus Paschatis quantum ad sumendam SS. Eucharestiam.

De preparatione autem, quæ requiritur ad sumen. SS. Eucharist. vel ad eam conficien., aut ministran. fusissime dictum est in tractatu de Sacramentis parte quarta.

CAPVT QVARTVM.

De confessione facien. semel in anno.

1 *Quo iure teneatur quis confiteri semel in anno, an naturali, an diuino, an Ecclesiastico.*

2 *Si quis oblitus sit aliquod peccatum, tenebitur ne illud confiteri intra annum.*

Quæritur an confiteri semel in anno sit de iure naturali, an diuino, an Ecclesiastico? 1

Dico primo, quod cõfiteri peccata Sacerdoti Sacramentaliter non est de iure naturali, quia sacramenta sunt supranaturalia.

Dico secundo, quod confiteri peccata Sacerdoti est de iure diuino, quod quidem ius obligat tempore necessitatis, seu periculi mortis illum, qui habet copiam confessarij, & recordatur pæn. de quo non est alias recte confessus; quod autem dicatur periculum mortis fuse dixi vbi de pænitentia, vos ibi diligenter videte.

Item obligat eum tale ius, qui vult sumere SS. Eucharistiam; ita enim quamplurimi DD. de confessione Sacramentali interpretantur illa verba D. Pauli, probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat; idest probet per Confessionem Sacramentalem, & ita declaraui Concilium Trid. & hoc intelligen. est si ille, qui vult sumere SS. Euchar. est conscius peccati mortalis, de quo nõ est alias recte

recte confessus.

Dico tertio quod de iure Ecclesiastico prout est determinatiuum iuris diuini quilibet habens discretionem, qui recordatur p. m de quo non est alias recte cōfessus, tenetur semel in anno confiteri peccatum suum, & alia, si quæ habet mortalia proprio Sacerdoti.

Dixi de iure Ecclesiastico, quia licet præceptum de confessione fit diuinum secundum se, est tamen Ecclesiasticum quātum ad determinationem tempor s, idest quantum ad hoc quod facien. fit bis, vel semel in anno, & in primitiua Ecclesia sæpius fiebat de præcepto.

Dixi quicunq; habens discretionem, quia infantes, & stulti eximuntur ab hoc præcepto; requiritur enim, vt aliquis teneatur ad confess. vt cognoscat peccatum, quod facile possumus inspicere, quando aliquis puerulus erubescit ob factum aliquod malum, quod communiter euenire solet in fine primi septennij.

Dixi qui recordatur p. m de quo non est alias recte confessus, quia nullus tenetur confiteri venialia, neque mort. recte confessa.

2 Sed dicet hic aliquis, si aliquis est oblitus alicuius peccati, tenetur ne illud confiteri antequam transeat annus? Similiter si aliquis ex negligentia, vel malitia, vel verecundia integre non est confessus?

Resp. quod si ex culpa sua non est integre confessus, tenetur iterum confiteri, antequam transeat annus, sed si per accidens dimidiauit confessionem, non tenetur iterum confiteri, antequam transeat annus, quot modis autem dimidietur confessio per accidens, dictum est in tractatu de Sacramentis vbi de pænitentia.

CAPVT QVINTVM.

De præcepto soluendi Decimas.

1 *Quale præceptum obliget ad soluendas decimas.*

2 *De quibus fructibus soluenda sunt Decima.*

ET cum hactenus dixerimus de præcepto audien. Missam; de præcepto sumēdi SS. Euch. Sacramentum, & de præcepto confiten. peccata semel in anno, & dicturi simus deo fauente de præcepto ieiunij, quæ sunt quatuor Ecclesiæ præcepta, certe aliquid dicen. esset de præcepto soluen. decimas, vt omnia quinque Ecclesiæ præcepta pertractemus, quæ enumerat, & de quibus tractat Na. in man. c. 6. licet aliquantulum fusius, quam ipse alibi tractatum fit de ipsis, vt de Missa, & sumptione SS Euch circa Sacramentum SS. Euchar., & de cōfessione, vbi de pænitētia.

Quantum ad decimas dicen. est, cum Nau. c. cit. quod in testamento veteri soluere decimas erat de iure diuino, nam Deus præceperat vndecim tribubus ex duodecim pop. Israelitici, vt soluerent decimas duodecimæ tribui, quæ erat leuitarum, qui ministrabant templo Dei, & quib. nulla pars data fuerat terræ promissionis, ne occupati in colendis agris, & vineis cessarent à ministerio suo. 1

In noua lege soluere decimas est de iure Canonico, nisi velimus dicere esse de iure naturali prout dantur decimæ ministris Ecclesiæ ad eorum sustentationem, nam de iure naturali est vt vnusquisq; populus habeat ministros Ecclesiæ, & eos alat Sed quia ministri Ecclesiæ possunt sustentari per aliud, quam per decimas ideo decimas soluere non est de iure naturali, sed Ecclesiastico; Secundum quod ius Ecclesiasticum dicen. est, quod in illis locis vbi solitum est soluere decimas vnusquisque tenetur eas soluere si habet prædia, quæ decimari soleant, & si hoc non faciat p. m. & incurrit excōmunicationē ex decreto Concilij Tridentini.

Quod si dicas de quibus fructibus soluendæ sunt decimæ? 2

Resp quod soluen. sunt prout solitū est in illo loco, si de vino, de vino etiam si de grano minuto etiam de grano minuto, seruandus est enim mos, & vsus loci.

Quod si dicas quota pars danda est pro decima, quinta decima, an vero decima?

Respondeo quod decima vbi datur decima, & quintadecima, vbi datur quintadecima, seruanda est enim consuetudo locorum atque hæc pauca de decimis dicta sufficiant.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

De legitima susceptione, & administratione Sacramentorum.

Quinam teneantur suscipere sacramenta.
Qualis dispositio ad susceptionem Sacramentorum.
Quanam praeparatio administranda Sacramenta.

N hoc capite primo quaeritur quisnam teneatur suscipere sacramen-

Ad hoc dico primo quod baptismū tetur vnusquisque suscipere recipiendo e in re sacramētum ipsū baptismi, fiin voto, quod fit per baptismū, quod citur flaminis, ille enim dicitur bapari flaminis baptismo, qui habet von seu intētionem suscipiendi baptismi, sed nō potest, dicitur.n. baptismus guinis, sed hic in adulto non potest e sine baptismo flaminis, in puero ve quādo possit esse dixi vbi egi de bapno secundum opinionē doctoris anici D. Thomae.

Dico secundo, quod Confirmationē, extremam vnctionem de praecepto no tenetur suscipere; de consilio veomnes deberent talia Sacramenta cipere, quando scilicet tempus est & asio se offert.

Dico tertio, quod ordinem, & matrinium in cōmuni aliqui tenentur susci e, quia necessarij sunt in Ecclesia orari, vt sibi ipsis, & alijs ministrent Sa nenta, & coniugati ne genus homi, & ipsa Ecclesia militans deficiat; us tamen in particulari de praecepto tur ordinem suscipere, vel matrimo n contrahere, quia sine talibus Sanentis potest vnusquisque saluari in iculari, sed de hoc alias, vbi de Saentis in genere, & vbi de ordine, e matrimonij Sacramento.

Dico quarto, quod illi tenentur Saentum Poenitentiae, vel Sanctissimae Eucharistiae suscipere de quibus supradixi capite tertio, & quarto.

2. Quaeritur quid requiratur ad hoc, quod aliquod Sacramentum digne suscipiatur?

Respondeo quod in communi dictum est vbi de Sacramentis in genere, quod requiritur talis munditia in anima vt susceepturus Sacramentum non sit conscius peccati mortalis, idest vt habeat contritionem de peccato mortali, si quod comisit de quo alias contritionem non habuerit. Ad baptismum tamen, & ad Sacramentum Poenitentiae sumendum sufficit attritio.

Ad alia requiritur attritio saltem reputata contritio.

Ad sumendum Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum requiritur confessio quando est copia Confessarij: Quando autem sine confessione sumi possit dictum est vbi de Sanctissimo Eucharistiae Sacramento egimus. Haec autem summatim tantum dicuntur, nam fuse egi de ijs, quae requiruntur ad sumptionem Sacramentorum in genere in Tractatu de Sacramentis capite primo; & in particulari in reliquis alijs partibus septem de praeparatione, quae requiritur ad sumendum quolibet Sacramentnm.

3. Quaeritur quae praeparatio requiratur ad ministranda sacramenta?

Respondetur quod requiritur vt minister sit in gratia Dei. Potest autem esse in gratia post peccatum mortale per contritionem; & sic praerequiritur contritio in eo, qui mortaliter peccauit: non est tamen necessaria confessio, nec sufficit attritio sola existimata cōtritio, quia talis sine susceptione sacramenti non ponit hominem in gratia. Est autem haec differentia inter sumentem & ministrantem sacramenta quod sumens sacramentum si est attritus fit contritus, non autem ministrans; sed de hoc plura in tractatu de sacramentis.

CAPVT VLTIMVM

De Ieiunio.

HOc caput diuidetur in tria particularia membra, in quorum primo dicā de pręcepto, seu de necessitate ieiunij: in secundo de ijs, quæ ad ieiunium Ecclesiasticum requiruntur, & in tertio dicam de personis, quæ obligantur ad dictum ieiunium.

MEMBRVM PRIMVM.

De necessitate, seu præcepto Ieiunij Ecclesiastici.

1 *Ieiunium quotuplex.*
2 *Quare institutum ieiunium Ecclesiasticum, seu morale.*
3 *Ieiunium an sit de præcepto Ecclesiastico, an diuino, an naturali.*
4 *Ieiunium quomodo obseruandum.*
5 *Quibus diebus præceptum ieiunandi obliget.*
6 *An Ecclesia congruenter instituerit modum ieiunandi.*
7 *Qua hora incipiat tempus ieiunandi.*

IN hoc membro primo, quæritur quotuplex sit ieiunium?

Res. quod prout potui ex Doctoribus colligere quatruplex est ieiunium; nam primo aliud est ieiunium, quod dicitur spirituale, quo ieiunant illi, qui abstinēt à vitijs, & peccatis; secundo aliud est ieiunium, quod dicitur morale, quo illi ieiunant, qui abstinent ab immoderato cibo, & potu sobrie viuentes; tertio, aliud est ieiunium, quod dicitur naturale, secundum quod illi dicuntur ieiuni, qui à media nocte nullum sumpserunt cibum, aut potum; & hoc est illud, quod necessario requiritur ad sanctissimam Eucharistiam sumendam eo modo quo fusissime dixi in tractatu de Sacramentis, Parte Quarta, vbi de Sanctissima Eucharist. quarto; aliud est ieiunium, quod dicitur Ecclesiasticum, de quo tātum hoc capite à nobis agetur.

2. Quæritur, quare assumatur ieiunium, quod dicitur Ecclesiasticum, seu etiam morale?

Ad hoc respondet, D. Thom. secunda secundæ, q. 147. art. 1. quod ieiunium assumitur propter tres causas, quarum.

Prima est, ad refrenandum, & cohibendum carnis concupiscentiam; vnde dicitur, vt etiam refert D. Hieronymus libro secundo; contra Iouinianum, quod sine Cerere, & Baccho friget venus idest per abstinentiam cibi, & potus carnis pestifera concupiscentia valdè tepescit.

Secunda Caussa est, vt liberius homo possit mentem suam eleuare ad Diuina contemplanda, vnde dicitur Dan. 10. quod post ieiunium trium hebdomadarum reuelationem à Deo accepit.

Tertia Caussa quare assumatur ieiunium est satisfactio pro peccatis, vnde dicitur Ioel. 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio, Fletu, & Planctu.

Tria enim sunt opera, quæ præcipuè numerantur inter satisfactoria, idest ieiunium, oratio, & eleemosina, ad quæ cętera omnia reducuntur, vt dixi in tract. de Sacramentis, parte quinta, vbi de pœnitentia.

3. Quæritur, vtrum ieiunium sit de præcepto naturali, an diuino, an Ecclesiastico?

Hoc quæsitum tractat. D. Thom. 2. 2. quæst. 147. art. 3. & iuxta cuius doctrinam dico primo, quod ieiunium in communi est de præcepto naturali, nam lumen naturale nos docet, vt abstineamus ab illis cibis, qui nos inducunt ad concupiscentiam carnalem, & qui impediunt eleuationem mentis ad superna, vnde Nauar. in Man. cap. 21. num. 11. optimè

ne dicit quod ille peccat mortaliter qui non abstinet ab illo cibo, quem si manducat probabiliter credit quod inducet eum ad peccādum mortaliter licet non peccaret si crederet quod superaret tentationem illam, quę ex tali cibo oriretur quod experientia cognoscere posset.

Dico secundo, quod ieiunium quantum ad determinationem temporis, & quantum ad modum ieiunandi, qui est in populo Christiano est de præcepto Ecclesiastico tantum, vnde quod hoc die, & non altero die ieiunemus non præcepit Deus, aut natura, sed Ecclesia vnde ait Nau. c. cit. num. 4. quod omnes dies, in quibus ieiunamus secundum consuetudinem populi Christiani quantum ad ieiunium sunt introducti de iure Ecclesiastico, & nulli de iure diuino; neq; dies Quadragesimæ licet Quadragesimæ ieiunium cætera ieiunia antiquitate, & præfiguratione admodum antecedat, itaut aliqui DD. existimant ieiunium Quadragesimæ esse de iure diuino.

Et quantum ad modum ieiunandi etiam ieiunium nunc est de iure Ecclesiastico quantum ad ieiunia, quæ nunc obseruantur; nam in tota sacra scriptura non reperitur quod ad ieiunium requiratur abstinentia ab aliquibus cibis, vnica tantum refectio, & cætera.

Quod si dicas in corpore totius iuris Ecclesiastici non reperitur præceptum de ieiunio, ergo ieiunium non est e precepto Ecclesiastico.

Ad hoc Resp. Nau. c. cit. num. vndecimo, quod ieiunium dicitur esse de iure ecclesiastico, quia ex consuetudine populi Christiani, qui in talibus diebus, e quibus in sequenti quæsito, & tali modo consueuit ieiunare introductum il præceptum de ieiunio in Ecclesiam, lem dicit Caet. in summ. verb. ieiunum.

4. Quæritur, quinam sint dies, in quibus de præcepto Ecclesiæ est ieiunandum?

Ad hoc Resp. Caet. in summ. ver. ieiunium quod hi magis noti sunt ex consuetudine populi Christiani, quam ex aliquo Ecclesiæ statuto, ex qua consuetudine patet, primo quod ieiunādū est in Quadragesima tota præterquam in diebus dominicis.

2. Quod ieiunandum est in quarta, sexta feria, & Sabbatho in quatuor anni temporibus.

3. Quod ieiunādum est in Vigilia Nat. Domini, & Pent. & in Vigilia Assumptionis B V.

4. Quod ieiunandum est in Vigil. omnium Apostolorum præterquam in Vigilia SS. Iacobi, & Phil. quia cadit inter vtrumque Pascha; & in Vigilia S. Io. Euang. quia cadit in diem S. Stephani.

5. Quod ieiunandum est in Vigilia diei omnium SS. Nat. S. Io. Baptistæ, & S. Laurentij.

Atq; in Mediol. Ecclesia etiam ieiunandum est in triduo litaniarum minorum, & in vnoquoque oppido ieiunan. est in illis diebus, in quibus incolæ illius oppidi ieiunare consueuerunt sicuti supra diximus in primo capite de obseruatione dierum festorum quod vnusquisque tenetur obseruare illos dies festos, qui ex consuetudine obseruantur in ea patria, in qua reperitur.

5. Quæritur, an Ecclesia conuenienter instituerit, quod in suprascriptis diebus sit ieiunan?

Ad hoc resp. D. Thom. secunda secundæ, quęst. 147. art. 5. affirmatiuè, & affert multas rationes; & primo quantum ad Quadragesimam ex D. Greg. hom. 16. tom. 5. Hę afferuntur rationes.

Prima corpus nostrum componitur ex quatuor elementis, propter quæ inclinamur ad faciendū cōtra decem Decalogi præcepta, componitur enim ex terra, quæ nos inclinat ad auaritiam, & cupiditatem rerum terrenarum propter quam cupiditatem facimus contra dicta præcepta.

Ex aere propter quem inclinamur ad ambitionem, & superbiam facientes contra dicta præcepta; ex aqua, propter quam inclinamur ad inconstantiam faciētes cōtra dicta pręcepta; & ex igne propter quem inclinamur ad ardorem concupiscētiæ carnalis delinquētes cōtra

L 2

era dicta præcepta Decalogi.

Et propterea ieiunare debemus per Quadraginta dies quia quaternarius numerus ductus in denarium constituit numerum quadragenarium.

Secunda ratio est quia sicut de alijs rebus debemus dare Deo decimas, ita & de tempore debemus Deo dare Decimam, & ideo ieiunamus per triginta sex dies, nam à prima Dominica Quadragesimæ vsque ad diem Paschæ sunt triginta sex dies, exceptis ipsis Dominicis in quibus non ieiunamus; decies autem triginta sex faciunt 360. quibus si addantur sex, qui est numerus Dominicarum Quadragesimæ constituuntur tot dies, quot sunt in vno anno.

Tertia Ratio est quia offendimus Deum faciendo contra decem præcepta Decalogi quæ virtute continentur in quatuor Euangelistis, quaternarius autē numerus vt dixi duct⁹ in denarium facit quadragenarium.

Ponitur autem quadragesima vt dicit D.Th.l.cit. immediate ante pascha quia vt dictum est in quæsito secundo, ieiunium assumitur vt animus noster diuina liberius contemplari possit, & in tempore Paschatis debemus contemplari vitam ęternam, quam Christus tunc inchoauit.

De ieiunio quatuor temporum dicit D.Th.l.cit. quod conuenienter institutū est, quia consueuit Ecclesia in quatuor anni temporibus conferre ordines, & instituere ministros Ecclesię ad spiritualia; & institutum fuit vt ieiunaretur in quatuor anni temporibus, in quibus conferuntur dicti ordines triduo, quia in singulis anni quartis sunt tres menses; dies autem, in quibus ieiunatur in dictis quartis anni notantur in his quatuor vocabulis diminutis Post Pen. Cru. Lu Ci. idest in tempore æstiuo quarta & sexta feria, & Sabbatho post Pentecostem, in tempore authumnali in dictis ferijs & Sabbatho post exaltationem S. Crucis in tempore hyemali in dictis ferijs & Sabbatho post festum Sanctæ Luciæ. In tempore vernali in dictis ferijs, & Sabbatho post Cineres.

Quantum ad vigilias sanctorum in illis institutum est ieiunium quia in diebus eorum liberius debemus contemplari eorum gloriam, vt dicit D.T.ar.cit. Et additur quod conueniens est in illis ieiunare vt cognoscamus quod sicut Sancti per tribulationes & castigationem, corporis meruerunt vitam æternam, ita & nos debemus corpus castigare ieiunijs vt eandem mereamur.

6. Quæritur qua hora incipiat tempus ieiunij?

Respondetur cum Nau. in Man. ca.21. num.11. quod à media nocte vbique & durat vsque ad mediam noctem, atque hæc de hoc membro satis.

MEMBRVM SECVNDVM.

De ijs, quæ requiruntur ad ieiunium Ecclesiasticum.

1. *Quænam sint necessaria ad ieiunium Ecclesiasticū, quantū ad qualitatē ciborū.*
2. *Hora comestioni apta pro obseruatione ieiunij.*
3. *Vnica comestio necessaria ad ieiunium.*
4. *Potus an frangat ieiunium.*
5. *An possit sumi aliquid per modum medicinæ, absque periculo quod frangatur ieiunium.*

1 IN hoc membro quæritur quænam sint necessaria ad ieiunium Ecclesiasticum?

Ad hoc respondet bene Caet. in s. v. ieiunium & alij DD. quod ad ieiunium Ecclesiasticum tria necessario requiritur, idest qualitas ciborum, vnica comestio, seu refectio, & hora competens, de quibus est ordine hic differendum.

Et primo quantum ad qualitatem ciborum sciendū est quod ad ieiunium requiritur abstinentia à carnibus extra quadragesimam, & in Quadragesima requiritur etiam abstinentia à laticinijs, & ab ouis, in hoc enim distinguitur ieiunium in Quadragesima ab illo quod est extra Quadragesimam, quod in ieiunio Quadragesimæ saltem in nostris partibus requiritur abstinentia à carnibus & lacticinijs; in alijs vero sufficit abstinentia à carnibus.

Et dixi in nostris partibus, quia si in iqua regione in quadragesima populus hristianus consueuit comedere butyrũ, : caseū, vel oua, in illis ad ieiunandũ, nõ t necessaria abstinentia à lacticinijs ostquã Episcopus illius loci animaduertit talem morem, & non reprahenit. Similiter si in aliqua regione in ieinio extra Quadragesimã populus conteuit abstinere à lacticinijs, in illa ad ie inium etiam extra Quadragesimam est ecessaria abstinentia à lacticinijs propter consuetudinem populi Christiani, ui in illa est.

Quod si dicas lardus, sanguis, & intestina animalium sunt ne computanda inter carnes; an vero inter lacticinia?

Respondeo quod quantum ad ieiuniũ st animaduertendus mos vniuscuiusque regionis populi Christiani; nam vbi opulus in ieiunio consueuit comedere alia, vel aliquid eorum: illa, vel illud computãdum est inter lacticinia, & vbi non consueuit, computandum est intra carnes.

De testudinibus autem, & chochleis licẽdum est cum communi DD. opinione talia non esse computanda inter carnes, neque inter lacticinia; & propter ea quod talibus possumus vesci in tempore eiunij; Ita Nauarus in manuali cap. 21. & alij Doctores quamplures.

2. Secũdò, quoniam ad horam comedendi tempore ieiunij dicit Caietan. in summa verb. ieiunium quod hora comedendi in ieiunio est adeo ad ieiunium necessaria, vt ab ea nomen sit sortitum, dicitur enim ieiunium quasi quod præcipuũ in ieiunio sit vt differatur inedia vsque ad horam nonam, non quidem quia post illam non possit refectio differri, quia quanto quis tardius prandet, tanto melius ieiunat, sed quia ad ieiunium requiritur ne comedatur ante horam nonam.

Quod si quæratur quando incipiat hora nona?

Respondetur cum Caet. quod circa meridiem grosso modo, & dixit grosso modo quia nihil refert, vel parum tempore æstiuo per horam ante meridiem prandere in ieiunio, quia consuetudo, quæ est maxima legum interpres, nos docet quòd personæ religiosæ in claustris, & monasterijs tempore ieiunij in æstate multum anticipant meridiem idest per horam; imo & in Quadragesima per aliquod spacium temporis; licet antiquitus tempore D. Tho. in ieiunio pranderetur tertia hora post meridiem.

3. Tertio, quoniam ad vnicam comestionem sciendum est quod ad ieiunium requiritur vnica comestio, seu refectio tantum, & hoc patet quia in Quadragesima in diebus dominicis dicimur non ieiunare quia prandemus, & cænamus; sed in alijs diebus dicimur ieiunare quia vel tantum prandemus, vel tantum cænamus.

Sed hic sunt nonnullæ dubitationes, quarum prima est de ientaculo serotino, videmur enim frangere ieiunium quia cum ad ieiunium sit necessaria vnica comestio videmur non posse ientari.

Aliqui Doctores dixerunt tempore ieiunij vesperi posse aliquẽ aliquid sumere ne potus noceat; quasi non possit quis comedere nisi in ordine ad potum.

Sed Caet. l. cit. & Nau. in man. c. 21. & alij DD. melius dicunt quod etiam sine siti tempore ieiunij, hora vespertina licitum est aliquod paruum pro ientaculo sumere quia parum pro nihilo reputatur; & quia consuetudo personarum timoratæ conscientiæ hoc idem probat; nec refert an id, quod sumitur sit aliquis fructus, an frustum panis, quia nõ ad qualitatem cibi, modo non sit ex prohibitis, sed ad quantitatem est attẽdendum, non enim minus frangeret ieiunium, qui multos fructus comederet pro ientaculo, quam ille, qui quinque vel sex vncias panis comederet. quæ autem quantitas sit licita pro ientaculo spectandum est ex consuetudine personarum timoratæ conscientiæ, certum est quod debet esse parua.

Sed dices posset ne aliquis sumere ientaculum quod sumitur hora vespertina tempore prandij, & postea cænare tempore ientaculi?

Nauarus, & Caiet. l. cit. & Ar. verbo ieiunium negant, quia hoc non est consuetum apud personas timoratæ conscientiæ;

tiæ;

tiæ; nisi idfieret de licentia Episcopi propter legitimam causam ſ uta propter vrgens aliquod negocium.

Secundo, Dices de credentia an videlicet frangat ieiunium, ille qui facit credentiam, videtur enim quod ſic quia nō prandet tunc quando facit credentiam, & ſic videtur multoties comedere.

Ad hoc reſpondent dicti DD. quod facere credentiam non eſt frangere ieiunium, quia qui facit credentiam nihil ſumit per modum cibi, ſed per modum credentiæ.

Simili modo non frangit ieiunium illa perſona, quę prægustat ius, ſeu cibum vt cognoſcat quomodo ſit conditum; imo ait Nau. & Caet. lo. cit. & omnes alij, quod non frangit ieiunium Quadrageſimæ illa perſona, quæ tempore Quadrageſimæ prægustat ius carnium, vt cognoſcat tantum an ſit bene conditum, nec frangeret Quadrageſimam ille, qui faceret credentiam tempore Quadrag. ſi comederet carnium aliquantulum ad exercendum ſuum officium.

3. Dubitatio, an ſi aliquis cœpiſſet prandere, ſed propter aliquam inſtantē neceſſitatem non potuiſſet perficere prandium, poſſet licitè poſtea iterum comedere?

Ad hoc reſpondēt Nau. in Man. c. 21. Caet. & Ar. in ſum. v. ieiunium, quod talis poſſit licitè finire prandium, etiamſi per longum tempus poſtquam diſceſſit à menſa fuerit occupatus, quia licet dicatur prandium dimidiatum, nō tamen eſt dimidiatum per ſe, ſed per accidens propter neceſſitatem instantem, ſecus enim eſſet ſi quis in fraudem ieiunij prandium dimidiaret.

4. Dubit. eſt an potus frangat ieiunium? i. an ille, qui ſępe potum ſumit ieiunet, & maxime ſi potum ante prandium ſumat.

Ad hoc reſpon. Nauarr. Caiet. Arm. loc. cit. & D. Thom. ſecunda ſecundæ, quæſt. 147. quod potus numquam frangit ieiunium Eccleſiaſticum; & rationem affert vnam Caiet. & eſt quia ieiunium non ſonat priuationem potus, ſed cibi; dicitur enim ieiunium quaſi inedia vſque ad nonam; aliam rationem affert D. Thom. loc. cit. quam vos ibi videte; & ita tenen. eſt licet, vt dicit D. Thom. & experientia docet vinum nutriat, & ad concupiſcentiam alliciat.

5. Dubit. an per modum medicinæ poſſit aliquid ſumi abſq; periculo, quod frangatur ieiunium?

Ad hoc reſpondent dicti DD. loco cit. & alij quod id, quod ſumitur per modum medicinæ nunquam frangit ieiunium Eccleſiaſticum modo id non fiat in fraudem ieiunij.

Similiter dicen. eſſet quod ſi aliquis tempore Quadrageſimæ per modum medicinæ ſumeret lac, vel butyrum ſummo mane, vel alia hora non frangeret Quadrag. cum id, quod ſumitur per modum medicinæ non dicatur ſumi per modum cibi; talis autem ſumptio, ſicut & potus frangeret ieiunium naturale, quod eſt neceſſarium ad SS. Euchar. ſumen. ſed hic ſermo eſt ſolum de ieiunio Eccleſiaſtico, atque hæc de ſecundo membro ſatis.

MEMBRVM VLTIMVM.

De perſonis quæ tenentur ad ieiunium.

1 *Quænam perſonæ teneantur ieiunare diebus, quibus ieiunium præcipitur ab Eccleſia.*

2 *Senes quomodo excuſentur à ieiunio.*

3 *Mulieres prægnantes, & lactantes excuſantur à ieiunio propter impotentiam.*

4 *Infirmi, & debiles quomodo excuſati à ieiunio.*

5 *Pauperes an teneantur legibus ieiunij.*

6 *Ex neceſſitate quales perſonæ excuſentur à ieiunio.*

7 *Ex pietate melioris boni qui non teneantur ieiunare.*

8 *Peregrinantes, an poſſint licitè non ieiunare.*

9 *Ex quali cauſa putatiua, ſeu extimata*

mata possit quis omittere ieiunium.

3 *Ex causa authorizata quandonam quis possit excusari à ieiunio.*

1 *Quinam sit superior in proposito.*

2 *Qui frangit ieiunium semel, an teneatur illud obseruare vsque ad finem diei.*

3 *An comedens carnes, aut lacticinia in Quadragesima semel, aut frangens ieiunium semel, censeatur frangere totam Quadragesimam.*

4 *An Episcopus possit transferre ieiunium vnius diei in alium.*

5 *Obligatus ieiunare die Sabbati, an debeat etiam ieiunare, si dies Natalis Domini cadat in talem diem.*

IN hoc membro quæritur quinam teneantur ieiunare in diebus quibus ieiunium præcipitur ab Ecclesia?

Respondeo quod omnes Christiani, nisi intercedat rationabilis caussa, quæ aliquos excuset ab hoc precepto ieiunij: nam præceptum de ieiunio est generale, & omnes fideles complectitur, qui non excusantur legitima causa.

Legitima autem caussa non ieiunandi vt dicunt Nau. Caet. & Arm. lo. cit. est vel vera, vel æstimata, vel authorizata; Vera vt infirmitas euidens; Æstimata, vt quando aliquis timoratæ conscientiæ existimat quod habeat causam legitimam non ieiunandi propter capitis dolorem, vel debilitatem, quam credit prouenire ex ieiunio, vel debere augeri ex eo, & cœtera. Causa authorizata est cum quis dubitat an habeat legitimam caussam non ieiunandi, & dubium refert Prælato, vel curato, & ipse dispensat; tunc enim caussa, quæ erat dubio fit rationabilis propter dispensationem.

Omnes autem dictę caussæ rationabiles à DD. reducuntur ad tria capita, idest vel ad impotentiam, vel ad necessitatem, vel ad pietatem melioris operis.

Ratione enim impotentiæ excusantur à ieiunio, primo pueri, & adolescentes vsque ad finem tertij septennij, & ratio huius, quam affert D. Thom. loco cit. est quia homo communiter augetur vsque ad dictum tempus, & vt fiat augmentum requiritur, vt multoties cibus sumatur.

Secundo excusantur senes, quia vt dicit Caet. in sum. loc. cit. senectus est morbus incurabilis.

Sed diffic. est in qua ætate vir dicatur senex?

Et ad hoc respondet Idem Caet. quod non potest dari certa regula quia aliqui senescunt 40. alij 50. & alij 60. ætatis anno prout maioris, vel minoris roboris sunt: communiter tamen senectus incipit 60. ætatis anno iuxta illud ps. dies annorum nostrorum sexaginta anni, & amplius labor, & dolor. Nauar. in Man. cap. 21. num. 16. dicit quod ipse agens octuagesimum annum perinde potuit ieiunare ac quando ageret 60. & quinquagesimum annum.

Atque ex dictis infertur quod senectus, quæ excusat à ieiunio, est spectanda potius ex complexione vniuscuisque, & robore virium, quam ex numero annorum, quæ tamen communiter incipit anno 60.

3. A' ieiunio propter impotentiam excusantur mulieres prægnantes, & lactantes, quia si à ieiunio excusantur pueri eo quod crescant, ita & à ieiunio excusabuntur dictæ mulieres propter fœtum, seu prolem, quę crescit, & propterea eget alimento; imo inquit Nauar. loc. cit. quod dictæ mulieres peccarent si ieiunarent cum detrimento prolis; secus tamen esset si essent ita robustæ, vt propter ieiunium earum periculum non immineret proli.

4. A' ieiunio excusantur infirmi, & debiles quando infirmitas, vel debilitas est manifesta, & si non est manifesta quando medicus iubet, vt ieiunium prætermittatur: si tamen medicus est vir timoratæ conscientię.

5. Et vltimo excusantur pauperes, qui ostiatim quærunt panem quando nō possunt habere hora prandij tantum

cibum

cibum, quantum sufficit.

Ex necessitate excusantur à ieiunio ill li, qui debent exercere aliquod opus necessarium ad salutem animæ, vel corporis, vel ad tuendum bona fortunæ, vel ad acquirēdum lucrum transitorium, vel ad exercendum opus suum solitum, quod non potest exerceri cum ieiunio.

Dixi ad salutem animæ, vt si aliquis non posset simul alienum restituere eundo ad dominum rei cum re, quæ est restituenda si ieiunet, tenetur ieiuniū omittere.

Dixi ad salutem corporis, vt si quis non potest acquirere victum pro se, filijs, & vxore laborando, & ieiunando tenetur ieiunium potius relinquere quā laborem.

Dixi ad tuendum bona fortunæ, vt si aliquis litigaret, & non posset solicitare Procuratores, iudices, & aduocatos, & simul ieiunare.

Dixi ad acquirenddm lucrum transitorii vt supra dixi de die festo de aletijs, si enim exercetur quis ab obseruatione diei festi propter lucrum transitorium, ita & à ieiunio quando non potest simul ieiunare, & acquirere lucrum transitorium.

Dixi ad exercendum suum solitum officium, quia excusantur à ieiunio secundum DD. Fabri Ferrarij, carpētarij, agricolæ, & alij opifices, qui artes exercent laboriosas, quas ieiunantes exercere nō possunt.

Concionator etiam si non potest simul concionari, & ieiunare secundum dd. tenetur potius omittere ieiunium, quam concionem; & confessarius, si non potest confessiones audire, & ieiunare, potest potius ieiunium omittere, similiter & lectores, si non possunt vtrumque facere, vt dicit Caet. & Nau. loco cit. itē dicunt dicti doctores, & bene quod vir non tenetur ieiunare quando propter ieiunium vxori non potest reddere debitum.

7. Ex pietate melioris boni excusantur à ieiunio omnes illi, qui vel debent, vel solent, vel volunt exercere aliquod opus magis bonum quam sit ieiunium, quod non possit ieiunando exercere; & ratio est, quam affert Caet. l. cit. quia cū ieiunium assumatur vt promotiuum ad bonum non debet esse impedimentum melioris boni. Atque hinc est quod cum opera misericordiæ tam corporalia, quam spiritualia, sint meliora, quam sit ieiunium ipsum, qui non potest ieiunando ea exercere debet potius ieiuniū, quam illa omittere. Quod autem opera misericordiæ sint meliora, quā ieiunium probatur ex Caet. l. cit. quia opera misericordiæ proueniunt à misericordia, ieiunium vero est actus abstinentiæ, sed virtus misericordiæ est nobilior, quā abstinentia, ergo opera misericordiæ erunt nobiliora, quam opera abstinentiæ. deinde probatur etiam quia ieiunium pertinet ad castigationē corporis, sed opera misericordiæ pertinent ad pietatem, sed quæ pertinent ad pietatem sunt meliora, quam ea, quæ pertinent ad castigationem corporis, vnde inquit. D. Paulus quod corporalis exercitatio ad modicum vtilis est pietas ad omniam autem valet.

Ex ijs sequitur quod si quis solet ostiatim panem quærere pro pauperibus, & hoc non potest facere ieiunando, licitē potest ieiunium omittere; vt faciunt, qui pro religiosis panem quærunt, tales enim si ieiunare non possunt, & panem quærere, potius debent ieiunium omittere, quam opus misericordiæ quærendo panem.

Idem dicendum est de illis, qui incumbunt sepulturæ mortuorum tempore pestis; vel redemptioni captiuorum, aut liberationi carceratorum & huiusmodi. melius tamen esset vtrumq; facere idest ieiunare, & opera misericordie exercere si fieri potest. imo si quis potest vtrumque non excusatur à peccato trasgressionis ieiunij ex eo, quod exerceat opera misericordiæ.

8. Sed hic est difficultas apud DD. de peregrinatione vtrū si quis vellet volūtariè peregrinari, & non posset peregrinari, & ieiunare, licite posset omittere ieiunium?

Caet. & bene l. cit. Nau. l. cit. dicunt quod non, quia peregrinatio non est melius bonum, quam ieiunium, nam peregrina

peregrinatio est opus, quod pertinet ad exercitationem corporis, sicut & ieiunium; imo ieiunium est melius bonum quam peregrinatio, quia est actus virtutis, quæ est abstinentia, vel temperantia; peregrinatio vero non est actus alicuius virtutis elicitus, sed tantum imperatur aliquãdo à religione quæ assumit ipsam peregrinationem ad loca sacra, ad cultum Dei.

Atq; hinc sequitur quod si quis voluntariè esset itutus Lauretum in Quadragesima vt viseret imaginem B. V. M. & non ieiunaret non bene faceret, nam melius esset domi manere, & ieiunare. excipiuntur tamen duo casus.

Primus est quando aliqua persona publica, & maximæ auctorit. vellet peregrinari, & ex eius peregrinatione magna oriretur deuotio in populo, & magna ædificatio; & talis persona non posset peregrinari, & ieiunare; vt si S. P. qui domi quiescens posset ieiunare posset visere septem Ecclesias pedes, sed non posset id facere ieiunando, posset licitè omittere ieiunium, & ratio huius est quia visere septem Ecclesias si fiat à S. P. pedite melius bonum est, quam ieiunium propter ædificationem populi.

Alter casus est quando aliquis cognoscit quod ex peregrinatione maiorem deuotionem in se mouet, & maiorem fructum spiritualem acquirit, quam ex ieiunio: talis enim si non posset vtrumque facere licitè posset ieiunium omittere, quia peregrinatio in ipso est melius bonum, quam ieiunium.

9 De causa putatiua, seu æstimata dixi supra ex Caiet. quod si vir timoratæ conscientiæ habet causam excusantem à ieiunio, quam æstimat rationabilem non peccat si non ieiunat, vt propter dolorem capitis, propter debilitatem, circa quod id nunc tantum aduertendum est quod cum tria requirantur ad ieiunium Ecclesiasticum, vt dixi in membro antecedenti, persona timoratæ cõscientię, quæ habet causam, quam putat rationabilem omittendi vnum ex tribus dictis non debet alia duo omittere, tenetur enim vnusquisq; seruare præceptum Ecclesiæ si non in totum saltem in quantum potest.

10 De causa authorizata notandum est quod si aliqua persona habet causam quam dubitat, an sit sufficiens ad omittẽdum ieiunium, optimum refugium est, vt ad superiorem Ecclesiasticum recurrat, & referat sincere statum causæ, & superior si animaduertit causam esse rationabilem debet dispensare, si vero & ipse dubitat an sit rationabilis debet dispensare etiam ad quietem conscientiæ illius personæ, sed etiam iniungere aliquod pium opus loco ieiunii.

11 Quod si dicas quinam est superior in proposito?

Respondetur cum Caiet. & Nau. loco cit. quod est Episcopus, & in casu, in quo non est facilis aditus ad Episcopum est curatus, & probat Caiet. quia in re, quæ non est maximi momenti, non est opus ad Papam recurrere; deinde quia nõ esset satis prouisum occurrentibus necessitatibus in simili materia, nisi & Episcopus, vel curatus possent circa hoc dispensare.

Sed notãdum hic est, quod ille, qui est dispensatus in vno ex his, quæ requiruntur ad ieiunium nõ cẽsetur dispensatus in alijs duobus, vt si propter debilitatẽ tuã dispẽsauit Episcopus, vel parochus, vt anticipares horam prãdij in Quadragesima non ideo potes comedere lacticinia, & si dispensauit in lacticinijs, non tamen ideo potes anticipare horam tertiã. Ita Nau. & bene in Man. c. 21. quia vt supradixi teneris seruare ieiunium in quantum potes.

12 Secunda dubitatio est an ille, qui frangit ieiunium semel teneatur seruare ieiunium vsque ad finem diei?

Ad hoc dico primo cum communi DD. opinione quod ille, qui ignorantia probabili nesciens esse diem ieiunij frãgit ieiunium cessante tali ignorantia de cœtero tenetur seruare ieiunium, ita ac si nihil comedisset; quæ autem sit ignorantia probabilis dicetur infra parte sequenti.

Dico secundo, quod si ille, qui frangit ieiunium cognoscit esse diem ieiunij non tenetur sub pœna noui peccati mortalis [de] cœtero ieiunare in illa die,

itaut possit sine nouo peccato cœnare; ita omnes Doctores, Max. Nau. & Caet. loc. cit.

Dico tertio, quod id, quod dictum est nunc in dicto antecedenti non valet quātum ad esum lacticiniorum in Quadragesima, & carnium extra Quadragesimam, quia toties quis peccat, mort. quoties sine causa legitima, vel dispensatione comedit lacticinia in Quadragesima, vel carnes in diebus ieiunii extra Quadragesimam.

Tertia dubitatio est an ille, qui frangit ieiunium in vna die Quadragesimę, frangat totam Quadrages. & qui comedit carnes, & lacticinia in vna die frangat totam Quadrag., itaut non teneatur in alijs diebus ieiunare, vel possit sine nouo peccato comedere lacticinia.

Respondetur quod non frangit totam Quadragesimam, sed tenetur in alijs diebus ieiunare sub pœna peccat. mort. & à lacticinijs, & carnibus abstinere.

Quarta dubitat. an Episcopus possit transferre ieiunium vnius diei in alium?

Respond. cum supradictis DD. quod potest vt si festum Patroni cadat in Vigiliam alicuius Sancti, poterit Vigilia illius ab Episcopo transferri in antecedentem diem, vt si Vigilia S. Ioannis Baptistæ cadit in diem solemnitatis Corporis Christi transfertur Vigilia in ipsa in diem Mercurij.

Vltima dubitatio, vtrum ille, qui vouit ieiunare, vel per constitutionem regulæ tenetur ieiunare in die veneris, vel Sabbathi debeat ieiunare in die N. D. si cadat in eam diem, & num possit comedere carnes?

Respond. quod tenetur, vt dicunt Nau. & Caet. loc. cit. quia Ecclesia si dispensat, vt comedamus carnes in die Nat. Domini, quando cadit in diem Veneris, vel Sabbathi, tantum dispensat in suo præcepto generali, & non speciali alicuius regulę cuiusque regionis, vel voti particularis alicuius personæ; atque hæc de Ieiunio dicta sufficiant, ad laudem, & honorem S. Nicolai Episcopi, & Confessoris.

Finis Quartæ Partis, tertio Decalogi præcepto.

PARS

PARS QVINTA.

De Quarto Decalogi præcepto.

Honora Patrem tuum &c.

QVoniam, vt habetur in Concilio Colonienſi circa quartum Decalogi præceptum, & vt refert Nauarrus in Man. c. 14. num. 3. in quarto Decalogi præcepto nomine parentum non tantum intelligendi ſunt Pater, & Mater, qui nos genuerunt, ſed & cōſanguinei, affines, & patria, ideſt conciues, ſiut conterranei, & ſecundario ſuperiores tam Eccleſiaſtici, quàm ſæculares, & illi qui noſtri curam gerunt ideſt tutores, curatores, & magiſtri, qui parentes dicuntur quia nos gubernant, vel inſtruunt, & demum nomine Parentum intelligendi ſunt omnes homines, ideſt proximus ipſe: cum enim omnes ab vno Adam originem trahamus, affines, & conſanguinei ſumus, licet alijs in proximiori, & alijs in remotiori gradu: & ideo hæc pars diuidetur in ſex capita; in quorum primo dicā de ipſo quarto Decalogi præcepto in cōmuni; in ſecundo de peccatis filiorum contra parentes contra quartum Decalogi præceptum; in tertio è contra de peccatis parentum contra filios contra idem præceptum; in quarto de peccatis coniugum inter ſe contra idem præceptum; in quinto, de peccatis ſeruorum contra dominos, & dominorum contra ſeruos; atque & ſuperiorum contra ſubditos, & è contra, circa idem præceptum quartum; & demum in vltimo capite dicam de peccatis proximi circa proximum contra idem.

CAPVT PRIMVM.

De quarto Decalogi precepto.

1 *Quænam virtutes versentur circa materiam huius præcepti.*
2 *Præceptum de diligendo proximo an contineatur in hoc quarto Decalogi præcepto.*
3 *Quando teneamur diligere proximum ex charitate.*

QVæritur in hoc capite quænam sint virtutes, quæ versantur circa materiam huius præcepti.

Pro responsione notandum est, ex Nauarr. in Man. c. 14. nu. 3. vt colligitur etiã ex D. Thom. 2. 2. q. 101. ar. 1. & 122. ar. 5 quod sicut inter alias virtutes iustitiæ annexas est vna, quę dicitur religio, quę nos inclinat ad colendum honorandumque Deum prout est nostrum principale principium, per quod sumus, & in quo viuimus, & mouemur, quæ versatur circa materiam primi, secundi, & tertij præcepti decalogi, & de qua satis fuse egimus supra circa primum præceptum; ita & est alia virtus eidem iustitię annexa, quæ dicitur pietas, & quæ, vt ait Cic. l. secundo de inuentione; & D. Thom. secunda secundę, quæst. 101. art. primo, nos inclinat ad colendos, honorandosque parentes prout sunt principia quædam secundaria, per quæ existimus, viuimus, ac gubernamur: & patriam ipsam, seu conciues, & conterraneos, item affines, ac consanguineos. Deinde præter religionem, & pietatem est & alia virtus, quæ dicitur obseruantia, quæ secundum Cic. l. 2. de inuentione, vt refert D. Thom. secunda secundæ, quæst. 102. art. primo, nos inclinat ad exhibendam reuerentiam superioribus nostris, qui sunt in dignitate constituti, & qui nos gubernant, ita vt parentes dicantur quia ab ipsis trahitur principium gubernationis nostræ; atque his virtutibus additur, & obedientia, quæ nos inclinat ad obediendum præceptis parentum, & superiorum nostrorum; itẽ & humanitas, & gratitudo, quibus & potest addi misericordia quæ omnes virtutes versantur circa materiam quarti huius præcepti Decalogi.

Et notandum est primo, quantum ad misericordiam licet, vt bene dicit Aug. l. 10. de ciuit. Dei c. 1. nonnumquam sumatur pro pietate, sicut & pietas sæpe sumitur pro misericordia, multum tamen inter se differunt misericordia, & pietas nam pietas est annexa iustitiæ, misericordia vero charitati, item pietas inclinat nos ad honorandum parentes, misericordia vero proprie ad subueniendum existentibus in necessitate.

Secundo Notandum est, vt etiam notat Nau. l. cit. c. 14. quod licet pietas principaliter nos inclinet ad honorandum, edendumque parentes, consanguineos, affines, patriam, seu conciues, aut côterraneos; secundario tamẽ etiam inclinat parentes ad colendum filios, vxorem ad colendum maritum, & ẽ côtra; superiores item ad colendũ subditos, & propterea propositum fuit in hac parte etiam agere de honore parentum erga filios, coniugis erga coniugem; superiorum erga subditos, vt proposui 3. 4. & 5. c.

Atque ex dictis infertur primo quod peccata, quæ pręcipuè sunt contra quartum Decalogi pręceptum sunt impietas contra pietatẽ; inobseruantia seu irreuerentia contra obseruãtiã; ingratitudo contra gratitudinem; inhumanitas contra humanitatem, & crudelitas contra misericordiam.

Secundo infertur quod vt etiam dicit D. Aug. l. 10. de ciuit. Dei c. 1. licet pietas aliquando sumatur pro religione, & obseruantia pro pietate, tamen inter se proprie differũt religio, pietas, & obseruantia, religione .n. Deum colimus; pietate parentes, cognatos, & conciues; & obseruantia superiores alios tam Ecclesiasticos, quàm sæculares, quare sicut pietas antecellit obseruantiam, ita religio antecellit pietatem.

2 Secundo quæritur, an præceptum de diligendo proximo contineatur in hoc quarto Decalogi præcepto?

Ad hoc respõdeo, vt dixi supra in secunda parte huius tractatus quod præceptum de charitate, seu de diligẽdo proximum

num, quod est illud Diliges proximũ [tu]um &c. non continetur formaliter in [qu]arto, seu alio Decalogi præcepto, sed [p]ræsuponitur omnibus præceptis Decalogi, quæ sunt secundæ tabulæ tamquam [pr]incipium, & fundamentum, ex quo ipsa originem trahunt; sicut enim, vt dixi secunda parte ex doctrina D. Tho. & [al]iorum doctorum, ex præcepto Diliges [D]ominum Deum tuum &c. quod non [c]ontinetur formaliter in Decalogo, sed [i]i præsuponitur; nascuntur, & deducuntur tria præcepta primæ tabulæ; ita ex [h]oc præcepto, Diliges proximum tuum [&]c. quod non continetur formaliter in [D]ecalogo, oriuntur, & deducuntur septem præcepta pertinentia ad proximum [q]uæ dicuntur præcepta secundæ tabulæ. Sed dicet hic aliquis Lucæ 44. dicitur. [Q]ui non odit Patrem suum, & Matrem [su]am non potest meus esse discipulus, er[g]o charitas proximi non est in præcep[t]o, quia si non tenemur amare Patrem, [a]ut Matrem, sed eos odio habere multo [m]inus alios tenebimur amare.

Respondetur quod sensus illorum ver[b]orum est idem ac eorum, quæ habentur [M]atth. 10. Qui amat Patrem, aut Matrẽ [p]lusquam me non est me dignus, itaut [v]oluerit Christus dicere Mar. 14. Quod [n]on debet quis amare Patrem, aut Ma[t]rem plusquam Deũ, & quod si Deus ali[q]uid præcipit, & Pater, aut Mater con[t]rarium præcipiant, potius obediendum [s]it ipsi Deo quam Patri, vel Matri.

Notandum hic est ad decidendos ca[s]us circa charitatem proximi quod du[p]lex esse potest amor honestus proximi; [v]t colligitur ex doctrina D.Th. 2.2 q. 23 [a].1.& 24.ar.1.& prima.2 q. 26.ar.1. in [r]esp.ad sextũ argum. idest naturalis, qui [&] dicitur humanus; & alter supernatu[r]alis, qui & dicitur charitas, seu amor di[u]inus. Rursus amor naturalis, siue huma[n]us adhuc duplex est, vt colligitur ex eo[d]em D.Th. 2 2 q. 26.ar. 4. alter concupi[s]centiæ, & alter amicitiæ, amor concupi[s]centiæ dicitur ille, quo amamus aliquẽ quia est nobis vtilis, vt quãdo quis amat seruũ quia illi bene seruit, amor amicitiæ est ille, quo quis amat aliquẽ propter se, vt communiter filii amant parentes, consanguineos, & amicos bene illis desiderantes non propter vtilitatem propriam; Amor supernaturalis, qui & dicitur charitas est ille, quo amamus proximum propter Deum.

Atque ex his infertur quod si tu amas proximum propter vtilitatem tuã, idest quia est tibi vtilis, ille amor est concupiscentiæ: si propter vtilitatem suã desiderãdo illi bona, ille amor est amicitiæ; si propter Deum, ille amor est charitas propriè: primus, & secundus amor præcipiuntur quarto Decalogi præcepto; tertius præsuponitur.

Quod si dicas quando tenebimur nos diligere proximum ex charitate.

Ad hoc respondeo secundũ communẽ DD. opinionem, quod tunc quando proximus est constitutus in extrema necessitate, & egestate auxilii nostri secundum animam suam; secundum corpus siũ seu vitam corporalem; & secundum bona fortunę: si.n. vides domũ proximi tui esse comburendã, & absque damno rerum tuarum potes impedire, teneris sub pęna peccat. mort., si vides proximũ tuum moriturum nisi illi subuenias, teneris ex charitate sub pœna peccat. mott. illi subuenire etiã cum detrimento rerum tuarũ; rursus si vides proximũ tuũ esse moriturum spiritualiter teneris sub pœna peccat. mortal. ex charitate illũ subleuare etiãm cũ iactura vitę tuæ, vt si adest paruulus non baptizatus moriturus quia est in extrema necessitate baptismi, teneris sub pœna peccat. mort. eum baptizare etiã cum iactura vitę tuæ; idest etiamsi propter hoc tu statim sis moriturus; sed de hoc fusius in c. vlt.

CAPVT II.

De peccatis filiorum contra parentes circa hoc præceptum.

1 *Odio habere parentes est peccatũ mortale.*
2 *Tenemur parentibus ostendere signa amoris, & obedire.*
3 *An possit filius ingredi in religionem inuitis parentibus.*
4 *Quanã obsequia teneatur filius præstare parentibus.*

Ex ijs, quæ supra in capite antecedenti diximus infertur primo, quod peccant illi filii, qui odio ha-

habent parentes, & illis malum desideraur; si enim odio habere alium, & illi malum desiderare est peccat. mort. multo magis erit peccat. mort. parentes, qui nos genuerunt, odisse, & illis malum desiderare; ita & infert Nauarr. in Man. c. 14. nu. 11.

Secūdo infertur, ille peccat mortaliter, qui esto quod Patrem, vel Matrē odio non habeat, vel illis malum non desideret, sed potius amet; tamen nunquam, aut rarissimè illis signa externa amoris ostendit, sed potius semper eos aspicit toruo aspectus, & eos aspere alloquitur, & cœtera huiusmodi; sicut enim diximus in secunda parte huius tractatus quod non sufficit Deum amare, sed etiam oportet eum cultu exteriori honorare, & venerari; ita non sufficit interius Patrem, & Matrem amare; sed etiam & oportet sæpe signa amoris, & reuerentiæ externa illis ostendere: ita dicunt Ang. & Syl. in suis sum. ver. filius: Tab. v. filij, & Nau. loc. cit.

Tertio infertur quod peccat mort. ille filius, qui parentibus non vult obedire in re magni momenti pertinente ad regimen familiæ: ita Ang. Syluest. & Tab. loc. cit. Nauar. loc. citato numero duodecimo.

Quarto, infertur quod ille peccat mortalissimè, qui Patrem, aut Matrem percutit, vel illis animo, & verbis maledicit. Et dixi animo, quia si tātum verbis maledicit non semper est peccatum mort. itē, & peccat mortaliter ille, qui Patrē, aut Matrē in iudicio accusat de aliquo crimine; nisi sit crimen hæresis, vt dicit Nau. num. 13. vel nisi sit crimen proditionis, vt dicunt alij: vel nisi sit crimen, quod redundat in damnum publicum totius Comunitatis.

Quinto, infertur quod ille, qui Patri, vel Matri nō auxiliatur existenti in extrema necessitate, cum possit, tribuendo illis uictum, & vestitum, & eis auxiliū præbendo in infirmitatibus; & eos redimēdo à captiuitate, vel è carcere, si potest peccat mortaliter.

Sed hic est dubitatio apud DD. vtrū ille, qui habet parentes existētes in graui necessitate, quibus potest subuenire manens in sæculo possit ingredi in aliquam Religionem.

Ad hoc Respondeo, cum Caiet. 2. 2. q. 101. art. 4.

Dicendo primo, quod talis peccat. mort. si ingrediatur religionem deserendo parentes, qui sunt in graui egestate sui auxilij: Et ratio huius est quia non est faciēdum contra præceptū, vt adimpleatur id, quod est tantum in consilio, sed subleuare parentes existentes in graui necessitate est in præcepto, & religionem ingredi est tantum in consilio.

Quod si dicas supponatur quod talis fecerit votum ingrediendi in talem religionem.

Respondeo quod tale votum erit inualidum, quia non est de meliori bono; melius est enim auxiliari Patri, vel Matri existenti &c. quam ingredi religionem.

Dicendum secundo, quod si quis ingressus est in religionem, & antequam professionem emittat parētes incidunt in grauem necessitatem, & egestatem sui auxilij, quod non possit præstare nisi egrediendo è religione tenetur egredi propter rationem dictam.

Dicendum tertio, quod si iam est professus non tenetur egredi ad auxiliandum Patri, vel Matri, nisi sint in extrema necessitate.

Dicendum quarto, quod si sunt in extrema necessitate tenetur egredi ad auxiliandum Patri, vel Matri, non tamen deserendo habitum si potest, & habitū retinere, & illi auxiliari, & cum habitū tenetur seruare regulam religionis in quantum potest quousque cessante necessitate iterum religionem ingrediatur.

Sexto Infertur quod ille filius, qui Patrem ita contemnit, vt existimet opprobrium quod cognoscatur illius filius peccat. mort. vt dicit Alexander Alensis tertia parte suæ sūmę, & Nau. c. cit. n. 13. nisi hoc faciat ad euitādum aliquod incommodum.

Septimo infertur quod ille filius, qui parentibus mortem desiderat vt citius hæreditatem obtineat peccat mort. & magis si debito tempore Patris legata

non

, soluit, vel male parta à Patre non
tituit.
Octauo infertur, quod ille, qui cum
ducturus vxorem non vult ducere
n, quam Pater vult propter bonum
niliæ, sed aliam contra voluntatem
tris in detrimentum suum, at peccat
rt. nisi id faciat quia tenebatur eam
cere puta quia sponsalia iam contra-
, vel eam violauit.
tem peccat, mort. fil ius, qui non re-
uit vsuras Patris inuentas in hæredi-
e paterna, & similia permittit fra-
, ad quæ tenebatur Pater atque hæc
hoc satis sint.

CAPVT III.

peccatis parentum contra filios circa hoc præceptum.

Quid teneantur facere parentes erga filios pro salute spirituali.
Qua teneantur parentes docere filios.
Quomodo teneantur corrigere filios.
Non debent parentes esse scandalo suis filijs.
Quomodo teneantur parentes alere suos filios.
De consensu parentum in vota filiorum.
Tenentur parentes impedire peccata filiorum.
Oscula, & amplexus inter sponsos de futuro an sint peccata.

X his, quæ dicta fuerunt in capite
, primo infertur primo, qđ peccatum
rt. cõmittũt illi parẽtes, qui negligũt
are, vt filijs suis subministrentur ea,
æ sunt necessaria ad eorum salutem
ritualem, vel corporalem. Dixi ad ia
em spiritualem, quia peccat mortali-
ille Pater, vel illa Mater, quæ non
rat vt filius suus baptizetur, quanto
ius, et si ante nouem dies non bapti-
tur filius ex negligentia Patris, aut
tris peccato negligentiæ illorum est
nexa excommunicatio latæ sententiæ
nostra Med. Ecclesia, & in tota eius
uincia per constitutionem Concil.
Prouinc. primi huius Ecclesię. Itẽ pec-
catũ mortale cõmittit pater, vel mater,
quę tempore debito, idest post ętatem
septennij non curat ut filius confitea-
tur peccata sua idoneo sacerdoti.

Itẽ peccatũ mortale cõmittit si nõ cu
rat vt filius sumat Sanctiss. Euchar. tẽpo
re debito .i. post 14. ætatis annum, vel
12. paulo plus, vel minus, prout in illo
maior, vel minor apparet vsus rationis.

Item peccat grauiter, si non mortali-
ter, si non curat vt filius recipiat sacra-
mentum Confirmationis.

Et dixi grauiter si nõ mortaliter, quia
non crederem esse p.m. si Pater ex ne-
gligentia non curaret vt filius reciperet
Sacram. Confirmationis, quia tale Sa-
cramentum non est necessarium neces-
sitate præcepti sicut reliqua tria, quæ di
ximus. Secus esset si id omitteret Pa-
ter propter contemptum, & quod dixi
de confirmatione, intellige & de extre
ma vnctione si filius ĩfirmatur ad mortẽ.

Rursus p.m. ex eodem capite pater,
vel mater, quæ non curaret vt filius di-
sceret ea, quæ sunt scitu necessaria cui-
libet Christiano, vt quæ à Deo petenda
sint, quorum summa continetur in ora-
tione Dominica, quæ credẽda sint, quo-
rum summa continetur in symbolo Apo
stolorum, & quæ facienda, vel omitten-
da, quorũ summa continetur in Decalo-
go, peccat ergo mort. pater, vel mater,
quæ non docet filium vel per se, vel per
alium orationem Dominicam, symbo-
lum apostolorum, & Decalogum, quia
hæc quilibet Christianus tenetur scire
propter vitam spiritualem.

Rursus p. m. Pater, vel Mater, quæ
non arguit filium, & corrigit à vitijs, &
peccatis, verbis, & verberibus, nam hæc
correctio est necessaria ad salutem spi-
ritualẽ; & Pater, qui odit filiũ peccat as
mortaliter, nam si odio habet alium
est peccatum mortale, multo magis fi-
lium. Pater vltimo qui parcit virgæ o-
dit filium; non posset tamen Pater sine
peccato mortali etiam propter corre-
ctionem filium data opera vulnerare,
mutilare, debilitare, & multo minus oc
cidere; hæc enim pertinent ad correctio
nem iudicis, seu iudicialem, non autem
ad

ad paternam; Vnde & castigaretur Pater in foro exteriori, si filium, sicut & seruum vulneraret, debilitaret, mutilaret, aut occideret correctionis gratia etiam propter maximum crimen propter quod mortem mereretur.

Rursus peccat mortaliter Pater si scãdalizat filios, idest si exemplo suo inducit filios ad peccandum, vt si Pater blasphemaret coram illis, & inde filii arriperent exemplum blasphemandi; & si Mater vidua admitteret amatorem videntibus filiabus, & inde filię acciperent exemplum fornicandi, ista circunstantia esset necessaria ad confessionẽ, quia Mater non tantum peccaret peccato fornicationis, sed etiam scandali; similiter & Pater.

Dixi ad vitam corporalem, nam Mater per triennium secundum leges ciuiles tenetur alere filium; & si Mater non vult, tenetur Pater: post triennium tenetur Pater alere filium sub pœna peccati mortalis si potest quousque filius habeat exercitium uel officium, uel facultates vnde uiuere possit, & si filius non vult discere artes, non tenebitur Pater eum alere: si vero esset nobilis, & diues pater tenetur eum alere nisi sit crimino sus aliquo crimine propter quod possit exhæredari.

5 Secundo infertur quod peccat mortaliter ille, qui ex auaritia filium suum ad hospitalia mittit, uel exponit ad simile officium in plateis, aut in ianua alicuius Ecclesiæ.

Et dixi ex auaritia quia non est peccatũ mort. imo neq; veniale, si propter bonum finem id fiat sine periculo infamis saltem probabili, quo casu tenetur Pater si potest satisfacere hospitali pro expensis, quod si nõ facit cum possit in nostra Ecclesia est excommunicatus.

Item peccat mort. pater, qui cum possit non vult datare filiam etiam spuriam vt dicit Nauarr. in Man. cap. 14. num. 17.

6 Tertio infertur quod peccat, mortaliter Pater, qui consensit filio in uotum peregrinationis, uel aliud, & postea sine iusta causa tale uotum irritat, licèt filius postea excusetur si uotum nõ adimplet, sed de hoc fusius in partẽ tertia hũius tractatus ubi de uoto.

Item peccat Pater, qui filium sine iusta causa iam adultum, & puberem à suo to relig. uel à proposito religionis dolo, uel fraude auocat, vel ab ipsa religione extrahit, secus si id fiat propter suam necessitatem.

Item peccat at mort. qui cogit filiam ingredi in aliquod monasterium, & talis est ipso facto excommunicatus ex cõstitutione Conc. Trid. sess. 25. cap. 8.

7 Quarto infertur peccare mort. Patrem, vel Matrem, quæ permittit ut filia ametur ab amatoribus ad malum finem, uel ut comercium habeat cum prauis mulieribus quæ illam facilè ad malum inducent.

Quintò infertur peccare mort. parentes, qui permittunt ut sponsus committat actus impudicos cum filia dispensata ante contractum matrimonium; ita D. Thom. secunda secundæ, quæst. 147. ut refert Nauarr. in Man. cap. 14. n. 18.

8. Quod si dicas oscula, & amplexus sponsorum ante cõtractum Matrim. si fiant propter carnalem delectationem suntne peccata mortalia?

Nauarr. loc. cit. putat quod non, quia sunt initia promissarum nuptiarum. Ego crederem contrarium quia tales actus ob delectationem carnalem sunt tantum liciti inter coniugatos, & uere Nauarr. & bene dicit quod parentes non debent permittere, ut sponsus, & sponsa soli ante matrimonium contractum in aliquo occulto loco maneant propter periculum actuum impudicorum; atque hæc de tertiõ capite dicta sufficiant.

CA-

CAPVT IV.

De peccatis coniugũ inter se.

Maritus non debet impedire vxori susceptionem Sacramentorum.
Quomodo, & in quo casu non teneatur vir alere vxorem.
Maritus non debet nimis esse rigorosus cum vxore.
Vxor debet subdita esse marito in rebus momenti.
An vxor teneatur sequi maritum alio commigrantem.
Quomodo se gerere debeant coniuges in petitione, & redditione debiti coniugalis.
Vtrum vxor teneatur laborare iubente marito.
An possit vxor facere eleemosinas sine consensu mariti.

EX iis, quæ supra in capite primo diximus infertur primo quod peccat maritus qui nõ vult permittere, vt vxor, tempore debito peccata confiteatur, & alia Ecclesiæ Sacramenta percipiat. Similiter & si sine iusta causa impedit eam ne seruet præcepta Ecclesiastica puta ne audiat missam in diebus festis, ne ieiunet in diebus, in quibus præcipitur ieiunium &c. huiusmodi.

2 Secundo infertur quod peccat mortal. maritus, qui cum possit non alit vxorem iuxta facultatem suam, vel iuxta vires dotis vxoris, si tamen vxor haberet dotem apud Patrem, vel tutorem, qui nollet eam dare marito, maritus non tenetur eam alere, sed posset eam remittere ad Patrem quousque dotem habeat, nam dos datur ad sustentanda onera matrimonii, &c. de quibus fuse in tractatu de vsura.

3 Tertio infertur quod peccat mort. maritus, qui vxorem immoderatè verberat etiam ad eius emendationem, potest enim vir verberare vxorem, moderatè tamen, & nunquam immoderatè, sicut nec potest ex aliqua causa eam vulnerare, debilitare, mutilare, aut occidere hæc n. ad iudicẽ pertinẽt, nõ ad maritũ.

Quod si dicas maritus non punitur si occidit vxorẽ repertam in adulterio per legem ciuilem, ergo licitum est marito aliquando occidere vxorem.

Ad hoc resp. cum communi DD. opinione quod licet in foro exteriori maritus non puniatur, si occidat &c. punitur tamen in foro interiori pœna æterna nisi pœniteat, nam peccat. mort. committit eam occidendo &c.

4 Quarto infertur, quod vxor peccat mort. quæ non vult obedire marito in rebus momenti pertinẽtibus ad regimen domus, & hic.

Quæritur vtrum vxor si habet maritũ prodigum, & lusorem possit abscondere aliqua bona mariti ne ea dissipet, & non tribuere ea marito etiamsi petat?

Ad hoc communiter resp. DD. quod potest, quia ita negotium mariti fideliter gerit.

5 Quæritur item vtrum vxor teneatur sequi maritum alio comigrantem?

Ad hoc resp. DD. quod tenetur maximè si ante matrimonium non erat pactũ, quod maritus alio non comigraret; secus tamẽ etiamsi esset, si ex causa vrgẽte maritus cogeretur alio commigrare, tunc enim vxor teneretur eum sequi.

Quod si dicas si maritus est vagabundus teneturne vxor eum sequi?

Resp. cum Doctorum opinione quod si maritus erat solitus vagari ante matrimonium, & ipsa hoc sciebat tenetur eũ sequi nisi esset periculum animæ.

6 Item infertur peccare vxorem quæ prouocat maritum ad blasphemandum, faciendum aliquid, ad quod ex consuetudine sequitur mariti blasphemia, modo illud non sit de iure diuino.

Sed dicet quis si esset aliqua mulier quæ cognouisset per consilium medicorũ, quod si cõciperet moreretur, & eius maritus maxime esset inclinatus ad res venereas, teneretur ne vxor reddere debitum ne maritus accederet ad alienam, vel posset ne maritus petere debitum ab vxore propria?

Ad hoc resp. Tab. in summ. verb. vxor §. vltimo, quod non tenetur vxor talis reddere debitum, nec potest maritus petere quia si maritus non potest

petere debitum ab vxore, quando est infirma ne augeatur infirmitas, multo minus in hoc casu.

Quod si dicas quid facere debet maritus?

Resp. quod debet compescere carnem ieiunijs, disciplinis, & cœteris huiusmodi.

7 Vltimo dicet quis verū vxor teneatur laborare iubente Marito?

Respondeo cum Syluest. Tab. Arm. in verb. vxor, quod tenetur curare domum, & parare cibos, nisi propter nobilitatem, & diuitias excusetur, & si pauper est nec habet dotem sufficientem ad sustinenda onera Matrimonij, tenetur laborare, vt acquirat victum pro se, & si potest pro filijs pauperibus etiam, sed si habet dotem sufficientem, & maritus habet facultates ad sustentandum filios non tenetur laborare; & si quid lucratur ex opere suo illud est sibi acquisitum.

8 Quod si dicas, potestne vxor sine licentia mariti dare eleemosinam?

Resp. quod potest in aliquibus casibus, quorum primus est quādo habet dotem sufficientem, & lucratur. Quo casu potest dare lucrum pauperibus si filij illo nōn egent. Secundus est quando vxor habet aliquid præter dotem sufficientē puta hęreditatem aliquam. Tertius casus est quando maritus est nimis auarus, & vxor vult aliquid distribuere de bonis mariti pauperibus pro anima, ipsius maxime vt auertatur ab aliquo peccato, quod intelligēdum est raro, quia si vxor potest dare in eleemosinam aliquid mariti clam, vt auertat ab eo malum corporale vt dicit aliquid, multo magis, vt ab eo auertāt malum spirituale. Quartus casus est quando marito instat magnum periculum vitæ, & vxor facit eleemosinam de bonis mariti, vt tale malum auertatur a marito: ita enim geritur fideliter negotium mariti. Quintus & vltimus casus est quando maritus est absens, & mulier facere consueuit eleemosinas, quas solebat maritus facere, & quas fecisset si domi esset; quibus & potest addi sextus casus quando mulier vidente marito consueuit facere eleemosinas de bonis mariti, & ipse numquam recusauit; atque hæc de hoc capite dicta sufficiant.

CAPVT V.

De peccatis dominorum cōtra seruos, & è contra; atque superiorum contra subditos, & è contrà.

1 *Quomodo Domini se gerere debeant cum seruis circa spiritualia.*
2 *Quomodo illos tractare debeant circa temporalia.*
3 *Seruus non honorans dominum peccat cōtra charitatem, & pietatem.*
4 *Si Dominus defraudet seruum debito salario, an possit seruus clam sibi salarium compensare.*
5 *Peccant superiores, qui non reddunt suum cuique ius, vel per se, vel per alios idoneos.*
6 *Subditus debet obedire suo superiori, si non peccat.*
7 *Quomodo leges principum à subditis obseruanda.*
8 *Quid requiratur ad legem, vt obliget ad sui obseruationem.*
9 *Ignorantia affectata quanam sit.*
10 *Ignorantia crassa, vel supina.*
11 *Ignorantia probabilis.*
12 *Ignorantia altera iuris, altera facti.*
13 *Vt lex obliget, debet esse acceptata à subditis, & non abrogata.*
14 *Quid si lex sit acceptata in vno oppido, & non in alio?*
15 *Quid si in aliquo oppido acceptetur ab aliquibus tantum.*
16 *Qui non potest seruare legem, an peccet eam non seruando.*
17 *Dispensatus in lege an peccet, si eam non seruet.*

1 Ex his quæ diximus supra in capite primo, infertur primo, quod peccāt mortaliter contra charitatem, & pietatem illi heri, vel domini, qui non curant vel non concedunt, vt serui tempore debito sacramenta necessaria percipiant

cipiant, puta baptismum si non sunt baptizati, absolutionem à peccatis, & Sanctissimam Eucharistiam.

Item qui non curant, vel impediunt, ut satisfaciant præceptis diuinis, vel eos inducunt ad peccatum mortale, puta ad deierandum, ad testimonium falsum, ad iurandum, &c.

Item qui non curant, vel impediunt absque legitima causa ne serui seruent præcepta Ecclesiastica puta audire Missam, &c.

Secundo infertur quod peccant domini, vel heri qui sine iusta causa non dant seruis conuentum salarium.

Sed hic sunt dubitat. quas ponit Ar. in summa ver. familia, quarum prima est utrum si quis conuenit cum famulo de salario decem aureorum in anno, teneatur illud dare si seruus in eo anno per aliquot menses fuit infirmus?

Et ad hoc respondetur quod non de rigore iuris, sed tantum tenetur dare pro rata temporis in quo seruiuit.

Secunda dubit., an si seruus est v. g. aliter, & fuit ægrotus in æstate per sex menses, sed seruiuit in hyeme teneatur dominus dare dimidium salarij totius anni?

Ad hoc respondet Arm. cum DD. cit. quod nõ quia seruus talis magis est opus domino in æstate, quam hyeme, quod si seruit in æstate, & est ægrotus in hyeme non sufficit dare dimidium salarium vnius anni.

Tertia dubit., vtrum impensæ, quæ sunt circa seruum ægrotum puta in medicis, & medicinis sint computandæ inter salarium temporis, in quo laborat, & seruit seruus?

Resp. quod sunt computandæ de rigore iuris.

Tertio infertur quod peccat dominus seu seruus, qui non corrigit seruum errantem, & peccantem: non tamen potest eũ pro correctione vulnerare, aut mutilare, & minus occidere, sed tantum discrete verberare.

4 Quarto infertur, quod peccat seruus contra charitatem, & pietatem qui non honorat dominum suum, & ei non vult obedire in rebus, in quibus tenetur, & ille, qui vult obedire in rebus, in quibus tenetur non obedire, & hæc sunt illa, quæ sunt contra præcepta Dei, vt si dominus præcipiat seruo, vt aliquem vulneret, vel sit mediator ad habendam aliquam meretricem.

Item peccat seruus, qui domino detrahit manifestando eius peccata occulta, quæ domi perpetrauit.

Item peccat mort. seruus, qui res domini furatur.

Quod si dicas si dominus non dat salarium potestne seruus tantundem furari, seu clam auferre?

Resp. quod potest, sed hoc non est ei prædicandum ne aperiatur via ad furandum, nam & procliui sunt ad furandum, etiamsi detur salarium.

Dices si salarium conuentum est modicum poteritne seruus furari aliquid à domino?

Ad hoc resp. communiter DD. quod non & hoc est seruis prædicandum, nam vt experientia docet, & seruorum Confessarij quotidie cognoscunt multifamuli famulæque furantur se excusantes quod salarium est paruum, & quod peius est nonnulli confessarii non satis docti annuunt, quod est contra charitatem & iustitiam.

5 Quinto infertur quod peccant mortal. illi domini, seu superiores, & principes, qui non reddunt suum cuique ius, vel non instituũt ministros idoneos, qui subditos regant, & illis ius suum vnicuique tribuantur.

Item peccant mort. si non defendunt populum suum ab inimicis cum possint.

Item si non defendunt vias à latronibus cum obligatione ad restituendum prædationes, quæ in ipsis fiunt, quando non faciunt, quod possunt, vt tutæ reddantur vię.

Item peccant mort. quando nolunt curare, vt annona non fit cara.

Item quando imponunt pedagia, seu gabellas iniustas.

Item quando non tollunt corruptelas quas melius est tollere, quam non tollere.

Dixi quas melius est tollere, quam nõ tol-

tollere quia licitum est aliquando permittere aliquas meretrices ad impediendum peius malum puta ne solicitentur honestæ mulieres, & cętera multa, quæ vide apud Nauar. in Man. ca. 1. num. 1. & infra.

6 Vltimo infertur quod peccat ille subditus, qui nō honorat superiorem suum, & qui non vult ei obedire.

Sed hic est magna inter DD. cōtrouersia, an subditus teneatur sub pœna peccat. mort. obseruare leges Principum, & aliorum, qui populum gubernant, quæ leges dicuntur ciuiles, nam de legibus Canonicis non videtur esse tanta difficultas.

Nau. in Man. cap. 23. à num. 40. vsque ad 68. multa de hoc differit, sed omissis multis, quæ dicunt DD. circa hanc materiam, mihi placet opinio D. Thom. in 1. 2. quæst. 96. art. 4. quam refert Arm. in summ. ver. lex §. 3. quod videlicet leges Ciuiles, sicut & canonicæ obligant subditos ad earum obseruationem in cōscientia, & quidem sub pœna peccati mort. quando transgressoribus imponitur maxima pœna, puta mortis, exilii, mutilationis alicuius membri &c. vt habetur verb. constitutio §. 7. ex Armilla.

7 Item si lex est de aliqua materia ponderosa, idest magni momenti, & ratio huius est quia obedire superioribus principibus, tam secularibus, quam Ecclesiasticis est in præcepto, ergo leges eorum de præcepto seruari debent, nam qui leges Principis non obseruat Principi dicitur nō obedire. Et quod teneamur obedire Principibus, habetur ex scriptura, dicitur enim in ea, per me Reges regnant. Et in Euangelio facite quæ vobis dicunt, non autem quæ faciunt. & D. Paul. ait, obedite Præpositis vestris, & cætera.

8 Ad hoc autem vt lex obliget in conscientia, vt habetur in summ. Arm. verb. lex §. 11. debet esse primo iusta, nam lex iniusta non meretur nomen legis, sed corruptionis; Dicitur vero lex iniusta vel ex materia quia est de materia mala, vt sacrificare Idolo; vel quia est de forma mala, vt quando inæqualiter subditos grauat; vel respectu conditoris quia non habet auctoritatem condendi legem; vel respectu finis quia non est propter vtilitatem publicam.

Secundo ad hoc, vt lex obliget debet esse promulgata nam lex ante promulgationem nihil valet, vt bene dicit Nau. in Man. cap. 23. nu. 41.

Tertio debet esse transactum tempus, post quod obligat, nam si sunt leges imperatoriæ, Regiæ, aut Pontificiæ, vt dicunt omnes DD. si in eis non est præfixum aliquod tempus, non obligant nisi post duos menses à tempore publicationis; sed si sunt leges aliorum Principum, Episcoporum, & Iudicum obligant statim ac promulgatæ sunt, sicut & Imperatoriæ, Regiæ, & Pontificiæ si in eis apponatur clausula, vt statim post promulgationem obligent.

Quod si dicas, quid si transacto tempore, post quod lex incipit obligare aliquis ignoret legem, & ignoranter eam transgrediatur?

Notandum pro responsione quod ignorantia legis, seu cuiusque præcepti, potest esse triplex; alia, quæ dicitur affectata, alia quæ dicitur crassa, vel supina, & alia quę dicitur excusabilis, & secundum Theol. inuincibilis, atque secundum legistas probabilis.

Prima & secunda ignorantia sunt iniustæ, tertia vero est iusta.

De ignorantia affectata.

9 Ignorantia affectata est illa, quam habet aliquis, qui vult, vel desiderat eā habere, vt liberius possit peccare non cōtradicente conscientia, & talis nō modo non excusat transgressorem legis à peccato, neque minuit peccatum, sed potius auget quia auget voluntarium, vt dicunt omnes Doctores.

De ignorantia crassa vel supina.

10 Ignorātia crassa, seu supina est illa, secundum quam aliqui dicuntur ignorare ea, quę regulariter homines suę conditionis, & sui Ordinis sciunt, vt si adulti homines in nostris regionibus nesciunt præcepta Decalogi, eorum igno-

rantia

rantia dicitur crassa, vel supina, & propterea qui per eam faciunt contra præcepta non excusantur à culpa peccati, nam talis ignorantia non excusat transgressorem legis à peccato licet excuset à magna grauitate peccati, & hoc est quod dicunt DD. quod non excusat à toto sed à tanto.

De ignorantia probabili.

11 IGnorãtia probabilis est illa quam habent aliqui de aliquibus præceptis, seu legibus, quæ præcepta, seu quas leges communiter ignorant illi, qui sunt eorum ordinis, & cõditionis, & hæc excusat transgressorem legis ignoratæ omnino à peccato, & à pœna extrinseca legis, non autem intrinseca idest anullationis actus, si ea in lege caueatur. Vt si S. P. Romæ statueret, ut Matrimonia cõtracta in quinto gradu cognationis esset nulla, & qui non obstante tali lege auderet cõtrahere in quinto gradu esset ipso facto excommunicatus; ego si scirem talem legem, & nihilominus contraherem in quinto gradu; & contractus esset nullus, & peccarẽ mort. & essem excommunicatus. Similiter si talem legem ignorantia crassa, aut affectata ignorarem; si uero eã ignorarem ignorantia excusabili, cõtractus esset quidem nullus, sed nec peccarem nec essem excommunicatus.

Sed aduertẽdũ hic est ex Syl. in v. ignorantia, & aliis DD. præcipuè ex D. Th. in 2.2. quod non omnis ignorantia probabilis excusat à peccato, sed tãtum illa, quę est causa actus; quod ut intelligatis animaduertendum est quod duplex est ignorantia probabilis, ut notat etiam Nau. in Man. c. 17. alia uidelicet quæ dicitur comes actus seu peccati; & alia quę dicitur causa actus; ignorãtia quę dicitur comes est illa probabilis etiã, quã habet aliquis de aliqua re, seu aliqua lege, quã etiamsi non haberet transgrederetur legẽ; ignorantia uero, quæ dicitur causa actus est illa, quam habet aliquis, quam si non haberet, actum non committeret.

Sed ut intelligantur omnia, quæ de ignorãtia dicta sunt, ponatur hoc exemplum, est aliquis artifex, qui lucratus est aliquã pecuniæ summam, quam vellet inuestire per aliquem contractum, puta depositi, emptionis, societatis &c. & cum sibi offeratur quidam contractus ex dictis; per quẽ lucrari possit septẽ pro centũ, si iste artifex dubitat an talis contractus, qui offertur, & qui sibi maximopere placet, sit vsurarius necne, & possit ad expellendã suam ignorantiam consulere Confessarium, Parochum, aut concionatorem, si non uult aliquem ex dictis consulere quia dubitat eos dicturos contractum esse illicitum, & quod propter ea magis cõscientia eum stimulabit ad cessandum à tali contractu, talis ignorantia absque dubiò erit affectata, & non excusabit à peccato artificem si celebrabit talem contractum, si est usurarius contractus; sed si artifex non uult consulere peritos propter negligentiam, non celebraturus tamen talem contractum si cognosceret esse usurarium, eius ignorantia diceretur crassa, & excusaret quidem à culpa magna, non tamen omnino à peccato mort. & hoc est, quod dicunt DD. quod nõ excusaret à toto, sed à tanto: Si autem accederet ad concionatorem, parochum, uel confessarium communiter æstimatũ doctum, ut cognosceret an contractus talis sit usurarius cum animo etiam celebrandi cõtractum, si confessarius diceret esse usurarium, talis ignorantia etiamsi non accederet ad Confessarium &c. diceretur comes peccati, quia talis non posset dicere se celebrasse contractum quia nesciebat eum esse illicitum, seu usurarium.

Si tandem iste accederet ad hominem peritum ex dictis, uel habitum pro docto cum animo non celebrandi cõtractũ si diceretur quod sit usurarius, si postea Parochus &c. consuluerit contractum esse licitum, qui tamen est vsurarius, si talis postea celebrabit contractum non peccabit etiamsi sit vsurarius, quia eius ignorantia est probabilis, & causa actus, cum possit dicere quod ipse non fecisset talem contractum si sciuisset esse usurarium. Et quod sit probabilis ignorantia patet quia artifices communiter nesciunt de contractibus qui sint usurarij, & qui non; In concionatore

tamen

tamen &c. qui consuluit, ignorantia fuit crassa, quia nesciuit ea, quæ communiter sui ordinis homines tenentur scire. Et posset esse affectata si noluit studere, quia desiderabat aliter non dare consilium, quam dedit.

12 Demum circa hanc materiam notandum est secundum doctrinam omniũ DD. quod ignorantia siue sit crassa, siue affectata, siue probabilis, & excusabilis, altera est quæ dicitur iuris, & alia quæ dicitur facti; ignorantia iuris est, quando quis nescit legem, de qua locuti sumus hactenus quia de lege est noster sermo: altera dicitur ignorantia facti, vt cum aliquis scit legem, sed nescit factum esse sub lege; vt si aliquis scit quod de iure prohibentur carnes in die veneris, sed nescit an hodierna die sit dies veneris dicitur habere ignorantiã facti, sed non iuris: si vero scit hanc diem esse diem veneris, sed nescit prohibitas esse de iure carnes in tali die, dicitur habere ignorantiam iuris, & non facti; si vtrumque nescit dicitur habere ignorantiam, & iuris & facti: Et clarius si quis nescit prohibitum esse matrimonium in quarto gradu consanguinitatis dicitur habere ignorantiã iuris, verum si hoc scit, sed nescit, an talis mulier, quæ est illã consanguinea in quarto gradu sit illi cõsanguinea, vel affinis dicitur habere ignorantiam facti; si vtrumque nescit dicitur habere ignorantiam, & facti; & iuris; & licet præcipuè dictum sit à nobis hic de ignorantia iuris, cum ageremus de lege, omnia tamen dicta de ignorantia possunt etiam applicari ad ignorantiam facti.

13 Quarto, vt lex obliget debet esse acceptata à subditis, nam vt bene dicit Gl. capitulo quod circa, tolerantia, & dissimulatio Principis facit actũ qui est contra ius licitum.

Quinto, vt lex obliget debet non esse abrogata; abrogatur autem lex, & tollitur eius robur per contrariam consuetudinem; vel per legem contrariam subsequentem.

Atque ex hoc infertur non esse mirũ quod multæ leges, quæ sunt in decretis non obligent; quæ alias obligabãt, quia sunt abrogatæ, vel per legem contrariã subsequentem, vel per contrariam consuetudinem, vt antea in Ecclesia per legẽ erat imposita excõicatio illis, qui ante finitam concionem, vel sacrificium missæ ab Ecclesia discedebant, quæ lex nunc non obligat propter contrariam consuetudinem.

14 Sed circa quartum quod dictum est requiri ad hoc vt lex obliget, quæritur primo, quid si lex sit acceptata in vno oppido, & non alio?

Resp. quod incolæ illius oppidi in quo fuit acceptata tenentur eam seruare, vt dicunt communiter DD. & non alii alterius oppidi, in quo non fuit acceptata.

15 Secundo quæritur, quid si in aliquo oppido acceptetur ab aliquibus tantum?

Resp. vt dicunt DD. quod si acceptatur à maiori parte populi eius oppidi, tenetur & minor pars eam seruare, si vero tantum à minori parte, non peccabit & illa minor pars si eam amplius non seruat.

Tertio quæritur circa legem ipsam; an ille, qui non potest seruare legem peccet si eam non seruet.

16 Resp. quod non quia nemo ad impossibile &c. & per impossibilitatẽ intelligenda est etiam urgens causa, ut non peccat qui non seruat legem ieiunij quando habet causam non ieiunandi, de qua in parte antecedenti.

17 Quarto quæritur, an dispensatus in lege peccet si non seruet legem.

Resp. quod non peccat si dispẽsatio est facta ab eo, qui condidit legẽ, uel ab eo qui habet auctoritatem dispensandi, & in legibus humanis ad dispensandum non necessario requiritur causa, sed uoluntas illius qui legem tulit sufficit pro causa, & hæc sufficiant &c.

CA-

CAPVT LTIMVM

De peccatis proximi contra proximum.

Proximus an sit diligendus, & quomodo.
Quanam sint diligenda, & quo ordine.
In dilectione spiritualia anteferenda temporalibus.
Potest homo anteferre propriam vitam temporalem vitæ proximi.
Propter vitam temporalem proximi exponenda sunt periculo bona temporalia.
Bona temporalia quomodo defendenda sint.

IN hoc capite primo quæritur an proximus sit diligendus, & quomodo?

Resp. affirmatiuè nam sæpe in scriptu. dicitur, Diliges proximum tuum sic. &c. imo ex hoc præcepro, ut dixi c. originem trahunt omnia præcepta secundæ tabulæ Decalogi.

Rursus dico quod vnusquisque debet diligere proximum sicut seipsum, & (sicut) non accipitur pro aduerbio quantitatis, sed similitudinis idest non præcipitur, vt diligam proximum tantum, quantum meipsum, sed sicut meipsum, idest quod debeo diligere proximum o fine, & eo modo, quo diligere debeo meipsum idest desiderando illi uirtutes, gratiam, & alia bona in ordine ad beatitudinem.

2 Secundo quæritur, quænam sint diligenda, & quo ordine?

Respon. quod charitas debet habere ordinem necessario, dicitur enim, Ordinauit in me charitatem.

Primo ergo ex charitate tenemur diligere Deum super omnia, secundo tenemur post Deum diligere animam nostrā plusquam animam proximi, & alias omnes creaturas, tertio post Deum, & animam nostram tenemur diligere animā proximi plusquam vitam nostram temporalem, & alia omnia creata, quarto post hæc possumus diligere uitam nostram corporalem plusquam uitam corporalem proximi, & alia bona inferiora, quinto post uitam nostram temporalem tenemur diligere vitam temporalē proximi plusquam bona nostra temporalia, & externa, sexto post uitam proximi possumus diligere bona nostra temporalia plusquam bona temporalia proximi, septimo, & vltimo post bona nostra temporalia, & externa tenemur diligere bona proxima temporalia, & externa in ordine ad suam uitam spiritualem.

Atque ex dictis infertur primo, peccare mortaliter eum, qui potius uellet peccare mortaliter quàm permittere mortem Patris, aut filij, aut mortem propriam, quia magis amaret eos, uel uitā propriam, quam Deum, ut nisi quis inueniat testimonium falsum peribit filius, peccat mort. si ad saluandum filium à morte inquirat testimonium falsum: uel nisi quis committat fornicationem de consilio medicorum peribit peccat mort. si potius non exponat periculo uitam propriam, quam committere fornicationem.

Secundo infertur quod ille, qui magis amat Patrem, aut Matrem, uel filios, aut uitam corporalem propriam, quam animam peccat mort., ut patet ex exemplis supra datis in illatione antecedente.

Tertio infertur quod peccat mort. ille, qui in casu necessitatis non uult exponere periculo suam uitam temporalē ut subueniat uitę spirituali proximi, ut patet ex eo exemplo, quod posui in primo cap. huius partis de eo, qui potest baptizare filium morientē licet cum periculo uitæ suæ tēporalis, talis.n. tenetur eum baptizare, quia debet magis amare animam proximi, & salutem eius spiritualem, quam propriam corporalem.

3 Quarto infertur quod homo potest, si uult, sine peccaro magis amare uitam propriam temporalem, quam uitā tem-

temporalem proximi; non tamen tenetur eam magis amare; ut potest si uult sine peccato inuasus occidere inuadẽtem cum moderamine inculpatę tutelæ, idest si non potest aliter euadere manus inuadentis, non tamẽ tenetur eum occidere, sed potest ut dicunt omnes DD. sine peccato potius permittere ut occidatur quã occidere, ut fecerunt multi martyres, qui potuerunt in Tirannos uiolentiam facere, ut experirentur an possent mortem euadere, qui tamen potius uoluerunt mortem pati, quam occidere, & multi etiam Ethnici laudantur, qui pro defensione uitæ corporalis patriæ, uitam propriam corporalem periculo exposuerũt; & ideo notanter in quæsito secundo antecedenti dixi quod potest homo magis diligere uitam propriam temporalem, quam uitam temporalem proximi, & nõ dixi, quod id teneatur facere, quia potest renunciare iuri suo, quod fatiet de deffendẽda uita corporali, pro uita temporali proximi.

5 Quinto infertur quod propter uitam proximi corporalem teneor exponere periculo bona mea temporalia in casu necessitatis ipsius uitæ temporalis proximi, non tamen ea, quæ sunt omnino necessaria ad uitam meam temporalem, ut si est aliquis moriturus fame, cui ego possum subuenire emendo panem, qui uenditur 100. aureis nummis, teneor sub pœna peccat. mort. expendere eos si habeo, nisi ex hoc ego redigar in eandem necessitatem, non enim teneor, ut dixi, exponere uitam meam temporalem, pro uita temporali proximi mei.

6 Sexto infertur quod non tenetur homo exponere periculo bona sua temporalia, ut saluet bona temporalia proximi, si tamen uult potest.

Septimo infertur quod tenetur homo sub pœna peccat. mort. defendere bona temporalia proximi si potest absque suo periculo, labore, & damno.

Sed dicet quis, si homo posset extinguere ignem, qui probabiliter combureret domum proximi, sed dando ver. g. regium nummum baiulo, qui ferat aquam teneturne cum detrimento suo extinguere ignem?

Resp. affirm. quia ille nummus parum est, & parum pro nihilo reputatur; atque hæc de hac parte.

PARS

PARS SEXTA.

De quinto Decalogi præcepto.

Quod est, Non occides.

HAEC pars diuidetur in duo capita. In quorum primo dicam de occisione hominis, quæ fit ex intentione. In secundo de ea, quæ fit non ex intentione.

CAPVT I.

De hominis occisione ex intentione.

Omnis occisio hominis, an sit peccatum mortale.

Quanam occisio hominis sit contra charitatem vel iustitiam

Quibus in casibus occisio innocentis non sit peccatum.

Vtrum Iudex possit aliquando condemnare innocentem.

Quid de Abraham, qui volebat occidere Isaac innocentem.

Si licet occidere nocentem, num etiam liceat innocentem.

Quid ad locum Euangelij de eradicatione zizaniorum.

An contra hoc præceptum sit occidere animalia saltem aliena.

9 *Quare illicita sit hominis occisio ex parte occidentis.*

10 *Quibus in casibus liceat occidere hominem cum moderamine inculpatæ tutela.*

12 *An liceat occidere furem pro defensione bonorum temporalium.*

12 *Nunquam licitum est occidere seipsum.*

13 *Quo in casu liceat seipsum mutilare.*

14 *Non licet occidere seipsum desiderio melioris vita, aut ad euadendum miserias præsentis vitæ.*

15 *Homicidium illicitum est etiam ex parte modi occidendi.*

1 IN hoc capite primo queritur, an omnis hominis occisio sit peccatũ mortal. & contra quintum Decalogi præceptum?

Ad hoc respondetur quod non, sed tãtum illa, quæ est contra iustitiam, & charitatem, vel saltem contra charitatem. Et dixi vel saltem contra charitatem, quia

quia potest fieri, quod quis occidat hominem faciēdo tantum contra charitatem, & non contra iustitiam, vt si iudex condemnaret aliquem ad mortem ex odio, qui secundum allegata, & probata mortem meretur; & quod non omnis hominis occisio sit contra præceptum, non occides; sed tantum illa, quę est contra charitatem tantum, vel contra charitatē, & iustitiam simul; probatur quia nihil est contra aliquod Decal. præceptum quod non sit contra charitatem; nam præcepta Decalogi trahunt originem à præcepto charitatis Dei, & charitatis proximi; occisio igitur hominis, quæ est peccatum mort. & contra quintum Decal. præceptum est tātum illicita occisio; quæ propriè dicitur homicidium; homicidium enim si propriè sumatur, vt dicit D. Th. prout refert Sylu. in summ. v. homicidium primo, significat tantum illicitam hominis occisionem.

2 Secundo quæritur quænam sit occisio hominis illicita, seu contra charitatem, vel iustitiam?

Respondetur quod occisio hominis illicita potest esse ex triplici parte, idest vel ex parte occidendi, vel occidentis, vel ex parte modi occidendi; Ità Caiet. in summ. v. occisio.

Ex parte occidendi est illicita occisio hominis innocentis, quotiescūque enim homo innocens occiditur regulariter peccatur mort. quia fit cōtra char. & iust.

Et dixi regulariter quia excipiuntur nonnulli casus; quorum.

3 Primus est, quando Iudex secundū allegata, & probata cogitur occidere innocentem, vt dicit Caiet. loc. cit. & D. Th. 2. 2. q. 64. ar. 6. in resp. ad 3. arg.

Secundus est, quando carnifex occidit innocentem exequendo sententiam iudicis non continentem errorem publicum.

Dixi non continentem errorem publicum, quia licet carnifex non teneatur exquirere an sententia Iudicis qua condemnatus est quis ad mortem sit iusta necne, si tamen ipse sciret certo eam esse iniustam teneretur eam non exequi.

Tertius est quando milites occidūt in bello iniusto quod putant esse iustum, nā vt bene dicit D. Aug. cōtra Manichęos, vt refertur 23. q. 5. capit., qui culpatur vir iustus si forte etiam sub Rege, & homine sacrilego militet rectè potest illo iubente bellare si quod sibi iubetur vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit certum non est, itaut fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentes autem milites ostendat ordo seruiendi.

4 Sed hic sunt dubitationes, quarum prima est, vtrum Iudex vere possit condemnare innocentem aliquando?

D. Tho l. cit. quem omnes Thomistæ sequuntur dicit quod Iudex tenetur efficere quantum potest ne occidat innocentem, puta diligenter examinando testes falsos, vt ab eis possit extorquere veritatem, vt fecit Panorm., vel remittendo iudicium superiori; quod si neutrum facere potest, poterit sine peccato, imò tenebitur condemnare innocentem ad mortem; quia Iudex debet iudicare secundum allegata, & probata. Scot. tamen tenet contrarium, sed cōmunior est opinio D. Thom.

Secunda Dubit. est de Abraham, qui voluit occidere filium suum, quem sciebat esse innocentem; ergo datur alius casus præter tres dictos in quo potest sine peccato innocens occidi?

5 Ad hoc resp. D. Th. 2. 2. q. 64. art. 6. ad prim. arg. quod Abraham volebat occidere filium suum, vt eum immolaret, quia Deus ita præceperat, qui est dominus vitæ, & mortis omnium, & ideo potest pro suo libito quem vult vita priuare, & sicut non peccat Deus priuando aliquem vita, ita nec peccat eius executor. Exēplum erit in furto, certum enim est quod furtum est peccatum, sed etiam certum est Deum esse dominum omnium rerum, & propterea posse præcipere vel concedere, vt vnus accipiat res, quæ sunt apud alium sine peccato, sicut præcepit populo Israelitico, vt fugientes à manu Pharaonis cōmodata acciperent vasa argentea, & aurea à populo Ægiptiaco, quia poterat Deus transferre dominium rerum populi Ægipt. in Israeliticum.

6 Tertia Dubitatio est, quia videtur quod si licitum est occidere nocentem licitum

citum etiam sit occidere innocentem uia maius damnum infertur nocenti um occiditur, quam innocēti, nā occisio nnocentis est eius via ad cœlum; occi io vero nocentis est via ad pœnas inferni?

Ad hoc respon. D. Th. l. cit. ad 2. arg. quod est per accidens quod occisio inno entis sit via ad cœlum, hoc enim nō ve it ex occisione ipsa, sed ex bona dispo tione innocentis; occisio enim non est ausa per se vt innocens vadat ad patriā cœlestem, sed bona eius dispositio, imo licit D. Th. quod grauius est occidere nnocentem, quam nocentem; primo uia magis fit contra charitatem, secun lum quam tenemur magis amare bonos juam malos; secundo quia magis fit contra iustitiam, nam maior iniuria infertur iusto si occidatur, quam iniusto, ertio quia magis fit contra rempubl. quia priuatur membro vtili; quarto quia nagis fit contra Deum: eum spernatur n sanctis suis, dicitur enim Lucæ 10. Qui vos spernit, me spernit. Dicendū igitur st innocentes non esse occidendos, sed nocentes, ut dicitur Exodi 23. Innocentem, & iustum ne occidas, & 21. maleficos non patieris viuere.

7 Quarta Dubitat. dicitur Mat. 13. à Christo non esse eradicandam zizaniam, qui sunt filij ne quam, sed qui facit contra præceptum Dei peccat, ergo qui occidit nocentes peccat?

D. Th. q. 64. cit. ar. 2. dicit quod sicut peritus medicus bene facit abscindendo membrum putridum; quod minatur periculum toti corpori, ita benefacit ille, qui habet curam totius Reip. idest Princeps, vel eius Iudex abscindendo hominem peccatorem qui minatur ruinam contra salutem Reip. &. ideo non peccant Iudices, & qui habent auctoritatem publicam occidendo nocentes homines propter conseruationem boni Reipublicæ.

Ad rationem autem allatam in contrarium ex uerbis domini dicit D. Tho. & bene quod non dixit dominus non esse extirpandam zizaniam absolutè, sed dixit ne fortè eradicetis & triticum; ita non sunt occidendi nocentes quando non possunt occidi sine periculo Innocentum, uel quia nocentes sunt ita permixti innocētib., ut nō possint discerni, uel quia habent multos sequaces, sed quando possunt occidi nocentes sine periculo damni innocentum occidendi sunt.

Quinta Dubitatio est, quia iustitia hominum debet conformare se iustitiæ diuinæ, sed Deus non uult mortem peccatoris, ergo & homo debet nolle mortem nocentis, sed ut conuertatur, & uiuat?

Ad hoc resp. D. Thom. loc. cit. quod Deus prout uidetur expedire aliquando statim occidit innocentes; idest permittit ut moriantur maximè si sunt perniciosi bonis hominibus; aliquando uero expectat ū conuertantur ad pœnitentiam, ita & omnes debent facere, debēt enim occidere eos, qui sunt perniciosi in Rempubl., alios uero, qui sunt quidem peccatores non debent statim occidere cum nō sint perniciosi in rempublicam; sed tolerare, ut boni fiant.

Sed forsan dicet hic aliquis an contra quintum Decalogi præceptum sit occidere animalia, saltem aliena? uidetur enim quod sic, quia præceptum est generale, non occides: deinde quia Exodi 22. prohibetur occisio bouis, aut ouis alterius, & imponitur pœna occidenti bouem, uel ouem alterius, & omnia præcepta saltem moralia, quale est hoc de non occidendo boue, aut oue alterius debent reduci ad aliquod ex præceptis Decalogi.

Resp. quod occidere bouem, aut ouem alterius sine iusta causa est peccatū mortale, sed prohibitio huius non reducitur ad præceptum, non occides, sed ad præceptum, non furaberis, ad quod reducuntur præcepta quibus damnificatur proximus in bonis suis exterioribus; sicut ad præceptum, non occides, reducuntur omnia præcepta prohibentia peccata, quibus offenditur proximus in persona propria, ut est hominis occisio, mutilatio, uulneratio, uerberatio &c. & propterea quæ hic dicimus de occisione hominis eadem omnino & intelligenda sunt de mutilatione, & uer-

O 2

verberatione &c. sed quod licitum sit occidere bouem, vel ouem propriam, aut etiam alterius de licentia Domini, vel iusta causa patet quia dicitur Gen. 9. omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum; non comeduntur autem animalia viua sed mortua.

9 Secundum caput propter quod est illicita omnis occisio, est ex parte occidentis, quando videlicet occidit hominē etiam nocentem sine publica auctoritate, dicit enim D. Aug. l. 1. de Ciuit. Dei c. 26. quod qui sine publica administratione malefactorem occidit, veluti homicida iudicabitur; & rationem huius affert D. Tho. 2. 2. q. 64. ar. 3. quia sicut medici est perscindere membrum putridum hominis, ne inficiat totum hominē, quia illi commissa est cura salutis totius corporis; ita habentis publicam administrationē est occidere maleficos ne perturbent Rempu., cum malefici, vt supra diximus occidendi sint, quando dubium est, ne quietem, & salutem Communitatis perturbent, vel inficiant.

Sed dicet aliquis Exodi 32. præcepit Moyses populo Israelitico, vt vnusquisq; occideret fratrem suum, amicum suum, & proximum suum pro peccato vituli conflatilis.

Ad hoc resp. D. Tho. loc. cit. ad primum argum. quod populus Israeliticus tunc occidebat fratrem, amicum, & proximum pro peccato vituli conflatilis nō priuata, sed publica auctoritate, quia Deus, & Moyses, qui habebant publicā auctoritatem id præceperant, quemadmodum non peccat carnifex quando de mandato iudicis latronem suspendit, vel alio modo maleficum necat, quia id facit auctoritate publica idest de mandato iudicis, qui habet auctoritatem publicam; & quemadmodum facit quilibet, qui occidit eum qui bannitus est cum hac intentione, vt possit à quolibet impunè occidi, modo id fiat in districtu illius, qui bānuit, etiamsi id faciat pro pecunia, modo id non fiat ex odio; quia id fit auctoritate publica; nisi id fieret dixi in alio loco, quam in districtu bannientis, quia alibi non potest fieri nisi habeatur licentia à Domino illius loci.

10 Excipiuntur tamen à regula generali nonnulli casus, quorum primus est quando aliquis occidit inuadentem pro defensione vitæ propriæ cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Secundus est, quando aliquis occidit inuadentem pro defensione vitæ fratris, filij, patris, aut proximi sui cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Tertius casus est quando aliquis occidit agressorem pro defensione honoris sui item cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Quartus casus est quando aliquis occidit aliquem puta furem pro defensione rerum suarum cum moderamine &c.

Circa primum casum dubitant DD. an liceat occidere inuadentem ex intentione pro defensione vitæ propriæ, an vero tantum defendere vitam propriam etiā si per accidens ex tali defensione occidatur inuadens?

D. Thom. 2. 2. q. 64. ar. 7. tenuit secundum cum Caet. & Abulensi, vt dicit Nau. in Man. c. 15. nu. 2. sed Dominicus Sotus l. 5. de iure, & iure q. 1. art. 8. & Nau. loc. cit. cum communiori DD. opinione tenuerunt primum, quia licet vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ, imo dicit Nau. & Caiet. l. cit. quod licet præuenire aggressorem, & eum occidere antequam aggrediatur quando certū est eum esse aggressurum, & non esse spē euadendi ab eius manibus; exemplum dat de muliere, quæ clausa in cubiculo certo existimans se occisam iri à marito pugione posito sub ceruicali, quæ si dormit maritus potest, vt ipse ait, pugione ipso occidere maritum dormientē, si nō datur alia spes euadendi malum; non esset tamen licitum interposita mora aggredi eum, qui iurauit occidere, ne occidat, quia possunt esse alij modi euitandi mortem, vt occultando se; & quia sperandum est interposita mora inimicum forsan esse mutaturum propositum.

Circa secundum casum notandum est quod quamuis licitum sit occidere inuadentem pro defensione proximi, incurritur tamen propter hoc irregularitas, vt dicit Nau. nu. 2. supra citato; non ita in primo casu.

Circa

Circa tertium casum dubitant DD. utrum miles strenuus, si eum aggrediatur homo vilis, possit sine peccato eum occidere cum possit fugere. Communior opinio est, quam sequitur Nau. c. 15. cit. quod potest eum occidere, quia licet id non faciat ad defendendam vitam cum moderamine &c. id tamen potest facere ad defendendum honorem cum moderamine &c. si aliter honorem suum defendere non posset, nam fugere esset illi magnum dedecus. Item propter defensionem honoris potest mulier occidere volentem ipsam opprimere si alter clamore, vel alia via non potest oppressionem evitare; imo & maritus ipse, seu Pater, aut filius ipsius, vel alius proximus, saltē consanguineus pro defensione honoris domus suæ posset volentem opprimere occidere, si aliter mulierem ab oppressione defendere non potest, non ita tamen posset in conscientia maritus vxorem adulteram, vel adulterum repertum in adulterio occidere, licet non puniretur pœna exteriori fori Canonici, vel secularis, vt alias dixi.

11 Circa quartum casum est controversia apud DD. vtrum pro defensione bonorum fortunæ tantum liceat furem occidere?

Panorm c. 2. de homicidio negat primo quia homo debet magis amare vitā proximi, quam bona propria exteriora, secundo quia in eodem cap. 2. excusatur à peccato ille, qui se suaque defendendo occiderit cum moderamine &c. & non ille, qui sua tantum.

Nau. in Man. c. 15. num. 2. cum multis, quos citat dicit licitum esse occidere furem etiam pro defensione bonorum tantum; alii dicunt licitum esse occidere furem si se telo defenderit, quia tunc defenditur res, & vita simul. Sed dicēdum est cum Nauarro.

Et ad rōnem primā Panormitani dicēdum est, quod charior debet esse vita proximi, quā bona propria, & propterea debemus exponere bona propria pro vita proximi, sed tantum in casu necessitatis sub pœna peccati, vnde si fur qui furatur, furatur vt subueniat sibi existenti in extrema necessitate non possum eum occidere, imo teneor ei donare quod furatur. Ad secundam rationem respondeo quod illud, qui, intelligendum est disiunctiuè, atque hæc de casibus dictis.

12 Ex prędicta regula generali quod videlicet est peccatum mort. occidere sine publica auctoritate infertur quod sēper est peccatū mort. occidere seipsum quia nullus potest habere auctoritatem supra vitam propriam, cum nullus possit esse sui ipsius iudex. Similiter nullus potest sine peccato mort. seipsum in aliquo casu mutilare, aut vulnerare, sed tantum uerberare pro castigatione carnis, & ad peccatorum satisfactionem, & hoc moderatè.

13 Atque ex hac illatione multa alia inferri possunt.

Et primo quod excepta causa infirmitatis nullus potest seipsum mutilare.

Et dixi excepta causa infirmitatis, quia vt dictum est, licitum est abscindere mēbrum putridum ne totum corpus infectetur, & licitum est castrare se ad sanitatem tuendam, non autem ad seruandam castitatem, nam ut dicunt omnes DD. si quis ad seruandum castitatem hoc faceret peccaret mort. quia vt dicitur nu. 23. q. 5. capitulo, non enim licet, nullus est dominus membrorum suorum, & ideo Sylu. in v. homicidium primo notat Origenem peccasse, qui vt refertur in historia Ecclesiastica castrauit se, ut absque periculo posset in domibus mulierum concionari.

Sed dicet hic aliquis licitum est perscindere membrum ad tuendam uitam corporalem, ut membrum putridum, ergo ad tuendam uitam spiritualem?

Respon. quod non est par ratio quia sine præcisione membri interdum vita corporalis non potest saluari, sed sine præcisione membri semper vita spiritualis potest saluari nam nullum est peccatum nisi uoluntarium.

14 Secundo infertur quod nec licet alicui occidere seipsum desiderio melioris uitæ, seu fęlicitatis cōsequendę, sicut ut dicit D. Aug. primo de Ciuit. Dei, fecit quidem philosophus nomine Theombrocus, qui lecto Platonis libro de immortalitate animæ se occidit, quia ut

bene

benedicit D.Th.2.2.q.64. transitus mortis non debet subesse voluntati hominum.

Tertio infertur quod nec licet occidere seipsum ad euadendas miserias vitæ præsentis,vt fecit Architophel.l.2. reg. c.12. & Saul. primo Reg c. vlt. & alij multi,quia vltimũ terribilium est mors, vt dicitur Ethic. 3.

Quarto infertur quod nec licet seipsum occidere propter peccatum commissum,vt fecit Iudas, tum quia subtrahit sibi tempus pœnitentiæ, qua posset peccata delere, tum quia, vt diximus nõ licet malefactorem occidere sine publica auctoritate.

Quinto infertur quod neque ad euitandum alterius peccatũ,sicut fecit quædam mulier nupta, vt refertur in histor. Ecclesiastica, quæ cum solicitaretur à Diocletiano Imper. cui maritus resistere nequiret, se occidit,quia licet sit exponenda vita corporalis pro salute vitæ spiritualis alterius in casu necessitatis; nõ licet tamen extra casum necessitatis, nec vllus debet in se admittere crimen maius idest homicidiũ, vt vitet alienum minus idest fornicationem, vel adulterium.

Sed dicet aliquis, Samson se occidit tamen habebatur pro sancto, & nunc habetur?

Ad hoc resp. D. Aug. vt refertur 23.q. 5. capitulo si non licet quod Samson id fecit instinctu spiritus sancti, sicut & fecerunt quędam mulieres,vt dicit D. Aug. quę se occiderunt tempore persecutionis, quarum memoriam sancta Ecclesia celebrat, & quę similiter motæ sunt à spiritu sancto.

Secundo dicet quis Razias 2.Machab. c.14. laudatur,qui tamen se occidit?

Ad hoc resp. ex D. Tho. q. cit. quod Razias laudatur ratione zeli legis, non ratione mortis.

Tertio Dicet quis D. Hier.vt refertur 23. q. 5 capitulo,non est nostrũ si in persecutionibus,inquit, non licet mihi propria perire manu absque eo vbi castitas periclitatur.

Resp. quod secundum gl. particula absq; legitur inclusiuè quasi dicat quod nec in istis,in quibus magis videtur,licet se occidere, & sic ponitur in sacra scriptura in Cantic. vbi dicitur pulchræ sunt genæ tuę absque eo, quod intrinsecus latet.

15 Tertium caput propter quod peccatum mort., est occidere hominem est ex parte modi occidendi quando videlicet occiditur nocēs, seu maleficus per potestatem publicam sed non seruato iuris ordine; & hinc sunt rei homicidij occidentes veneno,vel alio modo demandato dominorum non citatos, neq; damnatos,quoniam scientia,& potestas, vt dicit Caiet. in summ. v. homicidium pari passu debent currere, hoc est quod oportet publicam potestatem moueri à scientia publica.

Et notandum est quod scientia publica non habetur nisi tripliciter, scilicet vel ex propria confessione iudiciali, vel ex probatione iudiciali, uel ex notorio facto,ex quo non damnantur Iudices,qui repertos in flagrãti crimine notorio statim suspendi iubēt;interuenit si quidem ibi notorium factum loco accusatoris, & testis, facitque publicam scientiam.

Sed hic notandum est, vt supra dixi, quod ea quę dicta sunt de homicidio sũt etiam intelligenda eodem modo de mutilatione, debilitatione, vulneratione, & verberatione,nullus enim sine peccato mort. potest alium, vel seipsum sine peccato mortali mutilare &c. seipsum quidem in nullo casu,alium vero nisi sit nocens & sit scientia, & potestas publica: Excipiuntur tamen omnes illi casus, de quibus diximus circa homicidium; excipitur etiam verberatio moderata, quando quis verberat seipsum ad domandam carnem, vel dominus verberat seruum,aut Pater filium,uel maritus vxorē, aut magister discipulum correctionis gratia,& si puer, aut homo alium verberabit, si verberatio est parua excusatur propter paruitatem [illegible] à mortali, quia parum pro nihilo reputatur &c.

CAPVT II.

De homicidio, quod fit casu, vel præter intentionem.

1 *Quodnam dicatur homicidium Casuale, vel præter intentionem.*
2 *Dans operam rei licitæ, an peccet aliquem occidendo, vel mutilando.*
3 *Quomodo fit reus homicidij, qui dat operam rei illicitæ.*
4 *Quid si detur opera rei licitæ, sed non adhibeatur debita diligentia?*
5 *Constitutio Ecclesiæ Mediolanensis contra mulieres tenentes puellos in lecto absque debita cautione.*
6 *Qualiter fiat abortus in mare, & in fœmina.*
7 *Omnis qui dat aliquo modo causam homicidio, fit reus homicidij.*
8 *Possintne occidi ministri Iustitiæ ad fugiendas illorum manus.*

1 PRænotandum est quod illud homicidium dicitur fieri præter intentionem, quod nascitur ex opere, quod aliquis facit non hoc fine, vt inde homo occidatur, quod cum multipliciter euenire soleat, & propterea fere infiniti sint casus decidēdi, pro eorum resolutione ponuntur à DD. tres regulæ, seu propositiones, in quibus quod determinatur de occisione hominis intelligendum est etiam de mutilatione quātum ad peccatum, & irregularitatem; & de debilitatione, vulneratione &c. quantum ad peccatū tantū, vbi ex vulneratione, & debilitatione non oritur irregularitas sicut ex occisione, & mutilatione.

2 Prima propositio, si aliquis facit opus licitum, seu vt dicunt DD. dat operā rei licitæ, & adhibet debitam diligentiam ne ex tali opere homo occidatur, aut mutiletur &c. non peccat, neq; est irregularis etiamsi inde homo occidatur, mutiletur &c. seu aliquod graue damnum accipiat, vt prout exemplificāt DD. si aliquis reficit tectū componendo tegulas, & apponit consuetum signū monens transire volētes ne inde trāseant propter periculum, per signū illud nō peccat si aliquis audax transire volens transeundo offendatur aliqua tegula, uel ligno &c. quæ proijci solent ex simili opera.

3 Secunda propositio si aliquis dat operā rei illicitæ, seu facit opus sibi illicitū, & adhibet diligētia ne inde nascatur hominis occisio, si sequitur hominis occisio vel mutilatio peccat mort. & est irregularis; & si sequitur tantum vulneratio &c. peccat mort., ut si aliquis vt dormiat cū meretrice tectū ascendit etiam admonens eos, qui sunt in platea vt recedant ne tegulis offendantur, si cadant, & tamē cadit tegula super caput alicuius propter quod moritur, uel vulneratur talis propter quem &c. fiet irregularis.

Similiter si quis dormiat cum meretrice nesciens eam esse prægnantem si inde sequatur abortus, & fœtus erat animatus aīa rōnali, peccat mort. & est irregularis. eodem modo si sciebat eā esse prægnantem, & adhibuit debitā diligentiā ne fieret abortus, sed tamen factus est abortus, & fœtus erat animatus anima rationali.

4 Tertia propositio si aliquis facit opus licitū idest dat operā rei licitę, sed nō adhibet debitam diligentiam ne ex tali opere aliquis offendatur peccat mortal. & est irregularis, si ex tali opere aliquis occiditur, uel mutiletur &c. vt si quis in media platea sagitta vellet occidere auem, & tāgeret hominem ita ut moreretur: similiter si quis coniugatus accedit ad vxorem prægnantem, & non adhibeat debitā diligentiam ne inde sequatur abortus, & tamē sequitur abortus: & si mulier ponit puerum in lecto, & non adhibeat debitam diligentiam ne suffocetur.

5 Sed pro pleniori notitia notandum est ex dictis postquam cecidimus in sermonem de peccatis, & de abortu, quod quantum ad pueros tenellos antequam perueniant ad ætatem anni unius completi, est constitutio Prouincialis Concilij Mediolani, per quam sunt ipso facto excōmunicatæ mulieres, quæ tenent eos in lecto, in quo ipsę sunt absq; præscripta

quadam

quadam cautione, quæ continetur in eadem constitutione, & hoc manifestum est, sed est etiam aduertendum quod non tantum nutrices, aut matres incurrunt in dictam excommunicationem, sed etiam aliæ mulieres, & uiri, qui reperiuntur in eodem lecto scienter, quando nutrix, uel mater tenet filium, uel etiam si ipsi teneant filium sine Matre, uel nutrice.

6 Quantum ad abortum notandum est quod ut dicunt pilosophi nõ statim post conceptionem inducitur in fœtum anima rationalis, sed primo organizatur & post organizationem statim inducitur anima rationalis, & hæc organizatio in masculo, ut dicunt dicti Philosophi fit spatio 40. dierum à tempore conceptionis, & in fœmina spacio 80. dierum, si ergo aliquis procurat abortum, uel ex intentione dando pharmacum, aut accipiendo, uel casu dando operam rei illicitæ, aut non adhibendo debitam diligẽtiã, & fœtus erat animatus anima rõnali peccat mort., & fit irregulariter, sed si fœtus nõ erat animatus anima rationali peccat mort., sed non est irregularis, & si est dubitatio, an fœtus esset animatus anima rationali necne, quantum ad conscientiam iudicandum est quod esset animatus quia tutor pars est eligenda in cõsciẽtia, licèt Iudex in foro exteriori, in quo pœnæ sunt restringende debeat iudicare contrarium. Similiter si est dubium an ex opere aliquo secutus sit abortus necne. Sed si alias tẽtat abortum qui non sequitur, est peccat mort. sed nõ est periculum irregularitatis.

7 Notandum etiam est quod non tantum ille, qui est executor occisionis hominis, aut mutilationis &c. peccat mortal. sed & omnis ille, qui iniustæ occisionis hominis, uel mutilationis est causa, & reducitur ad aliquam particulam ex his, quæ cõtinentur in his duobus uersib.

Iussio, consilium, consensus, palpo recursus,
Participãs, mutus, nõ obstãs, nõ manifestãs.

qui fuse explicati fuerunt vbi de restitutione egi, nã qui iubet, seu præcipit iniustã hominis occisionẽ &c. peccat mort. tã si sequitur affectus, qua si nõ sequitur; & si sequitur effectus præter peccatum mortale tenetur ad restitutionẽ dãnorũ, quæ patiuntur filii occisi: & si quis nõ manifestat uolentem occidere &c. & propterea sequitur occisio, vel mutilatio &c. peccat mort. etiam si non teneatur ex officio, seu de iustitia, & si tenetur ex officio præter peccatũ mort. tenetur ad restitut. &c. & hinc est quod non tantum ille qui dicit testimonium falsum propter quod occiditur &c. homo peccat mort. sed & ille, qui non uult dicere uerum, ut homo liberetur à morte: & si tenetur dicere uerum ex officio puta quia uocatus est in testem, & non uult dicere, facit contra charitatem, & iustitiam, & propterea peccat mort. & tenetur ad restitut, sed si nõ tenetur ex officio, facit cõtra charitatem tantum, & eius peccatum est potius contra quartum, quam contra quinctum præceptum.

Idem dic de non obstante, nam qui non defendit uitam proximi existẽtis in extrema necessitate peccat mort. & tenetur ad restitutionẽ, si tenetur eã defendere ex charitate, & iustitia, ut si est Princeps, Iudex, Aduocatus, uel alter officialis ad hoc deputatus; & peccat mortal. si tantum tenetur ex charitate.

8 Sed hic est dubitatio utrum possit sine peccato occidere ministros iustitiæ, aliquis, ut ab eorum manibus euadat, maximè si est periculum uitæ?

Resp. cum Nau. in man c. 15. num. 8. quod non, si iuste capitur, uel detinetur, quia quæcunque uis est iusta resistentia est iniusta; atq; hæc de homicidio dicta sufficiant, uerum ut perfectus ex omni parte fit tractatus aliqua dicenda sunt de homicidio spirituali, quod impropriè dicitur homicidium, idest de scandalo quo homo occiditur non quantum ad corpus, & ad uitam temporalem, sed quantum ad animam, & uitam spiritualem.

De

De ſcandalo.

Quid ſit ſcandalum.
Scandalum quotuplex.
Scandalum an ſit peccatum.
Scandalum quale peccatum.
Debeatne quis omittere opera bona, ne alius ſcandalizetur.

PRimo quæritur, quid ſit ſcandalum?

Reſp. cum D.Th.2.2.q.47.ar.1.quod dictum,vel factum minus rectè præ- .s alteri occaſionem ruinæ, quod & :itur minus rectè,quia ad hoc, quod .tum, vel factum dicatur Scandalum n requiritur neceſſario, vt ſit peccam,ſeu actio de ſe mala ſed ſufficit vt beat ſpeciem mali,ſic D.Thom.2.2.q. :ata.

Secundo quæritur quotuplex ſit ſcanlum?

Reſp.quod eſt duplex, actiuum, & .ſſiuum,ſcādalum actiuum eſt dictum, .l factum minus rectum, quod alteri .bet occaſionem ruinæ, vel per ſe,vt .m aliquis facit aliquid,vel directè,vt .ium inducat ad peccādum,vel per accidens,vt cum aliquis facit,vel dicit ali .id,non vt inducat alium ad peccan- .m,ſed propter alium finem, quod ta- .ē de ſua natura eſt inductiuum ad pec .ndum,vt cū prælatus, vel alius publi- : peccat,vel actum minus rectū facit.

Scandalum paſſiuum eſt cum quis ac- .ipit occaſionem peccandi ex ſilio, vel .icto alieno,vnde vt bene dicit D.Tho. .cit: aliquando eſt ſcandalum actiuum ne paſſiuo, aliquando paſſiuum ſine .ctiuo,& aliquando actiuū cum paſſiuo.

Tertio quæritur,an ſcādalū ſit peccatū?

Reſp. quod ſcandalum paſſiuum eſt .eccatum in eo, qui ſcandalizatur,nam :andalum eſt ruina ſpiritualis;ruina au .em ſpiritualis eſt ipſum peccatū;& acti .um eſt peccatum in eo qui ſcandalizat, .am ſemper eſt dictum,vel factū, quod .ſt vel per ſe malū,vel habet mali ſpe- .iem, & dicit D. Pau. in 1. ad Theſal. .ap. vlt. ab omni ſpecie mali abſtinere .os.

Quarto quæritur, an ſcandalum ſit .eccatum mortale,an vero veniale?

Reſp. quod ſcandalum paſſiuum tunc eſt peccatum mort. quando qui ſcandalizatur accipit occaſionē peccandi mortal.,tunc vero veniale quando accipit occaſionem tātum peccādi venialiter, ideſt quando tantum peccat venialiter.

Scādalum vero actiuum tunc eſt peccatū mort.quando vel damnatum eſt actus qui eſt pēccatū mort. vt ſi quis palā committit adulteriū, vel licet ſit actus bonus tamen efficitur, vt alter peccet mort. vt ſi quis det eleemoſinam pauperi mulieri, vt conſentiat in fornicatione:vel quando eſt actus,ſiue bonus, ſiue malus ſecundum ſe, qui tamen ſecundū ſe eſt inductiuus ad peccatum mortal. tunc vero ſcandalū actiuum eſt peccatū tantum veniale, quādo de ſua natura nō eſt opus quod ſit peccatum mort.nec ſit vt detur alteri occaſio peccat mort. nec de ſua natura eſt actus ad inducendum alium ad peccatum mortale.

Notandum eſt quod ſcandalum paſſiuū quod eſt ſine actiuo maximè ſi nō eſt ex infirmitate, vel ignorantia ſed ex malitia,dicitur Phariſaicum à DD. quia Phariſei ſcandalizabantur ex operibus Chriſti,quæ non habebant ſpeciem mali, & ex quibus debebant accipere occaſionē ædificandi ſe, & non poterant accipere occaſionem peccandi niſi ex praua ſua diſpoſitione,& malitia.

5 Quinto quæritur, vtrum aliquis debeat omittere opera bona ne alius paſſiuè ſcandalizetur?

Ad hoc reſp.Summiſtę in ſum. ſuis, & D. Th. 2. 2. q.43.quod propter ſcandalum alterius nullus debet omittere opera bona neceſſaria ad ſalutē propriam, vt eſt obſeruatio mādatorum Dei, quia nullus debet peccare ne alter ſcandalizetur, vnuſquiſque enim potius debet habere curam ſalutis ſuæ, quā alterius, vt dixi in parte antecedenti; ſi vero non ſunt opera neceſſaria ad ſalutē propriā,licet non ſint omittenda omninò ſunt tamen occultāda, vel retardanda, ne ſcādalū alter patiatur ex eis,ſi ſcādalum oritur ex eorū infirmitate,vel ignorantia,donec doceantur veritatē; ſecus ſi ſcandalū oritur ex malitia;atq; hæc de ſcādalo & tota hac parte dicta ſufficiāt.

PARS SEPTIMA.

De sexto Decalogi præcepto.

De non Mœchando.

LIcet in prima parte huius tractatus in enumeratione præceptorum Decalogi, Secutus vulgatam enumerationem eorum, quæ incipit vnum cole Deum antepofuerim præceptum de non furando, præcepto de non Męchando; quoniam tamen Exodi 20. vbi enumerantur præcepta Decalogi, & apud Nauarr. in Manu. & Catechismum Rom. atque Caiet. & Arm. præceptum de non Męchando præponitur præcepto, de non furando, ideo in hac septima parte dicam de præcepto quod est non Męchaberis. diuiditur autem hęc pars in octo capita; In quorum primo dicam in communi de peccato luxuriæ prout est inordinatus venereorum appetitus, & in alijs septem in particulari dicam de singulis luxuriæ speciebus.

CA-

CAPVT I.

De luxuria in communi.

1 *Quid veniat nomine luxuria.*
2 *Quot sint species luxuria.*
3 *An qualibet species luxuria sit peccatum mortale.*
4 *An solum ipsa copula carnalis in dictis speciebus sit peccatum mortale.*
5 *Desideria actuum impudicorum sunt eiusdem speciei cum ipsis actibus.*

1 IN hoc capite primo quęritur, quot modis accipiatur nomen luxurię? Resp. cum D. Thom. 2 2. q. 153. quod duobus modis, primo strictè, vt est dissolutio circa voluptates venereas, secundo large, vt dicit quamlibet superfluitatem. Hic accipitur tantum primo modo, quoniam sexto Decal pręcepto tantum prohibetur peccatum luxuriæ, quæ est inordinatus venereorum appetitus.

2 Secundo quæritur quot sunt species luxurię?

Resp. cum D. Thom. 2. 2. q. 154. quod sunt sex prima secundum quam solutus peccat cum soluta, & dicitur fornicatio simplex.

Secunda, secundum quam coniugatus peccat cum coniugata, vel coniugatus cum soluta, vel è contra, fit & dicitur adulterium.

Tertia secundum quam persona peccat cum alia consanguinea sua, vel affine, & dicitur incestus.

Quarta secundum quam quis illicitè defloratvirginem existentem sub cura parentum, & dicitur stuprum.

Quinta quando puella violenter contra eius, vel parentum voluntatem ab aliquo rapitur, vt ea abutatur, & dicitur raptus, etiamsi non sit virgo.

Sexta est actus venereus, qui non solum repugnat rectæ rationi, quod est cōmune in omni vitio luxuriæ, & alio peccato, sed etiam ipsi ordini naturali venerei, qui conuenit humanæ speciei, & dicitur vitium innaturale, quod subdividitur in plures alias species, quas vide apud DD.

Potest addi & septima, quæ dicitur sacrilegium, & est cum quis peccat cum persona sacra, sed eam non connumerauit D. Thom. loc. cit. quia sacrilegium non solum pertinet ad luxuriam, sed etiam potest reperiri in alio genere peccati puta furti, cum quis rem sacram furatur, & homicidij cum quis occidit personam sacram.

3 Tertio quæritur, an quælibet ex dictis speciebus sit peccatum mortale.

Resp. affirmatiuè secundum communem DD. opinionem, & huius rei affert multas auctoritates sacræ Scripturę Catechismus Romanus in præcepto non Męchaberis, ex quibus apertè probatur quod fornicatio etiam simplex est peccatū mort., & contrarium asserere esset hæreticum, vt determinauit Concil. Viennense prout refertur Clementina ad nostrum, de hæreticis; neque ignorantia iuris excusat ab hoc peccato, vt si quis putaret non esse peccatum mort. hanc copulam cum publicis meretricibus, esset enim hæc ignorantiam crassa iuris naturalis, & diuini adeo manifesti, vt nullatenus excusare possit, vt dicitur capitulo ignorantia de regulis Iuris in sexto; sed ignorantia facti excusare potest à peccato mort. ut si quis dormiret cum aliqua quam putaret esse suam vxorem, quæ tamen nō est propter aliquod impedimentum sibi occultum aut minæ mortis, vel infamiæ, neque pudor vociferandi ab hac culpa mortali, ut bene dicit Nau. in man. c. 16. num. 1. sed sola excusaret vis absoluta, qua aliqua mulier sine ullo consensu cogeretur adulterari, uel fornicari &c. nam si daretur mulier, quæ semper animo huiusmodi obscenæ voluptati contradiceret, non peccaret si absolutè cogeretur, imo si esset uirgo non perderet propter hoc uirginitatem saltem quoad Deum, ut Beata Lucia Virgo, & Martyr respondit Paschasio in hæc uerba, si me feceris inuitam uiolari castitas mihi duplicabitur ad coronam; Ita D. Thoma. 2. 2. q. 64. a. 4. & hoc inquit Nau. loc. cit. procedit etiamsi talis Virgo, uel mulier de actu ipso aliquam delectationē perciperet, dummodo neque in actum ipsum, neque

in delectationem consentiret, nam talis delectatio non esset voluntaria, sed naturalis; vt esset, esse in medio ignis, & non ardere, vt dixit D. Greg. & refertur capitulo vir cum propria 33. quæst. 4.

4 Quarto quæritur, an solum ipsa copula carnalis in prædictis speciebus sit peccatum mortale?

Resp. quod non tantum ipsa copula carnalis in prædictis speciebus est peccatum mort. sed etiam omnis impudicitia, quæ habetur actibus, tactibus, osculis, seu amplexib. libidinosis idest propter veneream delectationem, vt dicit Caiet. in summ. verb. impudicitia; & hoc verum est etiamsi nullum aliud opus intendatur dicente Apostolo ad Galat. 5. quinto quod impudicitiam agentes regnum Dei non possidebunt. Et notandum est quod huiusmodi actus impudicitiæ sunt eiusdem speciei cuius sunt ipsi actus consumati, ita quod si fiant inter solutos spectent ad fornicationem; si inter sanguine iunctos ad incestum, & sic de aliis. Oscula vero, & amplexus, quæ non fiunt ob veneream delectationem, sed ex beneuolentiæ signo licita sunt nisi generent scandalum. Oscula vero, & tactus, quę fiunt ex leuitate, & iocosè sunt venialia; secundo præter actum cōsumatum, & oscula ac tactus impudicos est peccatum mortale etiam deliberatio, seu propositum perperrandi ipsum actum consumatum, seu dicta oscula, & tactus impudicos iuxta illud Matth. 5. qui viderit mulierem ad concupiscendam eam iā mœchatus est in corde suo; & omnes DD. dicunt quod tale peccatum deliberationis est eiusdem speciei cum ipso opere exteriori, vt referr Syl. in summa verbo luxuria § 2. & ideo circunstantia personæ etiam in deliberatione, & proposito est confitenda, licet id falso negauerit Angelica; demum pręter actum consumatum, oscula, & tactus impudicos, & propositum talia cōmittēdi, delectatio morosa in similibus est peccatū mort. modo sit cum deliberatione delectandi se etiamsi sit sine deliberatione, & proposito committendi actum exteriorem malum, vt si quis deliberatè delectatur de adulterio cogitato committit peccatum adulterij, etiamsi non habeset intentionem committendi adulterium in actu exteriori iuxta ea, quæ diximus de delectatione morosa in prima parte huius Tractatus Decalogi.

CAPVT II.

De Fornicationis peccato.

1 *Fornicatio quot modis accipiatur.*
2 *Fornicatio simplex an sit semper peccatum mortale.*
3 *In lege veteri an fornicatio esset peccatum.*

1 IN hoc capite primo, quæritur, quot modis sumatur nomē fornicationis.

Resp. quod tribus modis, primo communissime prout significat separationē mentis à delectatione diuina, vt adhæreat cuique alteri delectationi illicitę, & hoc modo omne peccatū potest dici fornicatio quædam spiritualis, & hoc modo sumitur Hier. 3. in illis uerbis. Tu autem fornicata es cum amatoribus; secundo nomen fornicationis accipitur coniunctè prout significat quamlibet delectationem veneream illicitam, vt accipitur causa 32. q 4. capitulo meretrices; tertio modo accipitur fornicatio propriè prout est quædam species peccati luxuriæ ab aliis speciebus distincta quæ est copula carnalis, quæ committitur inter solutum, & solutam. Et notandum hic est, vt notāt Summistæ in verbo luxuria, & Nau. in Manuali capite 16. & ante illos D. Thom. 2. 2. q. 154. quod per solutum, uel solutam hic non intelligitur tantum illa persona, quæ non est cōiugata idest qui est soluta vinculo matrimonij, sed etiam illa, quę est soluta vinculo voti, uinculo affinitatis, & vinculo cōsanguinitatis, sicut enim persona quę est coniugata si habet copulam cū alia non committit simplicem fornicationem, seu fornicationem propriè sumptam, sed adulterium nisi persona illa sit coniux; ita persona quæ vouit castitatem si peccat cum alia persona peccato

ò carnis non committit fornicationem propriè sumptam, sed sacrilegium, seu ut dicit D. Thom. adulterium.

Similiter si quis peccat cum consanguinea, uel affine non committit simplicè fornicationem, sed incestum; quæ autem persona dicatur consanguinea, uel affinis dictum est vbi de Matrimonij Sacramento.

Secundo quæritur, an fornicatio simplex sit semper peccatum mortale?

Ad hoc responsum est in capite antecedenti affirmatiuè, nam probauimus in eo omnem speciem luxuriæ esse peccatum mort., imo & probauimus hæreticum esse illum qui pertinaciter contrarium assereret.

Sed hic dicet quis Oseæ cap. 5. præcepit dominus Oseæ, ut acciperet mulierē fornicatiam, & ex ea filios generaret; ergo fornicatio nō videtur peccatū mort. Deus enim nunquam præcipit alicui, vt committat peccatum.

Ad hoc resp. D. Tho. 2. 2. q. cit. art. 2. quod Oseas nō peccauit habendo rem cum muliere fornicaria, quia nullus peccat faciēdo id, quod Deus præcipit, sicut non peccauit Abraham quando uoluit occidere filium suum innocentem quia Deus præceperat illi, ut eum occideret, non enim potest esse peccatum id, quod fit ex Dei præcepto. Alij DD. dixerunt Oseam de præcepto Domini accepisse in uxorem mulierem fornicariam, ut ex ea filios generaret.

Secundo dicet quis Abraham, & David, & alij multi Patriarchæ, & uiri sancti testamēti ueteris habuerūt copulam carnalem cum ancillis suis, & concubinis, ergo fornicatio simplex imo neque adulterium est peccatum?

D. Aug. ut refertur qu. cit. causa 32. dicit tales excusari propter instinctum spiritus sancti.

D. Tho. Sotus, & alij DD. ut dixi in tractatu de Matrimonio dicunt quod permissum est, & concessum in Testamento veteri sāctis patribus, ut haberēt plures vxores, quarum nonnullæ erant principales, aliæ uero secundariæ, quæ tamen nunquam dicebantur cōcubinæ, uel erant ancillæ, atque hæc &c.

CAPVT III.
De Adulterio.

1 *Quid significet nomen adulterij.*
2 *An adulterium sit maius peccatum, quam fornicatio.*
3 *Adultera si non possit aliter satisfacere hæredibus legitimis, an teneatur propalare adulterium suum.*
4 *Quid de illis, qui exponunt spurios in ianuis Ecclesiarum, vel ad Xenodochia.*

1 Primo quæritur quid significent nomen adulterij?

Resp. cum communi DD. interpretatione, quod adulterium dicitur quasi accessio ad alterius thorum; & huius sunt quatuor species; prima est quando coniugatus ad coniugatā alterius accedit, & hæc dicitur adulterium duplex. Secunda est quādo solutus accedit ad solutam, & hæc dicitur adulterium simplex. Tertia est quādo coniugatus accedit ad coniugatam, & hęc etiam dicitur adulterium simplex. Quarta est quando quis accedit ad propriam uxorem affectu fornicario itaut ea utatur tamquam meretrice.

2 Secundo quæritur, an adulterium sit maius peccatum quam fornicatio?

Ad hoc resp. oēs DD. affirmatiuè, quia in adulterio præter peccatum commune carnis fit iniuria personę coniugatæ, & est periculum incertitudinis prolis.

Sed hic est magna inter DD. quæstio, ad quid teneantur adulter, & adultera qñ adultera generat filiū ex adulterio?

Caiet. in sum. v. adulterium, Nauar. in Man. c. 16 & alij DD dicunt quod adulter & si ipse non pōt, uel non vult, adultera tenetur satisfacere hæredibus, qui successissent in hæreditate marito adulteræ pro damno illis dato pp adulterij.

3 Sed difficultas est, an adultera si aliter non pōt satisfacere hæredibus legitimis teneatur propalare adulteriū suum?

Ad hoc iuxta doctrinā DD maximè Caiet. in sum. l. cit. dico 1. quod si ex manifestatione adulterij nulla est spes satisfaciēdi legitimis hæredibus, aut marito pro expēsis, quæ fiant circa filium illegitimū, non tenetur adultera manifestare adulteriū, quia frustranea esset talis manifestatio.

Dixi

Dixi secundo quod si esset spes satisfa ctionis alicuius ex manifestatione tali, & posset adultera id manifestare absq; detrimento, & periculo vitæ suæ aut honoris, teneretur manifestare, vt si Maritus consensisset in adulterium, & ipsa posset probare filiũ esse natum ex adulterio, vel quia maritus quando concepit erat infirmus, vel absens &c. & demum si sciret maritum debere credere illi.

Dico tertio, quod si non posset manifestare adulterium absque periculo vitę suę, aut honoris, non teneretur illud manifestare quia non sunt exponenda periculo bona vitæ, aut honoris, ut satisfiat pro bonis fortunæ, quæ sunt inferioris ordinis.

Dico quarto, quod mulier deberet tẽtare viam ex quibus posset filium illegitimum inducere ad religionem; intelligendo, ut rectè dicit Nau. aliquam religionem ex illis, quæ non possunt hæreditatem capere nisi prius filius illegitimus ante professionem renunciaret hæreditatem filijs legitimis.

Dico quinto, quod Mater tenetur dicere filio illegitimo veritatem si nõ est periculum vitę, aut famę, & credit quod filius credet ei, & propterea hæreditatem relinquet.

Dico sexto quod filius non tenetur credere Matri dicenti eum esse spurium nisi mater probet, puta vel quia Pater quãdo genitus est erat infirmus, uel absens, aut alio modo, vnde apud DD. vt videre est apud Sylu. in summ. ver. adulterium, reputatus est stultus filius qui reliquit regnum quia credidit Matri dicenti eum esse spurium.

Dico secundo, quod si filius crederet Matri teneretur relinquere hæreditatem.

Dico vltimo quod Mater si habet aliqua bona, quæ potest filijs relinquere pro suo arbitrio, debet ea relinquere legitimis, si habet illegitimos, qui existimentur legitimi, & ideo succedant in hæreditatem Patris putatiui cum legitimis, & si id potest facere Mater sine detrimento honoris sui, vt hoc modo aliqua ex parte satisfaciat legitimis.

Vltimo quæritur, quid de illis qui mittunt spurios ad Xenodochia, vel exponunt in ianuis Ecclesiarum, aut locis publicis, vt ad illa transportentur?

Ad hoc resp. Caiet. loc. cit. & alij sum. quod mittere filios spurios ad hospitalia ad occultandas fornicationes, seu adulteria non est peccatum, quia hospitalia in quibus aluntur tales filij ad hoc instituta sunt; sed peccat mort. adulter, vel adultera non satisfaciendo hospitali pro impensis si esset diues, quia hospitalia quãtum ad eleemosinam instituuntur pro pauperibus, non pro diuitibus.

Notandum tamen est quod exponere tales paruulos statim natos in ianuis &c. cum periculo mortis eorum est peccatum mortale, & maximè si nõ essent baptizati, quomodo autem tales sint baptizandi à parocho, in cuius Parochia inueniuntur, vel à sacerdote hospitalis præfecto dictum est vbi de Baptismo.

CAPVT IV.

De Incestu.

1 *Incestus quid sit.*
2 *Quomodo incestus dirimat matrimonium.*

1 Incestus committitur, vt dixi ab eo, qui copulã habet cum consanguinea, vel affine sit, & quomodo incestus; sit impedimentum matrimonij non dirimens illud, dictum est vbi de matrimonio.

Quomodo autem affinitas orta ex copula carnali dirimat matrimonium dictum est etiam vbi de matrimonio.

2 An maritus qui habet rem cum consanguinea vxoris possit petere debitum ab vxore dictũ est ibidem, si enim ante matrimonium habuit rem cum cõsanguinea uxoris, matrimonium est nullum; & si peteret, aut redderet debitum ei, quam uocat vxorem, peccaret mortaliter peccato fornicationis, & incestus, si illa consanguinea erat in primo uel secundo gradu consanguinitatis cum uxore; secus si erat in tertio uel quarto &c.

&c. quia matrimonium propter affi- :atem ortam ex copula carnali illici- dirimitur tantum, si affinitas est in pri ,uel secundo gradu; atque hæc de in- stu, plura uidere ubi de affinitate in ctatu de matrimonio, ut autem in- lus sit impedimentum matrimonij bet esse per copulam consumatam, itum uero ad peccatum incestus suf- it impudicitia, deliberatio, seu pro- situm, aut delectatio morosa &c. ut tum est in primo capite; atque hæc incestu.

CAPVT V.

De Stupro.

Ad quid teneatur stuprator virginis.
Quid de tentante virginem consentientem?
Quomodo in foro exteriori puniatur stuprum.
Quid si importunis precibus virgo tentetur?
Quid si promiserit stuprator se ducturum virginem stupratam in coniugem?

De stupro una sola quæstio decidenda uidetur, an stuprator uir nis teneatur ad aliquid? & dico pri quod dominus Exo. 22. determinauit id si eam seduxit, enetur eam habe- in uxorem si Pater eius uoluerit, & tare; uel saltem dotare, & Deut. 22. :itur quod tenetur Patri; sed quia hæc rtinebant ad præcepta iudicialia ho- non obligāt nisi quatenus Ecclesia, aliqua Ciuitas ea assumpserit tan- am æqua. Ita Syl. in sum. uerb. luxu- § 5. uer.

Dico secundo, quod ille qui deflora- uirginem, uel habuit rem cum ea, æ putabatur uirgo ab omnibus, sine lo, & deceptione ipsius quia illa se id obtulit, uel leuiter rogata consen- ad nihil tenetur in foro conscientiæ rterquam ad pœnitendum, & confi- ndum, & satisfaciendum Deo pro ccato etiāsi uere virgo esset; tū quia scienti, & sponte consentienti non fit iniuria; tum quia leges, quæ obligant ad soluendum aliquid ei, quam deflorauit agunt de decipiente. Et dixi (leuiter rogata) nam si importunis precibus fuit rogata satis dicitur coacta quoad hunc effectum, ut probat Nau. in Man. capit. 16. num. item 16. ex quo desumptum est hoc 2. dictum, & reliqua, quæ sequuntur.

3 Dico tertio quod in foro exteriori huiusmodi deflorator iubebitur eam dotare, & in uxorem ducere, aut dotare, & fustibus cædi, quia uirgo præsumitur seducta, & decepta, quamuis eā inuenisset non incorruptam, & neget eam fuisse incorruptam, nec ipsa tenetur probare se fuisse virginē, satis enim est ei quod ipse nō probet contrarium, nam iure exteriori præsumitur illā fuisse virginem tunc, & deceptam, ut dicit Nauarrus loco cit.

4 Dico quarto, quod ille, qui importunis precibus falsisq; pollicitationibus, sine pollicitatione eam ducendi decepit uirginem, uel reputatam uirginem, in foro exteriori tenebitur ad id qđ diximus, in interiori uero tenebitur ad ducendam eam in uxorem, seu ad faciendum id, quod promisit, uel ad resarciēdum damnum, quod inde illi euenit, aut dandum ei tantum, quanto eget ut talem adipiscatur maritum, qualem manens virgo adipisceretur iuxta arbitriū boni uiri; & aliquid amplius ob uerecundiam, quamtora uita passura est; nō tenebitur tamen ad eam omnino dotandam, quoniam hæc est pœna fori exterioris, quæ non obligat in foro interiori antequam à Iudice imponatur, idest ante condemnationem.

5 Dico quinto, quod si promisit se ducturum eam, siue animo uero, siue ficto ad decipiendam eam, obligatur ad explenda promissa in utroque foro, & multo magis si id iuramento firmauit nisi essent ualde inæquales genere, uel diuitijs, ut si ille esset nobilis, & illa agricolæ cuiuspiam, uel mechanici alterius filia; eo enim casu si ille promisit ficto animo ducere eam præsumi potest eam fingere se esse deceptam; dandum

dum igitur in tali casu esset illi tantum quantum opus habet ad adipiscendum talem maritum, quales adipisceretur nisi esset infamata, uel ad reponendum eam in aliquo loco honesto in quo Dei obsequio uiuat. Idem dicendum esset de eo casu, quo promissio fuit uera, & ex animo facta, sed esset probabile quod ex matrimonio consequeretur aliquod grande scandalum, & is qui promisit existeret in sacris, aut aliam uxorem haberet, aut pater renueret omnino illam ei tradere.

CAPVT VI.

De Raptu.

1 *Quis sit raptus bene quoad quid nominis.*
2 *Quid raptus, & qua pœna raptoris in iure.*

1 Raptor ut dicit Tab. uer. raptor, dicitur tam ille, qui rapit bona interiora alterius, quã qui rapit personã: sed raptor primo modo cũ rapit dicitur committere rapinam; secundo modo dicitur committere raptum.

Rursus ille, qui committit raptum, uel personam rapit ut eam ancillam, & seruam habeat, uel ut in uxorem ducat; uel ut cũ ea copulam carnalem habeat; tantum hic accipimus raptum hoc tertio modo, quia hoc modo tantum est peccatum luxuriæ.

2 Raptus igitur dicitur committi ab eo qui uiolenter habet rem cum aliqua muliere, siue sit coniugata, siue non, & siue sit uirgo, siue non; Et hic per uiolentiam intelligo, tam conditionalem, quam absolutam. Pœna huius raptoris in foro exteriori secundum leges Ciuiles est pœna capitis, & confiscationis bonorum, nisi rapta sit meretrix publica; in foro uero interiori raptor tenebitur eo modo quo supra de stupratore diximus, scilicet ad satisfaciendum raptæ pro damnis illatis, & pro toto damno, quod ex raptu sequitur, & ad pœnitendum de peccato, quod maximum est.

CAPVT VII.

De peccato contra naturam.

1 *Grauitas peccati contra naturam.*
2 *Peccatum contra naturam quale peccatum sit, & qualiter committatur.*

1 Peccatum contra naturam est grauissimum inter peccata luxuriæ, & eius sunt plures species, quarum aliquæ in foro exteriori habent annexam pœnam capitis, & dicunt DD. & uerum est quod propter tale peccatum multoties uenerũt famęs, pestilẽtię, terręmotus &c. & combustę sunt ciuitates integrę cum habitatoribus, ut etiam legitur in sacra Scriptura de ciuitatibus Sodomæ, & Gomorrę.

2 Peccatum contra naturam potest coincidere cum sacrilegio, quia qui facit uotum castitatis committens peccatum contra naturam facit etiam contra uotum, non coincidit tamen cum incęstu quia cũ quis peccat peccato contra naturam cum persona cõsanguinea, uel affine, non committit incæstum, sed peius peccatum, nec inde oritur impedimentum matrimonij, seu affinitas, ut dixi ubi de matrimonio; coincidit tamen cum raptu, quia si quis ui cognoscit mulierem contra naturam, dicetur commisisse raptus peccatum, & contra naturam, quod est maius.

Atque hinc colligitur quod supradictę species possunt inuicem coincidere, & tunc circunstantiæ specierum sunt confitendæ, ut si quis existens in sacris ui cognoscat consanguineam dicitur commĩsisse sacrilegium, raptum, & incestum &c. & tenebitur dicere omnes circunstantias. Et si coniugatus ui cognoscat uirginem dicitur commisisse stuprum, raptum, adulterium, &c.

CA-

CAPVT VIII.

De Sacrilegio.

Sacrilegium quid sit, & quot eius species.
Sacrilegium committitur, aut rem habendo cum persona sacra; aut iniuriã faciendo loco sacro; aut alijs rebus sacris.
Ordo grauitatis inter species luxuriç.

SAcrilegium committitur, cum fit iniuria rei sacrç, & eius sunt tres ecies, ut dicunt Caiet. Tab. & Arm. summis uerbo sacrilegium.

Prima secundum quam fit iniuria per næ sacræ, ut cum occiditur clericus, l habetur copula cum persona Deo crata, & hoc sacrilegium aliquando t duplex, & aliquando simplex; Duex quando utraque persona est Deo crata, ut si sacerdos cum muliere ha:nte votum castitatis rem haberet, & raque circunstantia est confitenda, ut adulterio dupliei dictum est.

Simplex quando altera tantum perso est Deo sacrata.

Secunda species est quando fit iniuriã loco sacro, ut cum quis occidit in Ecclesia aliquem, uel fornicatur in Ecclesia, uel alio modo Ecclesiam polluit committendo peccatum luxuriæ, & cum quis extrahit personam à loco sacro, ad quem cõfugit, ut esset tuta, prçterquam in casibus permissis, quod uide apud Doctores.

Tertia species est cum quis facit iniuriam alijs rebus sacris, ut cum furatur rem sacram, uel cum peccato mortali recipit, aut ministrat sacramenta &c. sacrilegium, ut est species luxuriæ, continetur in prima, uel secunda specie, estque peccatum graue, minus tamen quã illud contra naturam, nisi in eo contineatur.

3 Quod si dicas inter species luxuriæ nominatas qui est ordo grauitatis? Ad hoc respondet Sylu. uerb. luxuria §. ultimo, quòd simplex fornicatio est leuius peccatum, quam cçtera inter peccata carnis, post eam erit stuprum, & sic de reliquis, & hæc omnia possunt grauari sacrilegio, uel raptu sicut & incestus, qui dicitur maius peccatum, quam adulterium, atque hæc de septima parte huius tractatus.

Q PARS

PARS OCTAVA.

De septimo Decalogi praecepto.

Quod est non furaberis.

QVONIAM septimo Decalogi pręcepto prohibetur omnis iniusta acceptio, & detentio rei alienæ, ideo hæc Octaua Pars diuidetur in quatuor principalia capita. In quorum primo dicam de Furto, & Rapina. In secundo, de Fraude, quæ committitur in contractibus. In tertio, de peccato Vsuræ. Et in quarto, de Restitutione.

CAPVT I.

De Furto, & Rapina.

1 *Quid nomine furti intelligatur.*
2 *Furtum, & Rapina quomodo inter se distinguantur.*
3 *Clam accipere rem propriam depositam an sit furtum.*
4 *Possitne serui tute aliquid accipere à dominis, quia salarium conuentum sit tenue.*
5 *An liceat retinere sibi res inuentas.*
6 *Furtum an sit peccatum mortale.*
7 *Quibus in casibus excusetur furtum à peccato mortali.*

1 IN hoc capite primo quęritur quid sit furtum?

Resp.

Resp. quod furtum prout illud defi-
iunt Theologi, vt D.Tho.2.2.q.63. ar.
Dom. Sot. li.5. de Iust. & Iu. q. 3.ar.
Caiet. in com. supra ar.3.cit. D.Tho.
in summa verbo furtum; item Arm.
:rb.furtum, est acceptio occulta rei
ienæ inuito Domino, & hæc definitio
:s continet particulas, quarum prima
t, occulta acceptio; secunda, rei alie-
:; & tertia, inuito Domino.

, Circa primam quæritur secundo;
iomodo furtum, & rapina inter se
stinguantur?

Resp. quod in hoc distinguũtur, quod
rtum est occulta rei alienę acceptio
uito Domino; rapina vero est aperta,
: violenta rei alienæ acceptio; quare
rtum, & rapina tantum in prima par-
cula definitionis inter se distingunn-
ir, &. propterea quæ dicentur de
rto, eadem & rapinæ sunt applican-
a.

Quod si dicas, septimo præcepto pro-
ibetur tantum furtum prout phrasis e-
is signat, legitur enim in eo, Non fu-
iberis, igitur de rapina hic non esset
icendum.

Resp. quod furti nomen potest sumi
uobus modis, vno modo generaliter,
t comprehendit omnem illicitam rei
lienæ acceptionem, & detentionem,
: hoc modo rapina, & non restituere
icitur furtum; & hoc modo intelligitur
lud verbum, non furaberis; alio mo-
o nomen furti sumitur strictè, & pro-
riè, & hoc modo sumptum est nomen
rti, vt supra.

Legistæ, & Canonistæ aliam definitio
em furti assignant, vt Nauar. in Man.
a. 17. quę competit furto communiter
impto.

Circa secundam tertio quęritur, an
lam accipere rem propriam, quæ erat
enes depositarium, scilicet cum cui
lata est in custodiam, vel oppignorata-
ium, idest cum cui data est in pignus,
el artificem, idest cum cui data est ad
abricandum, seu ornandum &c. sit fur-
um? videtur enim quod non, quia non
ccipitur res aliena, sed propria?

Ad hoc resp. D. Th. loc.cit. Sot. loc.
it. Caiet. & Arm. in suis summis affir-
matiuè, quia talis res licet non sit depo-
sitarij &c. quantum ad proprietatem, est
tamen eius quantum ad custodiam; hæc
tamen responsio, vt ait Caiet. in summ.
loc.cit. intelligenda est regulariter, nam
si daretur casus, in quo deponens, vel
oppignorans &c. non posset aliter repe
tere rem suam, quam occultè, vel quia
desunt testes ad probandum quod illa
res sit sua, vel quia Iudex est iniquus
&c. non esset furtum, teneretur tamen
ille, qui ita occultè acciperet rem suam
per aliquam viam admonere eum, penes
quem erat, quod non tenetur ad restitu-
tionem, ne fortè pœnitentia ductus ip-
se, vel hęredes sui iterum restituerent.
Dom. Sot. loc.cit. dicit quod ex hoc ca
pite non committunt furtum serui, qui
cum non possint habere salarium conuẽ
tum, clam accipiunt à Domino ęquiua-
lens, quod tamen vt dixi circa præcep-
tum quartum, non est passim docen-
dum, quia serui sine doctore id fa-
ciunt.

4 Quod si dicas possentne serui ali-
quid occultè accipere quia salariũ con-
uentum est tenue, & non sufficiens pro
meritis suis.

Ad hoc responsum est circa dictum
præceptum quod non, & hoc est prędi-
candum, idẽ dicit Soto l. cit. simile præ-
dicandum esset fattoribus, qui existi-
mant se posse tuta conscientia sibi reti-
nere, quæ supersunt pro vestibus confi-
ciendis, quia pretium conuentũ pro cõ-
ficienda veste est tenue, tales enim com
mittunt furtum.

5 Circa tertiam particulam, quarto
quæritur, an licitum sit sibi retinere res
inuentas? videtur enim quod sic quia il-
læ non sunt acceptæ inuito Domino?

Ad hoc resp. omnes DD. quod si illa
quę inueniuntur sunt alicuius, non po-
test inuẽtor sibi retinere, secus si nullius
erant, vt sunt ferę, quę numquam habue
runt dominum; pisces &c. vel ea quæ
Dominus pro derelictis habet, vt si quis
nobilis, & diues calceos, quibus vsus est
proiceret eis non amplius vsurus.

Sed dices si dominus rei inuentæ igno
ratur, quibus debet dari?

Ad hoc responsum est vbi de restitu-

tione quod si omnino ignoratur debet dari pauperibus; & in nostra Ecclesia debet dari deputato ab Archiepiscopo ad hoc munus, vt ipse pauperibus distribuat, quod si non faciat est casus reseruatus ipsa non restitutio; & an possit inuẽtor sibi retinere rem inuentam, vel eius partẽ si est pauper, dictũ est vbi de rest.

6 Quinto quæritur, an furtum sit peccatum mortale.

Respondeo affirmatiuè, quia est cõtra vnum ex præceptis Decalogi; Excusatu autẽ furtũ à peccato mortali maximè ex quinque, quorũ primũ est defectus iudicij, vt si amens furetur, non .n. potest peccare, cũ non est mentis compos; secundum est paruitas rei, parum .n. in omni materia pro nihilo reputatur; fallit tamen primo, quando qui furatur rem paruã habet animũ furandi rẽ magnam, vt si quis furatur anulũ æneũ, qui putat esse aureum; secundo quando res parua quã quis furatur est adeo necessaria domino, vt sine illa maximũ sit passurus detrimentũ, & hoc cognoscat fur, vt si furaretur fibulam sutori, cũ sciat eũ aliam non habere, qua posset denariũ diurnum acquirere, nec posset habere per aliqđ tẽpus notabile; tertiũ quod excusat furtũ à peccato mortali, est quando quis accipit alienũ quod putat esse suũ: fallit tñ si dubitaret, vt dicit Nau. in Man. c. 17. n. 4. quartũ est extrema necessitas simpliciter quia in tali necessitate oĩa sunt cõmunia, vnde furari in eo nõ est ꝓpriè furari, sed accipere quod suũ est; nõ ita esset si quis fornicaretur ad euitandam mortẽ, quia in extrema necessitate fornicatio esset fornicatio, furtũ vero propriè nõ est furtũ, cum id quod accipitur nõ sit alienũ in tali casu, vltimũ est quãdo quis furatur alicui ꝑ vtilitatem spiritualem, vel corporalem alicuius, vt si quis furaretur fucos, & pigmenta meretrici, quibus volebat uti ad alliciendos homines ad malum; similiter si quis furaretur cartas lusorias; uel gladium furioso, ne seipsum, vel aliũ occideret, teneretur tamen si venderet huiusmodi dare pretium domino rei; vel saltem pauperibus; atque hæc de Furto, & Rapina satis sint.

CAPVT II.

De fraude, & peccatis, quę committũtur circa contractus, contra septimum pręceptum.

QVæ dicenda sunt in hoc capite diuiduntur in tria membra, in quorum primo dicam quædam de contractibus, & fraude in cõmuni, in secundo de peccatis, & fraude, quæ committitur circa contractus, in quibus non transfertur dominium alicuius rei, & in tertio, de peccatis, & fraude, quæ committitur circa contractus, in quibus transfertur dominium alicuius rei.

MEMBRVM PRIMVM.

De contractibus, & fraude in communi.

1 *Contractus quotuplex sit.*
2 *Quinam sint contractus nominati, in quibus non transfertur dominium.*
3 *Quinam contractus nominati, in quibus transfertur dominiũ rei de vno in aliũ.*
4 *Vnde desumatur hæc diuisio contractuũ.*
5 *Quid sit dolus, quid lata, quid leuis culpa, quid casus fortuitus.*
6 *Depositarius, & oppignoratarius &c, de qua culpa teneantur resarcire damnũ datum domino.*
7 *In quibus casibus quis teneatur de casu fortuito.*
8 *Qui teneantur de culpa leui.*
9 *Qui teneantur de culpa leuissima ꝭ.*

1 HOc mẽbro primo, quæritur quotuplex sit contractus?

Resp. quod duplex; vnus, in quo trãsfertur dominiũ rei alicuius de vna in aliam personã; & alius in quo nõ transfertur dominiũ rei de vna persona in aliã. Rursus cõtractus, siue per eũ trãsferatur dominiũ rei de vna in aliã personã, siue non, duplex est, alter nominatus, qui habet nomen propriũ adeo illi peculiare, vt al-

t alteri cōtractuū diuersi generis mini nè conuenire possit, vt venditio, cuius nomen non competit cōmodationi &c. alius est innominatus, qui non habet nomen peculiare, sed commune, quod pōt conuenire contractibus diuersi generis, etiā nominatis, & hic diuiditur in quatuor species, scilicet do vt des, do vt facias, facio vt des, facio, vt facias; de quibus contractibus innominatis nihil in particulari dicam, quoniam casus, qui circa eos occurrunt iudicari possunt ex iis quę dicentur de contractibus nominatis, quibus assimilantur.

Secundo quæritur quinam sint contractus nominati, in quibus nō transfertur dominiū? Respōdeo cū Nau. in Man. c. 17. n. 180. quod de numero contractuū nominatorū, in quibus non transfertur dominium, sunt depositio, oppignoratio cōmodatio, locatio, cui & correspōdet conductio.

3 Tertio quæritur quinam sint contractus nominati, in quibus transfertur dominium rei de vno in aliū? Res. cū Nau. cit. quod sunt emptio, vēditio, permutatio, cābiū, & mutuatio, quibus & addi pōt donatio; quæ licet non sit propriè cōtractus, quia cōtractus, vt dicunt DD. est vltro citroq; .i. hinc inde obligatio donatio vero nō est vltro citroq; obligatio, nam donatarius ad nihil obligatur, quia donatio fit oīno gratis, tñ à nobis connumeratur inter contractus, quia accipimus nomen cōtractus largo modo.

4 Sed dicet hic aliquis vnde desumitur hæc diuisio contractuum.

Resp. quod ex hoc desumitur, quod id in quo cōtractus celebratur, vel sunt psonæ ipsæ, & hic est cōtractus Matrimonij, quo vir tradit mulieri potestatē sui corporis, & mulier viro, de quo hic non loquimur, quia peccata quæ fiūt contra hunc contractum, propriè sunt contra præceptū, non mœchaberis, & nō concupisces vxorē &c. non autē contra, nō furaberis; si celebratur in rebus, vel per eū nec conceditur vsus, nec dominium rei, & tunc vel est depositio, vel oppignoratio, per depositionem enim datur res alteri, non ut ea vtatur, aut vt sit sua, sed vt eam gubernet; & per oppignorationem datur res tantū, vt eam pro assicuratione debiti quis obtineat. Vel conceditur vsus rei, & non res ipsa, & hoc si gratis; est cōmodatio, est .n. cōmodatio cōcessio vsus rei facta alicui gratis; & hic cōtractus regulariter fit in vtilitatē accipientis, sicut & depositio regulariter fit in vtilitatem dantis. Et dixi regulariter, quia cōmodatio aliquando fit in vtilitatem dantis, vt si alteri accomodarem ensem, quo me defenderet; & depositio aliquando fit in vtilitatem accipientis etiam, vt si darem pecuniam alicui pro custodia rei meæ. Vel vsus rei conceditur pro pretio, & tunc est locatio, quæ & dicitur emphiteusis aliquando, cui & correspondet conductio, & hic contractus semper fit in vtilitatem dantis, & accipientis; si autem transferatur res ipsa, seu dominium rei, vel transfertur gratis, & tunc est donatio, vel pro pretio, & tunc est venditio, cui correspondet emptio; vel datur res pro alia re, & tunc est cambium, seu permutatio; vel transfertur res vnico vsu consumptibilis cum pacto reddendi tantundem in eodem genere post aliquod tempus, & tunc est mutuatio. De fideiussione nihil dixi, sicut de assicuratione quia reducuntur ad opignorationem.

5 Quarto quæritur, quid sit dolus, quid lata culpa, quid leuis culpa, quid leuissima culpa; & quid casus fortuitus, hęc enim sunt necessaria scitu, vt cognoscamus casus in quibus depositarius, commodatarius, oppignoratarius teneatur restituere, vel damnum resarcire, quādo res aliena apud se perit. Et respondeo quod dolus est voluntaria, & spontanea machinatio in rem alienam, vt si conductor, vel commodatarius noluit alere equum sibi cōmodatum, vel locatum vt periret in damnum Domini, dicetur equus periisse dolo commodatarij, vel conductoris, & sic de similibus.

Lata culpa est illa culpa, quam communiter homines euitare solent, vt si librum tibi commodatum in ludo publico dimisisti, vbi homines frequentes esse solent; si surripitur liber, dicetur periisse lata tua culpa, quia homines communiter solent non relinquere

libros

libros in scholis publicis, quoniam vt plurimum surripiuntur. Similiter si equum tibi commodatum noluisti alere, ne pecuniam expenderes, & non vt moreretur equus in damnũ domini, si moritur equus dicetur mori lata tua culpa; & in foro exteriori tuo dolo præsumpto, quia lata culpa in tali foro præsumitur dolus, nam si noluisti alere equum, vt non expenderes, secundum iura exteriora præsumeris noluisse alere, vt periret.

Leuis culpa est illa, quam homines diligentes euitare solent, vt si librum tibi commodatum non custodisti eo modo, quo homines diligentes custodiunt libros, si propterea liber fuit surreptus, dicetur surreptus leui tua culpa, vt si posuisti eum in tuo cubiculo, vt faciunt omnes homines, sed non obseruasti ostium claue, vt faciunt diligentes.

Leuissima culpa est illa, quam diligentissimi tantum homines euitare solent, vt si librum sibi commodatum posuisti in cubiculo tuo, & illud obserasti claue, sed non tentasti manu, vel pede an ostium esset bene clausum, si propterea surripitur liber, dicetur perijsse leuissima tua culpa.

Casus fortuitus est ille, quem neque diligentes homines, neque diligentissimi euitare possunt, vt sunt grandines, terræmotus, fulmina &c. vt si grandinet, & ideo perit vua; vua dicetur perijsse non dolo, aut culpa aliqua custodis vineæ, sed casu fortuito.

6 His suppositis notãdũ est primo quod & depositarius, & oppignoratarius, & conductor, & quilibet alius tenetur de dolo, & lata culpa, idest tenetur resarcire omnia damna Domino, si res aliena perit suo dolo, vel culpa lata; neque potest in pactũ deduci quod depositarius, aut alius non teneatur de dolo, & lata culpa, quia esset alteri præbere occasionem peccandi, & quia esset contra bonam fidem, & bonos mores.

7 Notandũ secundo quod depositarius, oppignoratarius &c. non tenetur de casu fortuito, prçterquã in tribus casibus, quorum primus est si deductum sit in pactum vt depositarius &c. teneatur de casu fortuito, nam pacta rumpunt leges, lex enim est quod nullus teneatur casu fortuito, & hæc rumpitur si ponatur pactum in contrarium.

Secundus casus est, si depositarius &c. non restituit rem alienam statuto tempore, & post illud ea fortuito perit, nisi etiam perijsset in manibus Domini.

Tertius casus est quando præcedit culpa, vt si equum tibi commodaui Mediolani, vt ires Placentiam, & vsus es ut ires Parmam, & casu fortuito, vt à fulmine perijt inter Placentiam, & Parmam.

8 Notandum tertio quod de culpa leui tantum tenentur illi, in quorum fauorem, & vtilitatem factus est cõtractus, vnde depositarius regulariter non tenetur de culpa leui, quia vt supra diximus depositio regulariter fit tantum in vtilitatem, & fauorem deponentis; commodatarius vero, conductor &c. regulariter tenetur de culpa leui, quia commodatio, conductio &c. regulariter fit in vtilitatem Commodatarij, Conductoris &c. vt supra. Etsi aliquando Cõmodatio fieret tantum in vtilitatem cõmodantis, & non Commodatarij, tunc commodatarius tãtum teneretur de culpa lata, & dolo, sicut si depositio fieret in vtilitatem depositarij, in eo casu etiam depositarius teneretur de culpa leui.

9 Notandum quod de culpa leuissima ille tantum tenetur, in cuius fauorem, gratiam, & vtilitatem solum fit contractus, & hoc regulariter accidit in commodatione, nam commodatio regulariter, vt diximus, fit tantum in vtilitatem Commodatarij: Secus esset si contractus fieret in vtilitatem dantis, vel dantis, & accipientis simul; atque hæc de hoc membro.

MEM-

MEMBRVM ECVNDVM

De fraude & peccatis, quæ fiunt circa contractus.

Depositarius ex qua culpa teneatur ad restitutionem depositi.

An peccet depositarius utendo deposito.

Item peccat non restituendo depositum tempore debito.

Quibus in casibus peccet commodatarius circa commodatum.

Quomodo possit peccari in locatione.

NOtandum est primo quod circa contractum depositi deposita- us peccat mortaliter si culpa sua lata, :l dolo depositum deterioratur, & te- :tur ad restitutionem, tenetur etiam ad :m, si deterioratur culpa sua leui, quã-) depositio facta est in sui gratiam, uel de hoc factum est pactum teneretur iam restituere, si depositum deterio- tur culpa leuissima, quando factum t de hoc pactum; uel quando deposi- o facta est tantum in fauorem ipsius. 'e casu fortuito non tenetur deposita- us ad restitutionem nisi in tribus casi- is supradictis membro antecedenti, in uibus non peccaret si depositum peri- :t sine sua culpa, nec tenetur ad restitu onem præterquam si esset pactum, id- ? in primo casu, in quo non peccaret, :d teneretur ad restitutionem.

Secundo Peccat depositarius si uti- t t deposito; quod fallit tamen si eo v- tur de licentia domini, uel sine aliquo ttrimento ipsius depositi.

3 Tertio peccat quando non restituit epositum tempore præstituto, uel quan o petitur à domino; fallit tamen quan o dominus exquirit depositum in suũ otabile damnum, uel alterius; secundo uando fur deponit rem furtiuam apud ominum; tertio quãdo depositum fuit :questratum, uel confiscatum; sed plura de his videte in tractatu de contractibus.

4 Notandum secundo circa commodatum, quod commodans peccat quando non explicat vitium rei, quam uult commodare, ut si sciẽter commodat equum sæpe cadentem in aquam alicui id nescienti, & tenetur de damno quod inde sequitur.

Secundo Peccat commodatarius si utitur re commodata vltrà tempus præfinitum, uel ad alium usum, quam ad illum ad quem datum fuit, & si hoc fiat cum notabili damno commodantis est peccatum mortale.

Peccat etiam mortaliter commodatarius si non custodit rem commodatã, itaut notabiliter deterioretur ex sua negligentia, & tenetur de culpa leuissima, ut dixi nisi commodatum fuisset datum etiam in utilitatem dantis.

Peccat item mortaliter nisi restituit commodatum tẽpore præstituto, & cõmodans propter hoc patitur notabile damnum.

Excipiuntur tamen illi casus quos excepimus supra de deposito.

5 Notandum tertio quod locator qui locat pecuniam, vel res vnico vsu consumptibiles ad vsum suum proprium, quia esset vsura, secus si eam locaret ad alium vsum, puta ad ostentationem, peccaret talis locator.

Secundo peccat sacerdos, qui locat suas operas pro diuinis celebrandis, sed hoc intellige, vt dixi alibi, & secundum regulam Caiet. in summa verb. Simonia non enim semper verum est absolutè.

Tertio peccat mortaliter locator si non explicat vitium rei locatæ, & inde conductori sequitur notabile damnum.

Quarto peccat conductor qui non conseruat rem conductam, & tenetur ad restitutionem si perit propter suam culpam latam, & leuem. Peccat item si non soluit fictum tempore præstituto cum notabili damno locatoris.

Notandum quarto quod peccat oppignorator, qui non soluit expensas, quæ fiunt circa pignus, & oppignoratarius .i. qui habet pignus, si pignus non custodit

dit, & propterea notabiliter deterioratur; peccat item si vtitur pignore cum notabili damno domini.

Item peccat si non vult computare in sortem fructus pignoris.

MEMBRVM TERTIVM

De fraude, quę committitur in contractibus, in quibus transfertur dominium.

1 Contractus, in quibus transfertur dominium sunt, vt supradixi, emptio, & venditio, permutatio, mutuum, & donatio; de donatione, & permutatione pauca dicunt Doctores quæ ego dixi in Tractatu de contractibus.

De Mutuo dicam in tractatu de Vsura; nũc sufficit aliqua dicere, de emptione, & venditione.

2 Notandum igitur est, vt notat Caiet. ver. emptio, & venditio in summa, quod potest esse fraus circa pretium quæ est peccatum mortale, quando vẽdũtur res charius quam valet, vel emitur vilius, quia damnificare proximum est peccatum mortale, contra charitatem, esset tamen veniale si excessus, vel defectus non esset notabilis, & nullum, si res, quę venditur maioris, quam in se valeat ratione damni quod patitur vendens propter priuationem rei, quam vendit, vt si medicus rogatus importunis precibus venderet mulam, sine qua non potest lucrari quantum lucratur cum ea; An autẽ in conscientia licitum sit decipere emptorem intrà dimidium, dictum est in tractat. de Contractibus negatiuè, licet in foro exteriori non puniatur decipiens.

3 Secundo peccat mortaliter vendens si facit fraudem circa substantiam rei, vt vendens aquam pro vino, vel fumum terrę pro reubarbaro, vt faciunt mali aromatharij, & qui emunt aurum pro auricalcho, & qui gemmam pretiosam pro non pretiosa est, secus esset inquit Caiet. lo. cit. si tam emens, quam vendens ignorantes an gemma sit pretiosa committerent se fortunæ, itaut emens eam emeret tanti, siue sit pretiosa, siue non, & similiter vendens eam venderet tanti, siue sit pretiosa, siue non.

4 Tertio peccat vendens si admittit fraudem in quantitate, puta si habet mẽsuras paruas magis quam par sit, dicitur enim Deut. 25. non habebis in sacculo tuo diuersa pondera maius, & minus, nec erit in domo tua modius maior, & minor.

5 Quarto peccat committens fraudem circa qualitatem rei, vt cum quis vendit equum infirmum pro sano, vel aliam rẽ vitiosam pro bona, nam hoc cedit in detrimentum proximi; atque hæc de fraude.

PARS

PARS NONA.

De octauo Decalogi præcepto.

Quod est, non dices falsum testimonium.

QVONIAM, vt dicit D. Thom. 2. 2. q. 122. ar. 5. in resp. ad 2. argum. & Alex. Alen. in tertia parte suæ summ. quæstione prima, & vt colligitur ex Catechismo Romano in expositione istius octaui præcepti, hoc præcepto octauo prohibentur omnes iniuriæ verborum, quæ contra roximum fieri possunt, & quando tales iniuriæ, vel fieri ossunt in iudicio; vt male iudicando, peruersè accusano, iniustè se defendendo &c. vel extra iudicium, vt de-:ahendo, mentiendo, irridendo &c. ideo ea, quæ dienda sunt circa hoc octauum præceptum diuidentur in uo capita. In quorum primo dicam. De iniurijs, quæ fiunt ı iudicio contra proximum. In secundo dicam. De inırijs verborum, quæ fiunt contra proximum extra iudiium.

CAPVT I.

De iniurijs, quæ fiunt contra proximum in iudicio.

CVm iniuriæ, quæ fiunt contra proximum in iudicio, vel fint ex parte iudicis, vel accufatoris, vel rei, feu accufati, vel teftium, vel aduocati, feu Procuratoris; ideo vt ordine procedam, primo dicam de peccatis Iudicis, quæ funt contra proximum; deinde fingillatim de peccatis aliorum.

De peccatis Iudicis, contra octauum præceptum Decalogi.

1 *An Iudex peccet mortalitet pronunciando fententiam falfam.*

2 *Quid fi aliquis fit innocens, & in iudicio probetur nocens, quomodo in hoc iudioio fe geret Iudex.*

3 *Opinio dicentium effe iudicandum fecundum allegata, & probata, & cõtra innocentem probatum nocentem.*

4 *Opinio diftinguentium inter caufam ciuilem, & criminalem.*

5 *Opinio affirmans fimpliciter debere Iudicem iudicare fecundum allegata, & probata, quando non poteft euitare iudicium.*

6 *Cemfutantur aliæ opiniones contra mex allatam.*

7 *Veritas alia facti, alia iuris.*

8 *Confcientia alia perfonæ priuatæ, alia publica.*

9 *Crimen Pilati in condemnatione Chrifti ad mortem.*

10 *Iudex an peccet vfurpando alienum Iudicium*

11 *Iudex alius ordinarius, alius delegatus.*

12 *Iudex peccat iudicando, nifi fit index ordinarius, aut extraordinarius.*

13 *Iudex tenetur ftudere, vt rectè iudicare poffit.*

14 *Poffitne Iudex remittere pœnam, quam meretur reus.*

1 PRimo quæritur, vtrum Iudex peccet mortaliter dando fententiam falfam? Ad hoc refpondeo fecundum communem DD. opinionem, quod Iudex mortaliter peccat dando fententiã iniuftam, & tenetur ad reftitutionem parti læfæ propter fuam fententiam minimè iuftam.

Sed tota difficultas eft, vtrum Iudex, qui fcit aliquem effe innocentem, fed in iudicio probatur nocens, teneatur ferre fententiam fecundum ea, quæ funt allegata, & probata in iudicio; an vero fecundum id, quod verum eft.

2 De hac controuerfia hoc certum eft apud DD. quod fi Iudex vt priuata perfona fcit aliquem effe nocentem, qui in iudicio fecundum allegata probetur innocens, non poteft talem nocentem cõdemnare, fed debet eũ abfoluere, quia nullus debet proferre in iudicium, id quod probare non poteft, nec caftigandus eft in foro exteriori aliquis ob crimen quod non probatur, & hoc patet ex multis textibus, quos citat Syl. verb. Iudex fecundo, & ex his, quæ diximus circa præceptum. Non occides, cum diximus quod ad condemnandum aliquẽ ad mortem non fufficit auctoritas publica, fed etiam requiritur fcientia publica. Tota ergo difficultas reftat circa innocentem qui in iudicio probatur nocens.

3 Et de hac difficultate funt tres celeberrimæ Doctorum opiniones; quarum prima eft quod in nullo cafu neque in caufa ciuili, neque criminali licet Iudici condemnare eum, quem euidẽter fcit effe innocẽtem, quamuis in iudicio probetur reus; atq; hanc opinionem quam plurimi DD. fecuti fuerunt, inter quos fuit Panorm. fuper cap. paftoralis, de officijs Delegatorum, & Angel. in fumma verbo iudicare §. 7. & Nicol. de Lyra Exodi cap. 23. & probatur hæc opinio primo quia Exod. l. cit. dicitur infontem, & iuftum non occides, & nos diximus circa quintum præceptum, quod occidere innocẽtem eft peccatum mortale, fe-

e; secundo probatur quia nullus debet facere contra propriam conscientiam, sed Iudex qui condemnat innocentem facit contra propriam conscientiam. 3. Deuter. cap. 13. dicitur, quætes ab eis, qui iudicabunt veritatem iudicij, ergo non est iudicandum secundum allegata, & probata in iudicio sed secundum meam veritatem.

Secunda opinio est eorum, qui dixerunt in causa ciuili esse iudicandum secundum allegata &c. etiãsi Iudex cognoscat veritatẽ esse diuersam ab eo, quod in iudicio probatur, sed non ita in causa criminali siue capitalis sit, siue mutilationis alicuius membri; ratio huius est quia in causa ciuili agitur tantum de rerum possessione, vel de pecunia quarũ rerum homo est dominus, & propterea respublica potuit statuere vt in causa ciuili iudicetur secundum allegata, etiamsi veritas sit in contrarium; sed in causa criminali agitur de membris, & vita hominis, quorum homo non est dominus. Hanc opinionem secuti sunt multi DD. Iuris ciuilis, & inter summistas Sum. Rosella, & suplem. & inter Theologos, Adrianus, vt videre est in suis quolibetis q. 6. ar. 6. & ratio huius est ea, quam diximus.

Tertia opinio est omnino contraria primæ, eorum videlicet qui dicunt Iudicem qui non potest aliter euadere iudicium idest qui tenetur proferre sententiam, debere iudicare secundum allegata, & probata etiam contra veritatem sibi notam, vt est particularis persona; atque hæc opinio est Sancti Thomæ 2. 2. q. 67. art. 2. & q. 64. ar. 3. ad 3. argum. eademque fuit sẽtẽ. Alex. de Ales in 3. p. q. 40. & Ricardi in 3. sent. & Syl. in sum. ver. Iudex 2. §. 5. quam dicit esse opinionem omnium antiquorum Theologorum, & hæc opinio vera est prout eam veram semper nos supposuimus.

Et probatur primo ex D. Aug. super Psalter. vt eum citat D. Thom. q. 67. ar. cit. vbi dicit quod bonus Iudex nihil ex arbitrio suo, sed secundum leges, & iura pronunciare debet; idem dicit D. Amb. supra illud, Beati immaculati, & citat D. Thomam l. cit. Multas leges ciuiles, & multos canones ad hoc propositum afferunt DD. quos vide apud Syluestrum loco cit.

Secundo probatur, Iudex est persona publica ergo vt iudicet debet etiam habere scientiam publicam, scientia autẽ publica est illa, quam habet per ea, quę in processibus allegãtur, & probantur, non autem ea, quam habet vt priuatus homo. Atq; hinc dicunt DD. quod homo tripliciter potest aliquod scire, vel ut Deus per confessionem Sacramentalem, uel ut iudex, & publica persona per ea, quæ allegantur, & probantur, vel vt priuatus homo per ea, quæ ipse videt. Iudex in foro ciuili, vel criminali non agit personam priuatam, neque Deum, sed personam publicam, ergo debet iudicare secundum scientiam, quam habet, vt persona publica.

Tertio probatur vt bene probat Sot. 5. de iust. & iu. q. 4. art. 2. quia alioquin peruerteretur omnis ordo iuris, si credendum esset Iudici dicenti veritatem esse cõtra allegata, & probata, nõ enim magis credendum est Iudici, quam testibus, maximè cum testes iurent dicere veritatem, & aliquando existimentur tam iusti sicut & Iudex, posset enim iudex pecunia corrumpi, vel odio, aut alia de causa dicere se nolle iudicare secundum allegata &c. quoniam veritas est in contrarium.

Quarto aliam addit rationem Dominicus Sot. l. ci. quæ est hæc, supponamus, inquit ipse, certum esse quod vnus ex duobus puta Petrus, vel Paulus hæresim seminarit, sed incertum esse quisnam eorum eam seminauerit, confiteatur Petrus Sacramentaliter Inquisitori se seminasse hęresim; accusetur Paulus in iudicio exteriori, & probetur per testem quod ipse eam seminauerit, certè si inquisitor non debet iudicare secundum allegata in iudicio exteriori remanebit perplexus, quia si non condemnabit Paulum, manifestum fiet peccatum Petri auditum in confessione Sacramentali.

Alias rationes affert Caiet. 2. 2. q. 67. a. 2. Verum quidem est, vt dicit D. Th & Caiet. ar. 2. cit. Dom. Sot. q. 4 at. 2. Sylu.

in summ. verb. Iudex 2. § 5. quod Iudex quando scit certo innocentem in processu probari nocentem, debet efficere quicquid iuridicè potest, ne innocentē condemnet; Et vere, vt dicunt Sylu. & Sot. l. cit. nunquam, vel rarissimè euenire potest vt iudex, qui scit veritatē extra iudicium, non possit eam etiam extorquere in iudicio, puta diligentissimè examinando iterum atq; iterum testes, indicia exquirendo, quibus in processu possit patere veritas.

Sot. l. cit. addit, quod in tali casu pòtius quam condēnare innocentem deberet Iudex aperire carceres, itaut probatus reus, qui vere est innocens fugere possit si velit; quod tamē non videtur satis tutū, potius deberet iudex si posset recusare officium iudicandi, quod tamen nec efficere tenetur, maximè cum eius superior ipse iudicabit secundum allegata, & probata.

6 Ad rationes in contrarium, pro prima opinione allatas, vt refert Syl. l. cit. respondent DD. tertiæ opinionis his tribus distinctionibus, quarum prima est quod aliquis potest esse dupliciter innocēs, vel de facto, quia vere est innocēs, vel de iure quia in processu probatur innocēs, sicut & aliqs pōt dupliciter dici reus, vel nocens; vel de facto quia vere crimē cōmisit, vel de iure quia probatur in processu crimē commisisse; & sic reus de facto pōt esse innocens de iure, & innocens de facto pōt esse reus de iure. Hac distinctione respondeo ad illud qđ affertur Exodi 27. insontē, & iustū nō occides, idest insontē, & iustū de iure.

7 Secunda distinctio est quod duplex est veritas, alia facti, & alia iuris. Veritas facti est illa secūdū quā res vere est; veritas Iuris est illa, quæ probatur in iudicio; & hac distinctione respondeo ad illud, qui affertur ex Deut. cap. 13. quod debemus exquirere iudicium ab ijs, qui iudicant secundū veritatē, scilicet iuris.

8 Tertia distinctio est, quod duplex est consciētia, sicut & scientia, scilicet cōscientia personæ priuatę, vt persona priuata est, & personæ publicæ, prout est persona publica; Iudex cū sit persona publica debet iudicare secundū propriam cōscientiā publicā, & hoc modo adeo ad aliam rōnem quod Iudex iudicando contra veritatē quā nouit vt priuata psonā nō iudicat cōtra propriā conscientiā cum quia nō Iudex sit psona publica, eius propria conscientia non est priuata, sed publica.

9 His trib. rōnibus posset addi & quarta, quā affert Syl. l. sup. cit. & Sot. ar. ci. de Pilato, qui secūdū allegata, &c. videtur condēnasse Christū, & tn̄ vt oēs fatētur peccauit eū condemnando: Ad hanc rōnem respōdet Syl. & Sot. & bene qđ Pilatus nō iudicauit Christū secundū allegata &c. nā Christi innocētia nō modo Pilato de iure, & ex pcessu, sed etiā publicè cunctis erat euidēs, & oēs sciebant testes contra eū adductos esse falsos, vnde legitur quod Pilatus dixit, innocēs ego sū à sanguine huius iusti, vos videbitis, quibus verbis nō modo innocentiam Christi, sed etiam testimoniorum falsitatem est confessus.

Quod si dicas, quare ergo Pilatus Christū ad mortē condemnauit? Respondeo qđ nō pp dictū testimoniorū, sed vt ex Euangelio habetur, pp metum Cæsaris, qui abhorrebat nomen Regis, & dixerāt Iudęi Christū voluisse se facere Regē, timebat enim Pilatus ne deferretur ad Cæsarem, si Christum nō condemnasset.

10 Secundo quæritur an Iudex peccet vsurpando alienū iudiciū, idest iudicando personam nō subditam sibi, vel opus nō sibi subditū, vt si iudex sæcularis cōdemnaret sacerdotē propter aliquod maleficiū, vel si iudex Papiensis condēnaret ciuē Comensem propter delictū cōmissum Comi, vel etiā Papiēsem pp delictū commissum Comi? Ad hoc respōdet D.Th. 2.2.q.67.ar.1. quod peccaret, & mortaliter de suo genere; idem dicit Dom. Sot. l. 5. de Iust. & Iu. q. 1. ar. primo, & Caiet. in summa verbo iudex, & omnes alii Doctores.

Quod vt intelligatis, notandū est, qđ nullus pōt esse Iudex nisi habeat talē iurisdictionē, vt homo iudicandus sit sibi subdit⁹ quātū ad id, in quo iudicādus est.

Duplex autē est iudex, qui habet iurisdictionē dictā, alter qui dicitur Ordinarius, & est ille, qui à Principe habet po-

potestatē iudicandi super aliquā vniuersitatem,& huiusmodi sunt Prętores instituti à Principib. in ciuitatibus,& oppidis, & hi possunt iudicare eas personas tantū,quæ subsunt suę iurisdictioni, scilicet qui habitant, vel delinquūt in illa ciuitate,uel oppido in quo sūt Iudices, ut Prætor Papiēsis pōt iudicare eos tātum,qui in territorio Papiæ delinquūt. Similiter,& dicuntur Iudices ordinarij illi,qui ab aliqua vniuersitate instituuntur iudices supra ipsam vniuersitatē, vt abbates artiū dicūtur iudices ordinarij, quia ab artificibus instituuntur ad iudicandū ipsosmet artifices in rebus tamen tantum,quæ ad artem suā pertinent, & isti abbates nō possunt se extēdere ad iudicandum nisi ea ad quæ extenditur sua iurisdictio.

Alter iudex dicitur extraordinarius, & hic rursus duplex est,alter qui dicitur arbiter,qui videlicet eligitur à partibus ad iudicandū aliquid,vt si esset lis inter me,& Petrū, & ambo eligeremus Antoniū,qui iudicaret inter nos, Antonius diceretur index,sed extraordinarius,& in suo iudicio haberet iurisdictionē supra nos quantū ad litem sibi cōpromissam,quia ex nostra volūtate suo iudicio nos ipsos subijcimus.

Iudex etiā extraordinarius dicitur ille qui est delegatus à principe,vt à Senatu,vel summo Pontifice ad iudicandum de aliqua particulari causa. His notatis dicēdū est vt supradiximus quod peccat mortaliter Iudex,qui iudicat aliquos cū non sit eorum index ordinarius, vel extraordinarius.

Sed dicet hic aliquis, Daniel iudicauit seniores de falso testimonio, & eos condēnauit ad mortē,& tñ non erat eorū iudex ordinarius neque extraordinarius. Ad hoc respondet D.Th.2.2. q. 67. ar.1.in resp. ad 1. argum. quod Daniel accepit potestatē iudicādi seniores illos à spiritu sancto,vnde dicitur in lib. Danielis c.13.de ipso Daniele, quod suscitauit Dñs spiritū pueri iunioris, dicendū igitur est qđ Daniel habuit potestatē delegatā à spū scto,vt iudicaret seniores

3 Tertio quæritur, an Iudex teneatur studere,vt rectè iudicare possit: Ad hoc resp.cōiter DD.& bene quod Iudex peccat mortaliter suscipiens munus iudicādi,si scit se esse adeo ignorantē,vt rectè iudicare minimè possit, & qđ tenetur studere vt habeat eā scientiā,quæ requiritur ad bene iudicandū. Excipitur tamē vnus casus, in quo nō peccat Iudex si sit adeò ignorās,vt non possit cognoscere merita causæ, & hic est qñ ipse assumit sibi doctū asessorē,vel à partibus ei tribuitur doctus asessor, idest homo qui merita causarū probe cognoscat, & Iudicē doceat quomodo sit iudicandum.

14 Quarto quæritur, an Iudex possit remittere pœnā,quā meretur reus secundū leges? D.Th 2 2.q.67.a.vlt.distinguit de iudice,nā alius est superior, vt Episcopus,vel Princeps; alius est inferior vt vicarius Episcopi, vel Prætor aliquis à Iudice institutus; Iudex superior pōt remittere pœnā dictam,quādo melius est eā remittere, maximè si accusator, vel ille,qui est passus iniuriā velit ius suum remittere,imo etiamsi nolit,maximè si hoc expediat bono cōi. Iudex vero inferior nō pōt remittere dictā pœnā, maximè si ille,qui passus est iniuriā instet,vt reus soluat pœnas; atque hęc satis de iudice.

De Accusatore.

1 *In iudicijs potest procedi, vel accusatione, vel inquisitione, vel denunciatione.*
2 *Correctio qualiter fieri debeat.*
3 *Accusatio, & denunciatio quid sint, & in quo differant.*
4 *Accusatio alicuius de crimine falso, est peccatum mortale.*
5 *Quid de accusatore alicuius criminis, quod putat esse verum.*
6 *Accusans ex odio, an peccet mortaliter.*
7 *An teneamur aliquem accusare de aliquo crimine.*
8 *Sciens aliquod crimen sub secreto, an possit illud accusare.*

PRimo notādum est quod in iudicijs criminalibus,vt dicunt omnes DD. tribus modis procedi potest, scilicet

uel

cum inquisitione, vel accusatione, vel denunciatione.

Inquisitione dicitur procedi, quando Iudex agit contra aliquem, qui est publicè infamatus de aliquo crimine non quia eum aliquis accuset; sed quia fama publica est quod ipse cōmiserit tale crimen, vnde dicunt DD. quod ad inquisitionem necessario requiritur publica infamia, quæ gerit vicem accusatoris; addite vos quod inquisitione dicitur procedi, quando factum est aliquod crimen notorium, & Iudex inquirit, quisnam potuerit esse auctor illius criminis, vt si occiditur aliquis, & Iudex iubet, vt capiatur alius, qui erat eius inimicus, vt per indicia aliqua inquirat, an ipse cōmiserit homicidium.

Accusatione dicitur procedi quando quis accusat aliquem de aliquo crimine, & talis accusatio in iudicio semper fit in scriptis, vnde qui accusat accedit ad notarium Iudicis, ut accusationem, quā dicunt querelam describat; & vt Iudex possit procedere debet accusator exhibere testes, vel indicia, quibus crimen probari possit.

Denunciatione dicitur procedi quando aliquis cupiens, vt alter corrigatur de aliquo crimine, quod habet, illud denunciat superiori ad hunc finem tātum, vt alter corrigatur.

2 Et circa hoc notandum est secundo quod de fraterna correctione est præceptum traditum à Christo Matth. 18. sub his verbis si peccauerit frater tuus &c. quod prçceptum obligat homines sub pęna peccati mortalis ad corrigendum proximum, quando speratur emēdatio, & hoc præceptum seruandum est eo ordine, qui ponitur à Christo loco cit., & est hic quod si peccatum est secretum, & speratur emendatio, per secretam admonitionem tenetur homo peccatorem secreto admonere, nec potest in tali casu accedere ad superiorem, & ei manifestare tale peccatum sine peccato mortali, nam si per secretam admonitionem speratur emendatio, fit contra ordinem quem ponit Christus dicto capite; si nō speratur emendatio per secretam admonitionem, vel peccator monitus secreto non emendatur, tenetur homo denūciare eum superiori, vt eum corrigat, & si superiorem noluerit audire, habendus est tamquam ethnicus, & publicanus.

Notandum est tertio ex his, quæ nunc diximus, quod in similibus seruanda est regula, quam ponit Armilla in summa verb. correctio §. 5. desumpta ex D. Th. quod quando possumus seruare consciētiam, & famam proximi, tenemur vtrumque seruare, si vero id non possumus, relicta fama tenemur seruare conscientiam.

3 Notandum vltimo quod ex dictis infertur quod accusatio propriè sumpta differt à denunciatione, quia in illa attenditur punitio criminis; in ista vero attenditur emendatio fratris, vt dicit D. Thom. 2. 2. quęst. 67. art. 3. ad 2. argum.

Secundo differt, qui a accusationem non debet pręcedere secreta admonitio necessario, vt dictum est in denunciatione.

Tertio, quia accusatio fit in scriptis, non ita denunciatio.

Quarto, quia accusator obligat se ad probandum id, quod dicit, non ita denunciator.

Quinto, quia antiquitus accusator obligabat se ad pœnam talionis, si deficiebat in probatione, non ita denunciator; pęna autē talionis erat illa, quā debebat pati reus si probabatur reus, quā pœnam debebat accusator pati si non probabat accusationem, seu id, de quo accusauerat; nunc autem hæc pœna est abolita, quia propter eam multi retrahebantur ab accusatione dubitantes deficere in probationibus. His suppositis.

4 Quęritur primo, an accusare aliquē apud Iudicem, vel superiorem de crimine falso sit peccatum mortale. Ad hoc respondeo cum communi DD. opinione affirmatiuè.

Notandum est quod ille, qui accusat aliquem de falso crimine apud DD. dicitur calumniator, & tenetur sub pœna peccati mortalis restituere omnia damna, quę sequuntur ex accusatione falsa.

Sed

5 Sed dices, quid si ille, qui accusat aliquem, putat crimen esse verum? ad hoc respondeo secundum communem DD. opinionem, quod si ille, qui accusauit aliquem de falso crimine putans crimen esse verum, adhibuit debitam diligentiam ante accusationem, vt cognosceret, an esset verum illud crimen, & adhuc existimabat crimen esse verũ, non peccauit accusando propter bonam fidem; sed si cessante deinde bona fide, idest aduertendo crimen non esse verũ non desistit ab actione sua, sed prosequitur accusationem, peccat mortaliter, & tenetur restituere damna, quæ sequuntur postquã cessauit bona fides; & id, quod dicitur de accusatore in præsenti casu, intelligendũ est etiam de actore in foro ciuili: vt si quis scienter peteret ab alio coram Iudice debitum falsum peccat mortaliter, sed si existimaret debitum esse verũ adhibita debita diligẽtia durã te bona fide non peccaret petendo debitum, sed cessante bona fide peccat mortaliter sequendo litem, & teneretur restituere omnia damna, quæ sequuntur postquam cessauit bona fides.

6 Secundo quæritur an ille, qui accusat aliquem de crimine vero, sed propter odium, peccet mortaliter. Respondeo affirmatiuè cum communi DD. opinione, quia talis faceret contra charitatem proximi, & quia ille, qui accusat debet intẽdere punitionem accusati ex iustitia mera, non autem ex odio, sicut si Iudex condemnat reum ex odio peccat mortaliter, non autem si ex iustitia; imo laudabiliter facit.

7 Tertio quæritur, an aliquando quis teneatur accusare aliquem de aliquo crimine sub pena peccati mortalis? ad hoc respondet D. Thom. 2. 2. q. 61. ar. 1. quod si tale crimen vergit in magnum detrimentum respublicę, & non potest impediri alia via, quam per accusationem, tenetur accusare si est publicum, vel si illud potest probari, secus si non potest probari, idem dicunt omnes alij Doctores.

8 Quarto quæritur, an ille, qui scit aliquod crimẽ sub sigillo secreti, teneatur vel possit reum eius criminis accusare? ad hoc secũdum DD. dico primo, quod si ille scit crimen in secreto per confessionem sacramentalem, nec tenetur, nec potest reum accusare; imo peccat mortaliter accusando, non enim potest dari casus, in quo confessio sacramentalis possit reuelari præter eum, in quo id fit de licentia pœnitentis.

Dico secundo, quod si ille scit crimen in secreto extra dictam confessionem, & tale crimen vergit in periculum corporale, vel spirituale multitudinis, vel in graue damnum alicuius personę, tunc tenetur illud propalare, vel accusando, vel denunciando, vel testificando, si non potest aliter dictum periculum, vel damnum impedire, etiamsi promiserit illud non reuelare, vt ait Arm. ver. accusatio §. 7. & ratio est quia nemo potest obligari contra debitum charitatis per tale secretum.

Dico tertio, quod si crimen est tale, quod non vergat in detrimentum alicuius, vt si iam est perpetratum, ille, qui illud habet sub sigillo secreti non tenetur illud propalare, maximè si non potest probare etiam prælato præcipiente, quia seruare fidem quando potest fieri sine detrimento charitatis, est de iure naturali, contra quod nihil potest præcipi ab homine.

De reo, seu accusato.

1 *An peccet reus defendendo causam iniustam.*

2 *An liceat reo protrahere litem, vt proroget tempus solutionis.*

3 *Reus an teneatur respondere Iudici legitimè interroganti de crimine capitali.*

4 *Reus an teneatur respondere de delicto occulto.*

5 *Condemnatus ad mortem, an possit se per vim defendere.*

1 PRimo quæritur, an peccet reus, qui in foro ciuili defendit causam iniustam? ad hoc respondent omnes DD. quod peccat mortaliter si scienter hoc facit; secus si eam defendit existimans causam esse iustã; similiter peccat mortaliter

taliter, qui non desistit à defensione iniustæ causæ, quam antea putabat esse iustam; ita Nau. in Man. cap. 25. nu. 35. exēplum si Petrus creditor petit à me debitore centum coram Iudice, ego si probabiliter credo me non esse debitorem non pecco si causam defendo, sed postquam cognouero me iure esse debitorē, vel per scripturas, & probationes, quas affert Petrus, vel alia via, tenebor sub pœna peccati mortalis cessare à lite; imo nisi cesso teneor ad restitutionem expensarum, quas faciet Petrus in prosequenda lite.

Sed dicet hic aliquis, estne licitum reo defendere litem non ad vincēdum, sed tantum ad prorogendum tempus sententiæ, vel ad hoc vt fiat compositio cū parte? Ad hoc respondeo negatiuè, & si inde oritur damnum notabile actori est peccatum mortale; atque hinc sequitur quod quando creditor in iudicio petit debitum à debitore; si debitor respondet non constare de debito cum sciat debitum esse verum, & ideo cogatur creditor exquirere instrumēta, vel alias probationes ad probandum debitum, peccat mortaliter debitor, & tenetur restituere omnes expēsas quas fecit creditor, vt constaret de debito.

3 Secundo quæritur, an reus in foro criminali teneatur respondere verum Iudici interroganti, si crimen de quo interrogatur sit etiam capitale? ad hoc respondet Nau. in Man. cap. 25. num. 35. quod reus, qui interrogatur à suo Iudice seruato ordine iuris, tenetur sub pœna peccati mortalis fateri verum, etiā si crimen sit capitale; ita etiam D. Thom. cōmuniter receptus 2. 2. q. 69. ar. primo & Gab. in 4. d. 15. q. 6.

Et notandum est primo, quod dixi, interrogatus à suo Iudice, quia si reus interrogatur à Iudice non suo, non tenetur fateri verū, vt si Comensis, qui deliquit Comi, interrogetur à Iudice Papiē si, nisi Papiensis esset delegatus à Senatu, vel Principe ad hoc.

Notandum est secundo, quod dixi, seruato ordine iuris, qui ordo, vt seruetur, tria requiruntur, primum est, vt delictū, de quo reus interrogatur sit notorium, aut semiprobatum, tunc autem dicitur semiprobatum, quando est vnus testis oculatus idest qui viderit reum committentem crimen, nam si tantum audiuit, & deponit de auditu, non facit delictū semiprobatum. Item talis testis debet esse omni exceptione maior, idest vir probus, & loco testis huius sufficit aliquod probabile indicium; secundum quod requiritur est, vt probatio iam sit posita in processu; tertium quod requiritur est, vt probatio sit reo notificata, vt videat se ad obediendum mandato Iudicis teneri; positis enim his tribus adeo reus obligatur fateri veritatem, vt non sit absoluendus à Confessario nisi proponat illam fateri, nam si iudex non possit præcipere reo, vt dicat veritatē, ita vt teneatur reus eam fateri, tueret totus ordo iuris, qui est in republica necessarius; ita Nau. loc. cit. D. Th. & Caiet. l. cit. & notat Nau. c. 25. nu. 37. quod Cōfessarius diligenter debet considerare, ne præcipiendo confiteri in iacturam corporis, eum in non præcipiendo in iacturam animæ inducat; ratio autem cur reus non teneatur fateri verum quando non interrogatur secundum ordinem iuris est, quia reus non tenetur de iure respondere nisi quando Iudex potest de iure interrogare eum, sed Iudex non potest de iure interrogare reum aliter, quam secundum ordinem iuris, ergo reus non tenetur respondere, &c.

4 Tertio quæritur, quid si delictum sit omnino occultum? respondeo quod sicut Iudex non potest interrogare de delictis occultis, quia delicta quæ sunt occulta soli diuino iudicio reseruantur, ita nec reus tenebitur respondere.

5 Quæritur vltimo, an condemnatus ad mortem possit per vim se defendere. Ad hoc respondent DD. quod non, vnde non posset occidere satellites, vt fugeret, quia bellum ex parte sui esset iniustū posset tamen fugere sine peccato, quia nullus ita damnatur, vt ipse sibi mortem inferat, & licet custodes fugiendo ponantur in periculo, hoc tamen non intendit fugiens, & propterea malum quod infertur custodibus propter fugam condemnati ei non imputatur; ita Ar. v. accusatio § 16.

De Teste.

Testis an teneatur dicere verum in Iudicio.
Quid si testis interrogetur de re, de qua dubitat, an sit vera, vel falsa.
Si quis minetur mortem testi, ne dicat verum, potestne dicere falsum ad vitandam mortem.
An qui testimonium dixit in iudicio credens dicere verum, & postea comperit falsum, teneatur reuocare dictum suum.
Qui testatur verum credens esse falsum an peccet mortaliter.
An aliquis teneatur se offerre, vt dicat testimonium.
Accipiens pecuniam pro ferendo vero test.monio, an peccet mortaliter.
Accipiens pecuniam pro testificanda falsitate, qualiter peccet.

QVæritur primo, an testis teneatur dicere verum in Iudicio? ad hoc spondeo cum D.Th.2.2.q.70. & alijs D. quod peccat mortaliter testis affirmādo in iudicio illud esse verum, quod itat esse falsum, vel è contrario illud se falsum, quod putat esse verum; & siiliter peccat mortaliter, si tacet verū, quo à Iudice legitimè interrogatur; Nau.l.cit.n.40 & rationem huius afrr D.Th.2.2.q.70.ar.4. nam primo ofndit Deum dicendo falsum testimoım, quia facit contra præceptum Delogi, & contra iuramentum, quia com initer testis antequā testificetur prius at dicere verum, secundo quia offen Iudicem cui obedire tenetur, tertio ia offendit proximum in cuius præiucium tacetur verum, & notandum est od testis falsus non tantū peccat mor iter dicendo falsum testimonium; sed am tenetur ad restitutionem, si eius timonium vergit in notabile dānum rtis.

Sed dices primo, quid si aliquis te interrogetur de re, de qua dubitat, si vera, vel quam nescit esse veram, l falsam?

Respondeo quod talis peccat mortaliter eam affirmando, vel negando in iudicio, quia exponit se periculo dicendi falsum.

3 Dices secundo si pars minaretur mortem testi, si diceret verum posset ne testis ad euitandam mortem dicere falsum? ad hoc respondet Nauarr.& bene num. 40. quod quamuis timor iustus posSit excusare à non testificando, non tamen potest excusare à testificando falsè, quare posset talis fugere ne testimonium diceret, sed si vellet, vel cogeretur testimonium proferre, teneretur verum dicere non obstante periculo mortis.

4 Quæritur an ille, qui dixit testimonium in iudicio affirmando rem aliquam, quam putabat esse veram, & postea cognouit esse falsam teneatur reuocare dictum suum? Ad hoc respondet Nau.l.cit.& D.Th.l cit. quod tenetur reuocare suum dictum, maximè si reuocatio potest prodesse, potest autē prodesse si statim post attestationem se corrigat, vt dicūt Iuristæ, & ex interuallo etiam potest prodesse, antequam sententia feratur saltem ad debilitandum primum dictum, nam tunc cessabit esse testis omni exceptione maior.

5 Quæritur tertio, an ille, qui testatur verum, quod credit esse falsum, peccet mortaliter.

Respondeo quod quantum in se est, dicit testimonium falsum, non tamen tenetur ad restitutionem postquam sciuit quod dixit falsum, sed esse verum.

6 Quæritur quarto, an aliquis teneatur se offerre, vt dicat testimonium?

Ad hoc respondeo cum D.Th.l.cit.a. 1. quod ille, qui vocatur à Iudice suo; & interrogatur legitime tenetur testificari; ille uero, qui non vocatur non tenetur testificari, nisi in casu necessitatis, idest quando propter eius testimonium esset aliquis à morte liberandus, vel à graui aliquo damno; nam sicut in casu extremæ necessitatis tenemur pascere esurientem, ita & tenemur dicere testimonium spōtè, ne alter, qui eget nostro testimonio moriatur.

7 Quæritur vltimo, an accipiens pecuniam pro ferendo testimonio peccet

mortaliter. Ad hoc resp. Nau. cap. cit. & Arm. verb. testis § vlt. quod peccat mortaliter secundum Archiepiscopum Florentinum, quia facit expresse contra iura hoc rationabiliter prohibentia, & est turpe lucrum, vt dicitur 14. q. 5 cap. non sane, & tenetur restituere danti, potest tamen testis petere expensas, vt notat glos. in cap. statutum de rescriptis in 6. quia proprijs expensis non tenetur ad hoc nisi in extrema necessitate, item potest petere lucrum cessans operum suorum, vt habetur capitulo venturis 4. quest. 3.

8 Quod si dicas, quid si quis acciperet pecuniam pro falsitate dicenda? Respondeo, quod magis peccat mortaliter, & teneretur ad restitutionem, sed non danti, sed illi, in cuius iniuriam data est pecunia, vel pauperibus; atque hæc de teste satis.

De Aduocato.

1 *Aduocati peccata qualia sint, & in quibus consistant.*

2 *Qualiter teneatur aduocare in causa pauperis.*

QVæritur quænam sint peccata aduocati? Ad hoc respondet Caiet. in summa verbo aduocatus, quod aduocatus, & procurator peccat primo assumens causam iniustam defendendam scienter, siue ad vincendum, siue concordandum, siue differendum, seu aliter, etiamsi caput aliquot iustum capiant, vt iustum impediant, aut peruertant, vel differant. Peccat item si non vult vel negligit seruari merita causæ, sed qualiscunque sit assumit tuendam, & non curat an quod assumit sit iustum, vel non. Peccat tertio si prosequitur causam iniustam, quam à principio iustam credebat, hæc enim prosequutio infert iniuriam proximo, debet enim causam deserere, & monere clientulum, vt cedat. Peccat quarto si negligat studere, & adhibere debita remedia causæ secundum quod potuit, & debuit. Peccat quinto occultando clienti iniquitatem causæ cum cliens existimet se rationem souere, huiusmodi enim occultatio dolosa est, & infert iniuriam clienti, & etiam aduersario. Peccat sexto cum docet clientem proponere, aut dicere falsum, vel tacere veritatem cum opus est eam confiteri. Peccat septimo exigendo à cliente plusquam debet, facit enim contra iustitiam, & charitatem.

2 Peccat octauo cum non vult, aut negligit aduocare in causa iusta pauperis, cum possit, nec appareat alius, qui aduocet, & sine eius adiutorio pauper opprimi creditur, Nauar. in Man. cap. 25. num. 29. putat quod aduocatus peccet quando non vult aduocare in iusta causa pauperis tantum si ex amissione eius causæ pauper redigeretur in extremam necessitatem, & dicit hanc esse opinionem D. Thomæ, idem dicit Caiet. in summâ D. Thom. 2. 2. q. 71. a. 1. sed errant meo iudicio, quia etiam tenetur aduocatus aduocare in iusta causa pauperis quando non apparet alius, qui aduocet, & cũ propter omissionem causæ nõ esset pauper redigendus in extremam necessitatem vitæ suæ, vt si viderem domum socij, aut alterius proximi esse in periculo combustionis, & possem impedire absque meo damno, ex charitate tenerer impedire talem combustionem, etiamsi propter talem cõbustionem proximus non esset redigendus in extremam necessitatem vitæ suæ, ita & aduocatus tenetur aduocare in causa pauperis, cum non est alius, qui aduocet ne causa amittatur, etiamsi ex amissione talis causæ pauper non esset redigendus in extremam necessitatē, nec aliter, quam nos diximus dicit. D. Thom. vt videre est 2. 2. q. 71. ar. 1. atq; hec de aduocato dicta sufficiant, quę desumpta sunt ex Caiet. Armilla verbo aduocatus; D. Th. 2. 2. q. 71. & Nauarr. in Man. cap. 25.

CA-

CAPVT II.

De iniurijs verborum, quæ fiunt contra proximum extra iudicium.

De contumelia, conuitio, & improperio.

Contumelia quid sit, & quomodo differat à conuicio, & improperio.
Dehonorari potest proximus verbis, litteris, signis.
Contumelia, conuicium, & improperium an sint peccata mortalia.
Homo an debeat sustinere contumelias.

QVæritur primo, quid sit contumelia, & quomodo differat à conuitio, & improperio: De contumelia, conuitio, & improperio agit D.Th. 2.2.q.72. Nauarr. in Man. cap. 18. à num. 9. & infra. Caiet. Arm. & alij summistæ in verbo Contumelia, vel Conuitium, & iuxta doctrinam horum DD. ad propositum respondeo, quod Contumelia est iniuria, quæ fit proximo verbis, seu factis, quæ habent vim significandi sicut verba, dehonorando eum, vt cum quis alteri dicit, tu es Leno, tu es meretrix, fur &c.

Differt autem contumelia à conuitio, quia per conuitium representatur defectus pœnę, cum quis dicit, iste claudus, seu culpæ, vt cum quis dicit, iste explorator, per contumeliam vero refertur tantum defectus culpæ; improperium autem ab his duobus differt, quia per improperium refertur tantum defectus indigentiæ derogando honori, vt cum quis dicit, si ego non fuissem, mortuus fuisses fame; quare contumelia est species conuitij; improperium vero & à conuitio, & contumelia differt, licet in cæteria confundantur inter se, & nomine contumeliæ intelligantur.

2 Potest autem dehonoratio fieri, vel verbis, vel litteris, vel signis alijs, ad hunc finem tamen, vt deueniant ad notitiâ eius, contra quem fit contumelia, sicut est scribere libellũ diffamatoriũ, & eum mittere ad eum, contra quem scribitur, vel deturpare ostium, aut pingere cornua, & huiusmodi, Causa dehonorandi.

3 Quæritur secundo, an ista tria sint peccata mortalia. Ad hoc respondeo iuxta DD. citat. quod sunt peccata mortalia, quando fiunt causa dehonorandi aliquem, quia sic sunt cõtra charitatem proximi, lædunt enim honorem, quod est magnum bonum, & maius, quam diuitiæ; non sunt tamen peccata mortalia si fiunt non ex intentione dehonorandi, sed tantum ioco, vel ex leuitate, vel causa correctionis; si enim hęc fiant ex ioco &c. non sunt propriè contumelia &c. sed impropriè: posset tamen fieri si inquiunt dicti DD. quod aliquis peccaret mortaliter per contumeliam &c. etiamsi non fieret causa dehonorandi, sed ioco &c. quando ex tali contumelia sequitur notabilis dehonoratio proximi, quam debebat animaduertere ille, qui proferebat contumeliam &c.

4 Quæritur tertio, an homo debeat sustinere contumelias? Ad hoc respondet D. Thom. loc. cit. art. vltimo, quod sustinere contumelias quoad præparationẽ animi semper bonum est, & ad hoc tenetur iuxta illud, si quis percusserit te &c. non tamen bonum est eas sustinere; quando cedunt in malum animæ arrogantis, quia ob hoc fit audacior, vel quando ex sufferentia impeditur profectus aliorum; atque hæc de contumelia satis sint.

De detractione.

1 *Quid sit detractio.*
2 *Detractio quomodo distinguatur à contumelia.*
3 *Detractio an sit peccatum mortale.*
4 *Detractionis auditor an peccet mortaliter.*
5 *An peccet qui dicit malum de seipso, maximè si illud non fecit.*

6 *Detractor, an teneatur ad restitutionem.*

1 Quæritur primo, quid sit detractio? De detractione agit D.Th. 2.2. q. 93. per 4. ar. Nauarr. in Man. cap. 18. Syl. Caiet. Tab. Armilla, & alij summistæ in verbo detractio; iuxta quorum doctrinam respondeo, quod detractio est denigratio alienæ famæ per occulta verba; idest per verba dicta in absentia eius, cui detrahitur.

2 Atque ex hac definitione colligere possumus, vt etiam colligit D. Thom. l. cit. ar. primo, quod in duobus distinguitur detractio à contumelia, primo quia per detractionem tollitur fama alterius, per contumeliam vero tollitur honor, distinguitur autem fama, & honor quia fama est bona existimatio, quā homines habēt de aliquo, honor vero est reuerentia, quę alicui exhiberi debet ab alijs propter aliquam excellentiam; secundo detractio distinguitur à cōtumelia, quia illa fit per occulta verba, idest per verba dicta in absentia eius, cui detrahitur, ista vero fit per verba dicta in præsentiā eius, cui fit contumelia, seu per verba dicta ad hunc finem, aut signa facta ad hunc finem, vt perueniant ad notitiam eius, cui fit contumelia.

3 Quæritur secundo, an detractio sit peccatum mortale? Ad hoc resp. secundū dictos DD. l. citatis quod detractio formalis idest facta ad hunc finem, vt fama proximi diminuatur, vel tollatur est peccatum mortale, & probatur quia si furtum est peccatum mortale quia aufertuntur per illud res externæ proximi, multo magis erit peccatum mortale detractio, quia per eam tollitur fama proximi, quæ est maius bonum, quam sint cœtera bona temporalia; si uero detractio non fiat ad hunc finem, vt dematur fama alterius, sed propter alium, & bonum finem, non erit peccatum, nec propriè dicetur detractio, vt si aliquis cum debitis circunstantiis aliquem accuset, vel denunciet propter bonum finem, Similiter non erit peccatum mortale, si quis ex leuitate proferat aliqua verba detractoria, sed non ad hunc finem, vt fama proximi lædatur, nisi fortè talia verba sint adeo grauia, vt notabiliter lædatur fama proximi; vnde dicit D. Thom. quod detractio tunc semper, & tunc solum est peccatum mortale, quando notabiliter quis lædit famam proximi ex intentione, vel etiam sine intentione, sine causa rationabili.

Aduertendum tamen est quod etiam sequitur ex dictis, quod ille, qui ex loquacitate profert ea de aliquo, quæ & pro mortali, & pro veniali possunt accipi, vt dicendo talis est magnus superbus, iracundus, vel huiusmodi, quæ sumi possunt, & pro naturali inclinatione, & motu primo, nō peccat mortaliter, quia talis ex se non lædit famam notabiliter, quia audientes debent in meliorem partem interpretari; ita Syl. loc. cit. §. 2. secus tamen esset si ille, qui talia profert, animaduerteret ab audientibus esse interpretanda in peiorem partem; vel si talia proferret, vt dicentes interpretarentur in peiorem partem.

Aduertendum secundo, quod occultè dicere peccata venialia alterius, vel defectus parui momenti, non est plusquā peccatum veniale secundum se, quia peccata venialia communiter non infamant notabiliter.

Aduertendum tertio, quod dicere peccata mortalia notoria aliorum, modo sint notoria audientibus, non est peccatum mortale, quia sic non læditur fama proximi, cum iam sit læsa.

Sed dicet hic aliquis si quis diceret, audiui de tali quod est &c. peccat ne mortaliter? Respondeo, quod Scot. vt ex aliis dict i DD. negat.

Sed dicendum est, quod si ex talibus læditur fama proximi est peccatū mortale, secus si non læditur.

4 Quæritur tertio, an peccet mortaliter auditor detractoris? D.Th. l. cit. dicit quod peccat mortaliter, quia talis videtur consentire detractioni, & consequenter fit particeps criminis detractionis.

Notandum tamen est non esse peccatum, quando auditor ex timore, aut magna verecundia non audet corrigere detrahentem, nisi ex officio ei incumbat; vel sit periculū ut aliquod malum eueniat

niat illi, cui detrahitur.

5 Quæritur quarto, an ille, qui dicit malum de seipso peccet mortaliter, maximè si dicit malum, quod non facit? Caiet. affirmat etiamsi quis tale malum diceret propter torturam; alij dicunt quod non peccat mortaliter, quia vnusquisque sicut potest prodigere res suas sine peccato mortali, ita & famam. Nauarr. cap. 18. vbi agit de detractione, dicit quod infamare seipsũ tunc est peccatum mortale quando talis infamia redũdat in damnum animæ, vel corporis sui, vel aliorum. Probabilior opinio est illa Caietani, quia vnusquisque debet habere curam de bono nomine, vt dicit sacra scriptura, quare si quis propter tormenta confessus est malũ, quod non fecit, tenetur retractare se post tormenta, aliter est in periculoso statu, vt etiam dicit Sylu. in summ. verbo detractio §. 4.

6 Quæritur vltimo, an detractor teneatur ad restitutionem? ad hoc respondeo affirmatiuè, quomodo autem debeat fieri restitutio famæ, dictum est, vbi de restitutione, atque hæc de detractione.

De susurratione.

1 *Susurratio quid sit.*
2 *Susurratio an sit peccatum mortale.*
3 *Susurratio an aliquando non sit peccatum mortale.*

1 Quæritur primo, quid sit susurratio? De hac agit D. Tho. 2. 2. qu. 74 Nauar. in Man. cap. 18. nu. 13. & 14. Caiet. Armil. Sylu. Tab. & alij summistæ in suis summ. ver. susurratio; & secundum mentem Nauarri num. 13. cit. susurratio est significatio inordinata mali culpæ, vel pœnæ, vel defectus naturæ alteri facta, per quam seritur discordia.

Sed generalius, & melius secundum Caiet. Arm. & alios dicendum est quod susurratio est locutio facta ad tollendam amicitiam, quæ est inter aliquos.

Et hinc colligitur differentia, quæ est inter susurrationem, contumeliam, & detractionem, nam per susurrationẽ læditur amicitia, per detractionem læditur fama, & per contumeliam honor. Ita D. Th. 2. 2. q. 74. ar. 1.

2 Quæritur secundo, an susurratio sit peccatum mortale. Ad hoc respondent omnes DD. quod de sua natura est peccatum mortale quia est contra charitatem, sicuti enim peccatum mortale est furtum, quia tollit rem alterius, contumelia quia tollit honorem, detractio, quia tollit famam, ita & erit peccatum mortale susurratio, quia tollit amicitiam, quæ est maximum bonum; imo dicit Nau. l. cit. quod ille, qui commisit peccatum susurrationis, non debet absolui nisi reconciliet amicos, inter quos seminauit discordiam, in quantum potest, aut si non potest, nisi satisfaciat dãnis inde secutis secundum iudicium boni viri, vel nisi firmiter proponat hæc facere.

3 Quæritur tertio, an aliquando non sit peccatum mortale. Respondeo quod illa per quam non intenditur propriè læsio amicitiæ, vel per quam non damnificatur proximus, non est peccatum mortale, vt si quis intẽderet seminare discordiam inter concubinarios tantum ad hunc finem, vt non amplius committerent peccatum carnis, non peccaret, quia eius finis non est tollere amicitiam sed peccatum; adde etiam quod talis amicitia non est bona; secundo si quis per susurrationem intenderet leuiter lædere amicitiam aliquorum, non esset peccatum mortale, quia exigua læsio non est mortalis.

De derisione.

1 *Derisio quid sit, quomodo distinguatur à contumelia, detractione, & susurratione.*
2 *Derisio, an sit peccatum mortale, & quando.*

1 Quæritur primo, quid sit derisio, & quomodo distinguatur à cõtumelia, detractione, & susurratione? De hac agit D. Th. 2. 2. q. 75 Nauar. in Man. cap. 18. nu. 15. Caiet. & alij sum-

summistæ verbo derisio, & secundum Nau: derisio est significatio inordinata mali culpæ, pœnæ, vel defectus naturæ alterius ad inijciendam erubescẽtiam; sed dicẽdum est quod est locutio facta, vel actus factus ad inijciendam erubescentiam, seu ad tollendam animi quietem, & distinguitur derisio à Contumelia, quia per contumeliam tollitur honor, à detractione, quia per detractionẽ tollitur fama; à susurratione per quam tollitur amicitia; & per istam tollitur quies animi per erubescentiam, seu per perturbationem ipsius animi.

2 Quçritur secundo, an derisio sit peccatum mortale?

Respondeo affirmatiuè quando deridens in effectu intendit inducere notabilem perturbationẽ, vel aduertit quod inducit notabilem perturbationem, vel id aduertere deberet; Et notandum est pro regula generali cum Nauar. Caiet. cap. citato, quod Contumelia &c. & quçlibet iniuria verborum tunc est mortalis, quando fit animo notabiliter nocẽdi iniustè aliquẽ in bonis spiritualibus, aut temporalibus, quamuis non noceat. Item illa est mortalis, quç fit nocendo notabiliter etiam sine animo nocendi; aduertendo tamen, aut aduertere debendo, quod per illam notabiliter proximo noceatur, alias est tantum peccatum veniale.

De maledictione.

De maledictione agit D. Th. 2. q. 75. & nos de ea diximus circa secundum prçceptum Decalogi, & quæ ibi diximus de maledictione sunt etiã huic præcepto applicanda, quatenus maledictio non est blasphçmiam; nam quatenus est blasphçmia pertinet ad secundum præceptum.

De rixa.

1 *Rixa quid sit.*

2 *Contentio verborum, an sit peccatum mortale, si sit sine contumelia, detractione irrisione.*

1 Quçritur quid sit rixa? Secundum Caiet. in summ. ver. eodem, est contentio proueniẽs ad facta ex inordinato animo, vt cum propria auctoritate vnus inuadit alterum; & est peccatum mortale ex suo genere, quia est nociua proximo, & si ex vtraq; parte rixa se tenet, hoc est quod mutuo contra se pugnant irati, vtrinque est peccatum mortale si autem altera pars soli defensioni operam dat, ex parte eius nõ est rixa, modo seruet moderamen inculpatæ tutelæ. Atque ex his videre possumus quod rixa potius pertinet ad præceptum, non occides, quam ad præsens; nam offensio, quam inducit rixa, potius consistit in factis, quam in verbis.

2 Quod si dicas contentio verborum estne peccatum mortale, si sit sine contumelia, detractione, irrisione? Respondeo quod Nauarrus in Manuali cap. 23. num. 11. dicit contentionem esse filiam vanagloriæ, & quod per eam homo inclinatur ad inordinatè altercandum; & num. 24. eiusdem capitis dicit quod ille peccat mortaliter qui altercatur per contentionem contra perspicuam veritatem in his, quæ pertinent ad sanctam fidem Catholicam; aut ad salutem animç, vel corporis.

Caietanus in summa verbo contentio dicit, quod tunc contentio idest verborum altercatio est peccatum mortale quando per eam impugnatur veritas, cuius veritatis mendacium est perniciosum: secus si defenditur mendacium officiosum, vel iocosum. Vnde peccares mortaliter, qui altercando defenderes mendacium contra fidem Catholicam, vel vt dicit Nauar. contra pertinentia ad animam, vel corpus; nisi vt dicit Caiet. id fieret disputationis gratia, vt fit in disputationibus apud scholasticos ad hoc vt magis eliciatur veritas, & vt ad argumenta respondeatur, quam videntur contra veritatem facere.

De

De mendacio.

Mendacium quid sit.
Intentio fallendi, an sit de essentia mendacij.
Mendacium quotuplex sit.
Mendacium an sit peccatum mortale.
Omne mendacium formale, an sit peccatum mortale.
An liceat aliquando celare veritatem.

Quæritur primo, quid sit mendacium? De mendacio agit D. Thom. 2.2.q.110. Nauar. in [S]an. cap. 18. num. 2. & infra. Sylu. Tab. [C]aiet. Arm. & alii summistæ in sum. su. is [v]erbo mendacium, & secundum Nauar. [l.] cit. mendacium est significatio falsi, [v]el putati falsi pro vero; sed melius [se]cundum D. Thom. l. cit. ar. 1. Syl. in sum. [l.] cit. §. 1. & Caiet. l. cit. mendacium est [fa]lsa significatio vocis cum intentione [fa]llendi; & hæc definitio desumpta est [e]x verbis D. Aug. vt refertur 22. q. 2. ca. [ne]le ergo.

Circa quam definitionem notandum [es]t primo, quod vocabulo vocis non in[te]lligitur tantum vox, quæ principatum [te]net inter signa, sed etiam scriptura, & [n]utus, & factum.

Notandum secundo ex D. Th. l. cit. [&] Syl. loc. cit. quod illa particula (cum [in]tentione fallendi) non est de essen[ti]a mendacij, sed de eius perfectione, [q]uia mendacium potest esse absque eo; [q]uod sit intentio fallendi; vel si est de [e]ssentia mendacij) interpretanda est, vt [n]am interpretatur Caiet. l. cit. si cum intentione fallendi, hoc est falsum di[c]endi.

3 Quæritur secundo, quotuplex sit [m]endacium. Ad hoc respondeo cum D. [T]h. loc. cit. Caiet. & alij DD. l. cit. quod [t]riplex est, nam aliud est materiale tan[t]um idest quando quis dicit falsum cre[d]ens dicere verum, & hoc non est pro[p]riè mendacium. Aliud est formale tan[t]um, vt cum quis dicit verum credens [d]icere falsum, & hoc est verè menda[c]ium, quia in hoc aliud significatur in voce, quam habeatur in mente, & mentiri est contra mentem ire; Aliud est materiale, & formale simul, vt cum quis dicit falsum credens dicere falsum; & hoc est etiam vere mendacium, quatenus continet in se formale mendacium. Rursus formale mendacium triplex est, aliud iocosum, quod fit ad delectandũ, aliud officiosum, quod fit ob aliquam vtilitatem, aliud est perniciosum quod nocet alicui in rebus spiritualibus, vel corporalibus, aut temporalibus; Ita D. Thom. q. cit. Nau. l. cit. nu. 3. & alij omnes in verbo mendacium.

4 Quæritur tertio, an mendacium sit peccatum mortale. Ad hoc dico primo ex D. Thom. l. cit & Sylu. l. cit. §. 2. quod omne mendacium est peccatum, itaut etiam pro vita alicuius non liceat mentiri, vt dicit D. Thom. Aug. & omnes Theologi, & Canonistæ, quos citat Syl. l. cit. Et D. Aug. in c. mihi 2.2. q. 2. dicit, quod ad salutem æternam nullus est ducendus opitulante mendacio, & includit in fine nullum mendacium esse absque peccato; Vnde inquit Sylu. errauit venerabilis Cassianus, qui dixit licere mentiri ob magnam vtilitatem assequendam, vel magnum malum euitandum.

Cur autem omne mendacium sit peccatum rationem assignat D. Thom. loc. cit. vel dicendum est omne mendacium esse peccatum quia repugnat veritati, quæ est virtus. Hæc autem intelligenda sunt de mendacio materiali, & formali simul, vel de formali saltem, quia mendacium materiale tantum, vt bene dicit Sylu. l. cit. § 1. non est peccatum, cũ enim dicitur falsum non est peccatum si desit voluntas dicendi falsum, si adsit diligentia, qua cogitetur, an quod dicitur sit verum, & si deest diligentia mendacium materiale est peccatum veniale tantum nisi sit casus, in quo quis teneatur adhibere diligentiam sub pœna peccati mortalis, puta in actu testificandi, in quo imminet notabile damnum proximo, vel quando quis vult iurare.

5 Dico secundo, quod non omne mendacium formale est peccatum mortale, sed tantum perniciosum notabiliter, de quo

quo dicitur cap. primò os, quod mentitur occidit animam; & dixi notabiliter, quia si parum nocet est tantum peccatum veniale.

Sed hic, sunt dubitationes prima est, quia Euangelistæ videntur mentiri, nam in enarrandis mysterijs, & miraculis Christi aliter, & aliter videntur verba, & facta Christi, & aliorum referre; secundo in Sacra scriptura legimus in testamento veteri obstetrices, quæ erant apud Ægiptios fuisse à Deo remuneratas propter mendacium; tertio Gesta sanctorum narrantur in Sacra scriptura ad informationem vitæ humanæ, ergo non sunt peccata; sed de quibusdam sanctis viris legitur quod sunt mentiti, vt dicitur Abraam Gen. 12. & 20. qui dixit vxorem suam esse sororem, & de Iacob Gen. 27. qui dixit se esse primogenitum, cum tamen non ipse, sed Esau fuerit primogenitus, & de Iudith legitur, quod nonnulla mendacia dixit Holopherni.

Ad primum respondendum est ex D. Th. 2. 2. q. 110. cit. art. Syl. & Tab. l. cit. verbo mendacium, quod non est mendacium in Sacra scriptura, nam si in ea esset mendacium rueret tota fides Catholica, nec est mendacium in Euangelistis, quia aliter, & aliter, & verba, & gesta Christi referant, nō enim est mendacium inquit D. August. quem citant dicti DD. si plures eandem rem, quam viderunt non eodem modo, atque eisdem verbis indicarint. Multa de hoc dicit D. Aug. in lib. de consensu Euangelistarum.

Ad secundum respondeo, quod obstetrices non fuerunt à Deo remuneratæ propter mendacium, sed propter Dei timorem, & beneuolentiam, ex qua processit mendacium: Vnde Exodi 1. dicitur, & quia timuerunt Deum fabricauit illis domos Deus; ita respondent dicti DD. l. cit.

Ad tertium respondeo secundum Nicol. de Lyra supra cap. 27. Genesis, quod non est necesse excusare omnes sanctos nominatos in sacra scriptura à mendacio maximè officioso, quia Apostoli fuerunt perfectiores quam sancti veteris testamenti, & tamen non fuerunt immunes à peccatis venialib., imò plures illorum Pattum veteris testamēti leguntur peccasse mortaliter; ita & respondet Syl. l. cit. Vel dicendum est, vt dicit D. Th. ar. cit. ex D. Aug. & vt referunt Syl. & Tab. loc. cit. quod in sacra scriptura inducuntur aliquorum gesta perfectæ veritatis, de quibus non est æstimandum, eos fuisse mentitos, si qua tamen in eorum dictis appareant, que mendacia videantur, intelligēdum est ea figuraliter & prophetice dicta esse, Abraam tamen dixit iure Saram sororem suam esse idest filiam Patris sui, licet non Matris, vt patet Genesis 20. Iacob etiam dixit se esse Esau primogenitum mysticè, quia primogenita eius illi iure debebantur; vsus est autem tali modo loquendi spiritu prophetico ad designandū, quod minor populus scilicet gentilis substituendus erat in loco primogeniti, idest Iudæorum. Quidam vero commendantur in scriptura, non propter perfectam virtutē, sed propter quandam indolem virtutis, scilicet quia in eis apparebat aliquis laudabilis affectus, ex quo mouebantur ad facienda quædam indebita, sicut laudatur Iudith non quia est mentita Holopherni, sed propter affectum, ad salutem populi, quamuis vt dicit D. Thom. ar. cit. etiam dici possit quod verba eius habent veritatem secundum aliquem mysticum intellectum.

Sed adhuc dicet aliquis quarto, minus malum est eligendū, vt vitetur maius malum, sicut medicus præcindit aliquod membrum, ne corrumpatur totum corpus, sed minus nocumētum est quod aliquis generet falsam opinionē in animo alicuius, quam quod aliquis occidat vel occidatur, ergo mendacium non est peccatum, & videtur licitum alicui mentiri, vt vnum hominem præseruet ab homicidio, & alium præseruet à morte. Ad hoc respondet D. Th. 2. 2. q. 110. ar. 3. ad 4. quod mendacium non solum habet rationem peccati ex dāno, quod infert proximo, sed etiam, quia opponitur virtuti; quæ est veritas, non licet autem facere malum ad impediendum nocumentum, & defectus aliorum, & ideo non est licitum mandatum dicere

ad hoc, quod aliquis alium liberet ab aliquo periculo, licet aliquando licitum sit occultare veritatem, vt infra dicetur.

Dicet quis sexto, mēdacium est si quis non impleat, quod promisit, sed non omnia promissa sunt implenda, dicit enim Isidorus, vt refertur 22.q.4. c. in malis, quod in malis promissis rescindenda est fides, igitur non omne mendacium est peccatum? Ad hoc respondet D. Th. ar. cit. ad 5. quod ille, qui aliquid promittit si habet animū faciendi quod promittit, non mentitur; quia non loquitur contra id, quod gerit in mente; si vero non faciat quod promisit nec mentitur, nec infideliter agit in aliquibus casibus, vt si promisit malum facere; sed de promissione quando sit seruanda sub pœna peccati satis dictum est circa secundum præceptum Decalogi, vbi de voto. Atq; hæc quantum ad primum dictum satis.

Circa secundum dictum; in quo dicebamus non omne mendacium esse peccatum mortale, sed tātum perniciosum dicet aliquis primo, quod oē mendaciū sit pec. mortale quia dicitur Ps. 5. perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Et cap. 1. Os, quod mentitur occidit animam; Sed perditio, & mors animæ non est nisi peccatum mortale, ergo omne mendacium est peccatum mortale; secundo omne, quod est contra aliquod præceptum Decalogi est peccatum mortale, sed mendacium est contra hoc præceptum Decalogi, non dices falsum testimonium; ergo omne mendacium est peccatum mortale; tertio officiosum, & iocosum mendacium sunt peccatū mortale, vt dicit Nauarr. in Man. cap. 18.n. 3. si fiant cum magno scandalo aut animo non abstinendi ab eis, quamuis sint peccata mortalia, ergo non tantum mēdacium perniciosum est peccatum mortale. His tamen non obstantibus, dicendum est quod tantum mendacium perniciosum est peccatum mortale. Per mēdacium autem perniciosum intelligimus illud quod est cōtra charitatē Dei, vt cum quis corrumpit fidem docendo falsam doctrinam, hoc enim mendaciū non tantum opponitur virtuti charitatis, sed etiam fidei, & Religioni, & ideo est grauissimum peccatum mortalissimum, vel quod damnificat proximum notabiliter in rebus spiritualibus corporalibus, vel temporalibus, vel dicitur cum intentione notabiliter damnificandi proximum in dictis rebus; ita Nauar. in Man. l. cit. n. 3.

Quod si dicas si quis concionando diceret aliquod mendacium peccaretne mortaliter? Respondeo quod si dictū mēdaciū sit de minima re puta citādo vnum caput pro alio non peccaret mortaliter; si vero prædicaret miracula falsa, vel doctrinam falsam, peccaret mortaliter; quia vt dicit Nauar. l. cit. nu. 5. ex parte dicentis fides, & existimatio miraculis Christi, & eius sanctorum adimeretur. Similiter si quis in Confessione Sacramentali diceret mendacium circa materiam propriam confessionis peccaret mortaliter, quia tale mendacium esset perniciosum, vtpotè contra integritatem confessionis, vt diximus vbi de confessione in Sacramento Pœnitentiæ.

Ad primum ergo respondeo cum D. Th. loc. cit. ar. 4. quod auctor. illæ Ps. 5. & cap. 1. sunt intelligendæ tantum de mendacio pernicioso, vt exponit Glossa super illud psalmi; perdes omnes qui loquuntur mendacium.

Ad secundum respondeo, quod tantum mendacium perniciosum est contra precepta Decalogi, & hoc est quod prohibetur isto præcepto, Non dices falsum testimonium.

Ad tertium respondeo, quod officiosum, & iocosum mendacium, si cum scandalo magno dicantur, sunt mendacia perniciosa, quia damnificant proximum in bonis spiritualibus, in eo enim quod scandalum præbent, animam proximi offendunt, & propterea verum est quod dicit Nauarr. quando mendacium de sua natura officiosum, & iocosum sit perniciosum.

Quod si dicas si iuramētum addatur mendacio officioso, vel iocoso est peccatum mortale, & tamen est mendaciū officiosum, vel iocosum.

Ad hoc respondeo, quod est peccatum

tum mortale non ratione mendacij, sed iuraměti falsi, quod cognoscitur ex hoc quia tale mendacium si dicatur sine iuramento non est peccatum mortale; potest etiam dici, quod mendacium de sua natura officiosum, vel iocosum, si addatur iuraměntum, fit perniciosum, quia est contra religionem, & charitatem Dei.

6 Quæritur quarto, an liceat aliquando celare veritatem: Syl. in summ, v. mědacium §. vlt. dicit, quod si homo non sit obligatus respondere secundum intětionem alicuius, potest celare veritaté; quod multipliciter fieri solet, primo quando id, quod dicit est verum in vno sensu, licet non sit verum in alio, in quo capitur ab audiente, vel interrogante; sicut Abraam Gen. 12. vt supradixit vxorem suam esse sororem suam, cum .n. esset & soror, & vxor, dicebat esse sororem, vt celaret esse vxorem; secundo, quando ad eandem interrogationé possent dari multæ responsiones, & vna datur, alia vero tacetur, sicut Samuel primo Reg. 15. veniens in Betleem principaliter ad inungendum Dauid in Regé, & secundo ad sacrificandum, interrogatus ad quid venisset, respondit ad sacrificandum, quia volebat celare, quod venisset ad inungědum Dauid, eo quod timebat Regem Saul; tertio qñ locutio est duplex, idest habens duplicem sensum, & in vno est vera, in alio falsa, & loquens intendit loqui in sensu vero, ne interrogans cognoscat veritatem, sicut D. Franciscus interrogatus de vno, qui quærebatur, vt occideretur, an transierit per talem viam, respondit non transijsse hac, intelligens per suam manicam, ne interrogans cognosceret veritatem, similiter si clericus in Porta ciuitatis interrogaretur, an haberet aliquid, de quo gabella sit soluenda, & responderet non, intelligens de quo sit soluenda à Clerico, quarto qñ aliquis ĭterrogatur de aliquo, quod non expedit dicere, quia potest dicere se illud nescire, sub intelligendo, vt reuelandum; exemplo Christi, qui dixit se nescire diem iudicij, intelligens secundum DD. ad reuelandum.

Cauenda tamě est ista celatio, primo vbi scandalum posset accidere, secundo coram iudice interogante secundum ordinem iuris, tertio quando quis tenetur confiteri veritatem ex obedientia, vt si superior etiam extra iudicium præcipiat de aliquo, de quo præcipere potest & quarto cauenda est, quando quis iurat extra iudicium non violentatus, sed voluntariè dicere veritatem.

De simulatione, & hypocrisi.

1 *Simulatio quomodo, & quando sit mendacium.*
2 *Hypocrisis quid sit, & quale peccatum.*
3 *Simulatio, & hypocrisis an sint peccatum mortale.*

1 D. Thom. 2. 2. q. 111. dicit simulationem esse mendacium, quãdo videlicet aliquis factis rem aliquam falsam pro vera significat, idem dicit Nau. in Man. cap. 18. nu. 8. & probatur ex his, quę supradiximus in principio de mendacio, diximus enim mědacium esse falsam vocis significationem. Et per vocem intelligenda esse etiam signa, & facta quæ habent vim significandi, vt voces. Simulatio ergo qua significatur id, quod non est, est mendacium, vt si quis fingeret se claudum, mendacium faceret.

2 Ad simulationem reducitur hypochrysis, est enim hypochryta mendax, quia significat se bonum, cùm non sit.

3 Quod si dicas estne peccatum mortale simulatio, vel hypocrisis.

Ad hoc respondeo, quod cum sit mědacium, regulanda est secundum regulas mendacij, si enim sit perniciosa, erit mortalis; si uero tantum iocosa, vel officiosa, venialis. Tunc autem esset perniciosa, quando quis vellet apparere bonus, & vellet non esse, velle enim non esse bonum, est peccatum mortale, & contra charitatem Dei, quia nõ vult esse amicus Dei, qui nõ vult esse bonus.

Similiter esset peccatum mortale, si quis vellet apparere bonus propter aliquem finem malum, puta, vt aliquas hæreses facilius doceret, hæc enim esset perniciosa, aut vt aliquod beneficium

vel

vel dignitatem acquireret, quo beneficio, vel dignitate esset indignus; ita Nauar. c. 18. Man. nu. 8.

De iudicio temerario.

1 *Temerariè iudicans qualiter peccet.*

1 PEccat mortaliter, vt dicit Nau. l. cit. nu. 9. ille, qui per leuia, & minus idonea indicia aut signa in iudicio, aut extra illud firmiter iudicat de proximo aliquid mali in eius notabile damnum; & ratio huius est, quia est mendacium mentale perniciosum contra illud 1. ad Cor. 4. nolite ante tempus iudicare; talis est ille qui damnat peccati mortalis aliquem bonæ existimationis eo solo, quod videat eum loquentem cum muliere secreto, & sic de similibus.

De iactantia.

1 *Iactando in quo consistat.*
2 *Ironia quid sit, & in quo consistat.*

1 IActantia est quando aliquis verbis, vel alijs signis ostendit se esse maiorem, vel nobiliorem quam sit, & hęc vt dicit D. Th. 2. 2. q. 112. est mendacium & propterea tunc est mortalis, quando est perniciosa, venialis verò, quando est tantum iocosa, vel officiosa.

2 Similiter, & ironia est mendacium, est autem ironia vt dicit D. Th. 2. 2. q. 113 quando quis uerbis, vel factis ostendit se minorem esse quam sit, vt cum quis dicit de se aliquod vile, quod tamen in se non recognoscit, aut negat aliquod magnum, quod tamen existimat se habere, & propterea opponitur iactātiæ ironia, & est peccatum mortale tantū quando est perniciosa; de ironia, iactantia, iudicio temerario, & simulatione seu hypochrisi actum hic est, quia sunt species mendacij, & mendacium prohibetur hoc præcepto, Non dices falsum testimonium.

De eo, qui secreta aliena reuelat.

1 *Secretum quid sit.*
2 *Secretum quotuplex.*
3 *Differentia inter species secretorum.*
4 *In quo casu liceat manifestare secreta.*
5 *Secretum an propalandum superiori, si interroget.*
6 *Aperiens litteras alienas obseratas an peccet mortaliter contra secretum.*
7 *Quo in casu liceat sine peccato aperire litteras alienas obseratas.*

1 QVæritur primo, quid sit secretum? Respondeo, quod vt colligitur ex Nau. in Man. cap. 18. n. 52. & quantum pertinet ad presens negotium, quod secretum est illud, quod à tam paucis scitur, vt neque sit notorium, neque famosum.

2 Quæritur secundo, quotuplex sit secretum? Respondeo, quod, quantum ad præsens negotium spectat, ex Nauar. nu. cit. triplex est, aliud quod scitur per cōfessionem Sacramentalem, aliud, quod habetur sub sigillo secreti extra confessionem Sacramentalem, cum promissione tacita, vel expressa illud non reuelandi; & aliud, quod ab aliquo scitur, ita tamen vt non possit illud reuelare, sine damno alicuius in bonis animæ, famæ corporis, vel fortunę.

3 Quæritur tertio, quę differentia sit inter hæc secreta? Ad hoc respondeo cū Nau. cap. cit. n. 52. & 51. quod secretum, imo & omne peccatum, quod scitur in confessione sacramentali seu per cōfessionem Sacramentalem, est ita occultandum, vt sine peccato mortalissimo non possit manifestari, siue sciatur à confessario, siue ab eo, qui finxit se confessarium, siue ab interprete, quando lingua pœnitentis est ignota confessario, quæ omnia intelligenda sunt, vt diximus vbi de cōfessione sacramentali; nullus enim quolibet metu etiam mortis potest manifestare aliquod peccatum etiam minimū cognitum per confessionem sacramentalem excepto casu in quo pœnitens aliqua iusta de causa facultatē facerer mani-

nifestandi aliquod peccatum. Secũdum & tertium non possunt manifestari sine peccato mortali, & dicit Nauar. nu. 52. cit. exceptis duobus casibus, quorum primus est quando tale secretum vergit in perniciem Reipublicę, vel alicuius priuatæ personæ, si enim mihi sub sigillo secreti dixisti te velle occidere Franciscum, vel furari carnes non tantũ non teneor tacere, sed teneor admonere Franciscum, nisi possim alia via quã tacendo impedire tale malum; secundus casus est quando propalatio talis secreti posset inferre paruum damnum, tunc enim propalatio talis secreti esset tantum veniale, & non mortale, sicuti furtum de parua re est tantum peccatum veniale; & primus casus est intelligendus, etiamsi secretum sit iuratum cum promissione non propalandi, quia iuramentum contra bonos mores non est obligatorium.

5 Sed dicet aliquis an secretum sit propalandum superiori, & maximè si superior interroget? Ad hoc respondeo ex Nau. nu. 52. cit. Syl. in summa verb. Testis §. 8. & verbo cõfessio vltimo §. eodem, qui loquuntur secundum opinionẽ D. Th. quos DD. vos ibi videte. D. Bonauentura, & sum. Ang. vt eos citat Syl. l. cit. dicunt quod ratione obedientiæ tenetur subditus propalare secretum. Contrarium videntur dicere alij dicti DD. quando secretum est cum promissione illud non propalandi; secus quando nõ est cum tali promissione, maximè Nauar. num. cit. intellige hæc quando non sit secretum in damnũ alicuius, puta loci, vel alicuius personæ, tunc enim est propalandum.

Verum quidem est, quod si malum potest impediri per aliquam viam, quam nominando personã, est impediendum, vt si quis esset certus reum fore emendandum per correctionem fraternam, sed DD. citatos vos videte.

6 Quæritur vltimo, an peccet mortaliter, qui aperit litteras alienas obseratas. Ad hoc resp. cum Nau. l. cit. n. 53. quod si quis aperit animo lędendi aliquem aduertens, vel aduertere debens, quod inde posset notabile damnum oriri, peccaret mortaliter, posset tamen quis absque peccato aperire litteras alienas, primo si putaret esse suas, secundo si id faceret de licentia eius, qui eas mittit, vel cui mittitur, tertio si id faceret auctoritate legitima, vt faciunt superiores regulares, & alii etiam, & hostes tempore belli; posset etiam esse tantum peccatũ veniale, vt si quis aperit litteras, quas putat esse suas; sed imprudenter; aut si aperit ob curiositatem, sine damno notabili aliorum, & sine intentione nocendi sola causa sciendi noua, vel captandi rĩsum ex barbara compositione, aut discendi ex eleganti, quia hoc non esset contra, sed pręter charitatem Dei, aut proximi; adde inimicum mittentis, aut eius, cui mittitur epistola absque peccato posse reserare, si iustè timet per eã sibi parari aliquod damnum; atque hęc de nona parte dicta sufficiant.

PARS DECIMA.

De nono Decalogi præcepto.

Quod est, non concupisces vxorem proximi tui.

SICVT per præceptum, non mœchaberis, prohibetur peccatum luxuriæ, quod committitur per actum exteriorem, ita per istud præceptum, non concupisces vxorem proximi tui prohibetur peccatum luxuriæ, quod committitur in mente, seu corde. Sed quoniam peccata mentis, seu cordis desumunt suam specificationem, & diuisionem ex specificatione, & diuisione peccatorum, quæ committuntur in actu exteriori, ideo nil est aliud, quod dicamus circa istud præceptum nisi velimus repetere ea, quæ dicta sunt circa illud præceptum, non mœchaberis; sicut enim est adulterium reale si quis habet copulam carnalem cum coniugata non sua; ita erit adulterium mentale, si quis deliberatè desiderat habere copulam carnalem cum aliena muliere coniugata: & sicut committit incestum ille qui habet rem cum consanguinea, vel affine, ita & ille qui deliberatè desiderat habere rem cum consanguinea, & affine committit incestum, & sicut sacerdos vel quilibet in sacris constitutus, aut alius qui castitatem vo-

uit committit facrilegium habendo copulam carnalem;ita & committit facerdos &c. cum deliberat habere copulam carnalem,etiamfi postea eam non habeat propter aliquod impedimentum, vel pœnitentia ductus, & fic de reliquis, funt enim eiufdem fpeciei peccata cordis, & operis, quę funt circa idem obiectum, vt velle furari, & furari, velle fornicationem, & eam committere; atque ex his colligitur, quod tot fpecies peccati funt contra hoc præceptum nonum, quot diximus effe contra illud præceptum, non mechaberis,nec eft opus eas repetere, vos eas ibi videte. Eft tamen hæc differentia, quod peccata, quæ funt cordis non inducunt impedimentum aliquod matrimonij, vt faciunt peccata operis, vt eft inceftus,nam inceftus in mente licet fit eiufdem fpeciei cum inceftu in opere,non inducit tamen affinitatem ficut inceftus in opere; & promiffio cum adulterio in mente tantum non inducit crimē impediens Matrimoniū ficut promiffio cū adulterio in re;fed de hoc fusè vbi de Matrimonio, rurfus peccata mentis carnis non funt referuata ficut aliqua peccata exterioris operis carnis,vt inceftus in mente in primo, vel fecundo gradu affinitatis non eft referuatus, ficut inceftus in opere in eodem primo, vel fecundo gradu affinitatis, vel cōfanguinitatis.Similiter peccata mentis carnis nō hñt annexā excōicationē ficut aliqua peccata operis carnis, vt velle hēre rem cum moniali non habet annexam excommunicationem, fed quidem habere rem cum moniali in monafterio, vt velle occidere facerdotem, & eum occidere funt peccata eiufdem fpeciei, fed velle occidere non habet annexam excommunicationem &c.

Tantum reftant duæ dubitationes circa primum præceptum, quarum prima eft, quare fint conftituta duo præcepta diftincta inter fe prohibentia peccata cordis, & operis luxuriæ,& auaritiæ, ideft præceptum,non mechaberis,& non cōcupifces vxorem &c. Item pręceptum non furaberis, & non concupifcis rem proximi tui, & non ita fint conftituta duo pręcepta diftincta inter fe prohibentia peccata cordis, & operis de teftimonio falfo,& de homicidio &c.ideft non occides,

cides, & non concupisces occidere &c. Ad hanc dubit. resp. D. Thom. 1. 2. q. 100. art. 5. in responsione ad 5. arg. quod delectatio adulterij, & vtilitas diuitiarum sunt per seipsa appetibilia, in quantum habeat rationem boni delectabilis, vel vtilis, & propter hoc oportuit in eis prohiberi non solū opus, sed etiam concupiscentiam seorsim; sed homicidium, & falsitas testimonii, sunt secundum seipsa horribilia (quia proximus, & veritas naturaliter amantur) & non desiderantur nisi propter aliud, & ideo non oportuit circa peccatum homicidij, & falsi testimonij tradere duo præcepta, vnum prohibens peccatum operis, & aliud cordis.

Secunda dubitatio est, quia præcepta legis dantur de actibus hominum, sed prior est actus cordis, quam operis exterioris, ergo inconuenienter videntur postponi præcepta, quibus prohibentur peccata cordis præceptis, quibus prohibentur peccata exterioris operis? Ad hoc resp.° quod præcepta non furaberis, & nō mœchaberis fuere posita ante illa, quibus prohibetur adulterium, & furtum mentale, quia adulterium, quod fit in opere exteriori, & furtum, quod fit in opere exteriori sunt clariora, & magis nota, quam sit adulterium, & furtum mentale, licet illa sint posteriora quantum ad executionem; atque hæc de hac parte satis.

PARS VNDECIMA.

De vltimo Decalogi præcepto.

SICVT præcepto, Nõ furaberis, prohibetur omnis iniusta rei alienæ acceptio, vel detentio, ita hoc præcepto, Nõ concupisces rem proximi tui, prohibetur omne desiderium iniustè accipiendi, vel detinendi rem alienam; & quoniam vt supra diximus in parte antecedenti peccata cordis, & operis sunt eiusdem speciei, & ideo tot sint species peccatorum contra primum præceptum, quot sunt contra illud, non furaberis, de quibus diximus circa idem præceptum, non est opus, quod circa hoc præceptum aliqua differamus, sed tantum recolenda sunt, quæ ibi diximus. Verum quoniam inter ludos sunt aliqui quibus luditur propter lucrum, & in quibus videtur desiderari res proximi, qui enim pecuniam ludit, vt plurimum vincere vellet, & qui vellet vincere, videtur rem alterius desiderare, idest pecuniam, ideo de ludo hic est differendũ, ne sicco pede pertranseamus istam partẽ, & vt perfectus sit hic Tractatus,

1 *Ludus quid sit.*
2 *Ludus quotuplex sit.*
3 *Ludus malus an sit peccatum mortale.*
4 *Quandonam ex circunstantijs ludus possit esse peccatum.*
5 *Ludi clerico prohibiti.*
6 *An quod obtinetur per ludum, sit obnoxium restitutioni.*
7 *Quid de acquisitis in ludo per fraudem.*
8 *Quid de ludente cum filio familias.*
9 *Pater an possit repetere pecuniam à filio amissam.*
10 *De mendacijs in ludo commissis.*
11 *De fraudibus in ludo occurrentibus.*
12 *Spectator ludi ad peccet non admonendo collatores de fraude.*
13 *De sponsionem facientibus in ludo, an peccent.*
14 *Acquisita ludo illicito an sint obnoxia restitutioni.*

Quæ-

Quæritur ergo primò quid sit ludus? Nau. in man. cap. 19. dicit quod est actus factus principaliter propter recreationem animi; sed melius meo iuditio dicendum est, quod ludus est actus immẽtus propriè propter recreationem animi, nam non omnis ludus principaliter fit propter recreationem animi; nullus tamen deberet esse ludus, qui non esset propter recreationem animi;

2. Quæritur secundò, quotuplex sit ludus? Respondeo quod multiplex est, nam & dicuntur ludere qui comedias agunt, & sunt hastiludia, & dicitur ludus agitatio taurorum, item est ludus in cursu, & aleatum, chartarum, pilæ, & alij infiniti. Generaliter tamen dicendum est, quod duplex est ludus, alius bonus, & alius malus. Bonus est ille, qui est de re bona, & habet bonas circumstantias, vt cum quis ludit ludo de se licito, loco debito, tempore debito, & alijs debitis circumstantijs. Malus est ille, in quo assumuntur turpia verba, vel facta, vel qui est de re mala, vel habet malas circumstantias.

3. Quæritur tertio an ludus malus sit peccatum mortale. Respõdeo quod ludus malus pòtest esse peccatum mortale, primo quando in eo assumuntur turpia verba, vel facta quæ de sua natura sũt peccata mort. vt quãdo in comediis, vel alijs ludis admiscentur impudici actus; si vero talia verba, vel facta turpia sint tantum peccata venialia, & ludus similiter erit peccatum veniale. secundo peccatum mortale, quando infert notabile damnum proximo, vt est hastiludium, agitatio taurorum &c. in quibus vt plurimum est euidens periculum vitæ alicuius. si vero in ludo est periculum parui nocumenti, erit tantum peccatum veniale; tertiò est peccatum mortale, quãdo in eo assumũtur gesta sacramentorũ in derisum; vel contemptum, & hoc propter iniuriam, quæ fit Deo, & sanctis, & in his tribus generibus ludorum ludus dicitur malus de suo genere, quia est de re mala, & si respiciamus ad exempla data, primum genus ludi ex dictis erit contra præceptum, non mœchaberis; secundum erit contra præceptum non occides; & tertium erit contra præceptum non assumes nomen Dei tui in vanum.

4. Ex circumstantijs quarto ludus potest esse peccatum, si quis vellet ludere per multum tempus, quod quidem esset veniale; mortale vero si propter illum omitteret satisfacere alicui præcepto, vt audire missam in die festo. quinto est peccatum, quando talis ludus non esset decens personæ, vt si personæ graues, puta prælati luderent aleis, & chartis, & tunc ludus esset peccatum mortale, vel veniale prout scandalum esset magnum, vel paruum. Sexto est peccatum si fiat in loco sacro, & esset mortale, vel veniale, prout scandalum esset magnum, vel paruum, vel prout parua, vel magna esset irreuerentia. Septimo est peccatum quando secundum legem est prohibitũ, sed nunc meo iuditio ludus non est peccatum mortale propter legem aliquam, maxime apud laycos vt de Nau. cap. cit. nu. 10. nisi ipse ludus de sua natura sit peccatum mortale; vel ex aliqua circumstantia, nam Layci ludunt aleis, cum tamen sit ipsis prohibitus saltem, quantũ ad magnam summã pecuniarum, & tamen Confessarij non arguunt eos de peccato mortali.

Clerici beneficiati si ludunt bona beneficij peccãt mortaliter, ex Nauar. l. cit. intellige si ludunt in magna quãtitate. Octauo ludus est peccatum mortale, quando est cum fraude, quæ fraus inferat socio, vel alijs notabile nocumentum; si vero est parua, erit peccatum veniale. Nono ludus est peccatum mortale, quando quis ludit cum spe lucri cum eo, qui non potest donare, vt cũ monacho, cum filio familias, cum vxore alicuius, cum scholaribus habentibus patrem; dicit tamen Nau. quod scholares, & monachi possunt amittere paruam partem ex pecunijs, quæ illis dantur ad sustentationem in studijs.

Si quis vero ludat propter lucrum principaliter cum eo, cui potest donare est peccatum veniale, quia vt sit actꝰ virtutis debet esse propter recreationem principaliter, non propter lucrum. Concludendum igitur est quod ludere

est licitum, si ludus sit de re licita, & habeat circumstantias licitas; illicitum vero si est de re mala, vel habet malas circumstantias; licet autem ludus sit licitus, ait Nau. l. cit. quod modico ludo cōdienda est vita hominis, sicut cibus modico sale, alioquin desinet esse licitus. Et aduertendum est quod dicit Nau. ibidem, quod ludus propter lucrum principaliter licet non sit peccatum mortale, si sit cum eo, qui potest donare, & sit de re licita, & habeat alias bonas circumstantias, est tamen mala negotiatio, tum quia per eum aufertur amicis, quibus erat potius dandum, vt ait Arist. tum quia per eum quis assuescit bonis aleæ subijciendis, & multum temporis inaniter consumere; tum quia est occasio vt coniuges, & liberi parui faciant damna bonorum, & custodiam eorum, cum maritum, aut patrem vno aleæ ictu tantam bonorum iacturam facere videant; tum quia paucissimi facere possint lucrum, aut ditescere per ludum, imo per eum multa mala & vitia imbibuntur.

5. Quæritur quarto an sint aliqui ludi clericis prohibiti. respondeo quod sunt multi, vt ludus alearum, taxillorū, & alij, de quibus capitulo clerici, secundo de vita, & honestate clericorum; & dicit Panor. dicto cap. quod clericus publicè aleator ipso facto repellitur à promotione ordinum.

Quod si dicas clericus ludens ludis sibi prohibitis peccatne mortaliter? respondeo cum Ar. in sum. V. ludus negatiue, idest quod non peccat mortaliter propter legē prohibentē, quia lex illa non prohibet ludos eis sub pœna peccati mortalis, posset tamē peccare mortaliter, vel ratione scandali, si publice ludat aleis, vel ratione modi, vel ratione circumstantiæ alterius, quia esset peccatum mortale.

6. Quæritur quinto, an id, quod acquiritur per ludum sit obnoxium restitutioni, idest an qui ludit, & vincit teneatur restituere cui vicit, vel pauperibus? Ad hoc respondeo negatiuè, vt dicunt doctores, excipitur tamen casus hic, primo quando ille, qui ludit, ludit cum eo, qui non potest alienare, vt si lusisti cum puero, vel cum alio filio familias & vicisti, teneris restituere patri illius, quia non poterat perdere pecuniam non suam; secundo excipitur quando quis fraudolenter vicit, si enim ludo lucratus es decem per fraudem, teneris eadem restituere ei à quo accepisti. Tertio excipitur, vt dicūt nonnulli doctores, & Ar. ver. ludus § 5. quando quis est lucratus per ludum prohibitum per aliquam legem, in qua præcipitur, vt fiat restitutio, sed hæc lex in nostris regionibus non obligat, & si aliquando forsan obligauit, nunc videmus esse abrogatam per contrarium vsum, vt etiā dicit Ar. l. cit. § 6. secus esset in illis locis, in quibus lex esset in viridi obseruantia, vt dicit Franciscus Garsias esse in Hispanijs propter duas leges in eo regno nuper editas.

7. Quæritur sexto, & sit casus, hodie ego ludo cum Antonio, & fraudulenter lucror decem, & cras ludo cum eodem, & sine fraude ille lucratur decem, teneborne ego restituere ei decem, quæ lucratus sum hodie, an potero recumpensare cum illis, quos perdā cras? Ad hoc respondeo cum communi doctorū opinione quod adhuc tenebor restituere decem, Arm. l. cit. dicit quod Secus dicendum esset, si in eodem ludo, & eodē tempore ego perderem illa decem, quæ fraudulenter vici; sed melius est dicere absolutè quod tenetur restituere quicquid acquirit per fraudem, nec potest recompensare id quod perdit sine fraude cum eo, quod acquirit cum fraude.

8. Quæritur septimo, & sit casus, Antonius filius familias, qui non potest donare, lusit cum Petro, qui potest donare, & Petrus lucratus decem, postea die sequenti Antonius iterum ludit cū Petro, & Petrus amittit decem, potestne Petrus facere recompensationē? Nau. in man. cap. 19. Syl. & Ar. ver. ludus. Franciscus Batt. vbi de ludo, dicunt quod de subtilitate iuris non potest, sed tenetur restituere decem Patri Antonij, quia de iure filius familias potest Patri acquirere, sed non distrahere; Dicendum tamen est cum Nau. & Syl. affirma-

firmatiuè de æquitate conscientiæ licet de subtilitate iuris contrarium videatur iustum. Ar.l.cit.§.8.dicit quod opinio, quæ habet non posse fieri recompensationem in hoc casu est magis vera, sed probabilior est opinio Syl. & Nauarri.

9. Quæritur octauo an pater possit repetere pecunias, quas filius lusit ab eo, qui cum filio lusit? ad hoc respondent doctores affirmatiuè, quia vt supra dictum est, filius non potest distrahere bona Patris; ita dicit Panor. cap. clerici de vita, & honestate clericorum.

Quæritur nono, an peccet ludens, qui scienter dicit se habere plura puncta, quam habeat? Respondeo quod peccat, quia mentitur, & mendacium semper est peccatum, vt supra dictum est vbi de mendacio, & si propter tale mendacium lucratur, tenetur restituere id, quod lucratur, quia non est verum lucrum.

Sed dices, esset ne peccatum mortale, an veniale tantum? Respondeo quod est mortale, si infert notabile damnum, & peccatum veniale, si parum nocet iuxta ea, quæ supra diximus de mendacio.

10. Quæritur decimo, an ille, qui aduertit socium collusorem dicere se pauciora puncta habere quam habeat aliquo errore, & propterea exponit se periculo perdendi, teneatur dictum sociū admonere quod habet plura puncta, quam dicat? Nau. in man.cap.19.n.17. dicit quod tenetur admonere, & si non admonet tenetur eidem dare quicquid dedisset, vel dare debuisset, si omnia sua puncta, quæ habebat animaduertisset, ratio est quia talis accepit, id quod alter iam erat lucratus.

11. Quæritur decimoprimo, an ille, qui accipit priorem locum, quem manum appellant, qui illi non debetur peccet? Nau. l.cit. affirmat, quia surripit ius aptius lucrandi collusori, quamuis non teneretur restituere quantum lucraretur, sed quantum illud ius prioris loci valet, sicut qui lædit messem non teneatur restituere quantum illa in area redderet, sed quanti æstimaretur in herba. Tu dic quod tenetur restituere damnum quod patitur socius propter priorem locum ab alio acceptum iniuste, sicut & illi, qui damnificat messem, tenetur restituere tantum, quantum patitur Dominus messis.

12. Quæritur decimosecundo, an inspector ludi peccet non admonendo ludentem, qui errat in computando? Nau. l.cit. dicit quod peccat, sed non tenetur ad restitutionem, quia facit contra charitatem, & non contra iustitiam. Tu vero dic quod peccat contra charitatem, nisi timeret quod ex tali admonitione nasceretur odium apud socios ludentes contra ipsum; non enim tenetur quis alteri auxiliari cum damno proprio in eodem genere bonorum, vel in altioti, vt amittendo amicitiam, quam habet cum alijs, vt saluet aliquod bonum temporale proximi sui.

13. Quæritur decimotertio, an qui facit sponsionem, quæ ab Italis dicitur scomessa, per quam spondentes aliquid sibi mutuo promittunt in aliquem euentum incertum præteritum, vel futurum peccet?

Respondetur negatiuè, vt dicit Nauar.cap.cit.nisi aliquis certo sciret asser tum à se esse verum, & id dissimularet, vt alium ad sponsionem induceret, quia dolo sic in damnum proximi sui vtitur.

14. Quæritur decimoquarto, an ille, qui lucratur per ludum illicitum teneatur restituire quod lucratur? Nau.l.cit. nu.18. & bene dicit quod non, quamquam peccauerit ludendo ludo illicito; sicut nō tenetur lucrum restituere, quod quis facit exercendo opera seruilia in die festo; secus tamen esset si talis lusisset cum fraude, vel cum eo, qui non poterat donare; Atque hæc de ludo, ac tota Decalogi materia dicta sufficiant ad laudem & honorem Dei Opt. Max, Genetricisque eiusdem. &c.

Finis Tractatus Decalogi.

IO. BAPTISTAE BIZOZERI S. T. D.

TRACTATVS DE CONTRACTIBVS.

PARS PRIMA.

De Contractibus in Generali.

QVIA perutilis, & maximè necessaria cõfessarijs est cognitio contractuum, quia in politica rerum administratione ab homine maximè peccari potest contra eorum obseruationem, quæ contractum aut licitum, aut illicitum faciunt. Ideò post præcepta Decalogi, imo & in ipsis præceptis inserenda erat acurata illorum tractatio, ex qua liquido constet quid cautè, & quid incautè factum cõtingat, ne quis contra legem Dei temerè præuaricari iudicetur. Diuidetur igitur hic tractatus in duas partes. In prima agam de contractibus in communi; in secunda de ipsis in particulari.

PARS

PARS PRIMA

De contractibus in Generali.

IN hac parte primo quęritur quid sit contractus, à definitione enim rei est exordium sumendum, quoniam vt ait Aristoteles in Physicis ex definitione apparēt natura, & qualitates rei, & facile dissoluuntur difficultates, quæ circa naturam, & proprietates rei oriri possunt. Ad quæsitum ergo Respondeo. Quod Sotus lib. 6. de Iust. & Iur. qu. 2. ar. 1. in principio dicit quod contractus est actio inter duos ex qua hinc, & inde oritur obligatio; sed meo iudicio melius & magis secundum verba Iuristarum deffinit contractum Syluester in summa verbo contractus in principio, dicens quod contractus est vltro citroquè obligatio, ex voluntate partium consurgens, quæ deffinitio desumpta est ex Vulpiano, vt videre est lege labeo. ff. de verbornm significatione & rerum significatione, & quæ deffinitio vt intelligatur duo sunt notanda pro explicatione duarum eius partium.

1. Et primo circam primam particulam, quæ est, vltro, citroque, idest hinc & inde, vel ex vtraque parte obligatio, quod hoc nomen contractus tripliciter sumi potest vt videre est apud Sylu. in sum. u. contractus à §. 2. videlicet, vel propriè, vel improprie, vel improprijssime.

Proprie sumitur nomen contractus, quando significat actionem ex qua oritur hinc & inde, & seu ex vtraque parte obligatio, quod idē est, ac dicere vltrò, citroque, & hoc modo emptio, & venditio dicuntur contractus, quia in emptione & venditione hinc & inde oritur obligatio, idest & ex parte ementis, & ex

parte

parte vendentis.

Ex parte vendentis, quia vendens obligatur, ad dandam rem, quam vendit.

Ex parte ementis, quia emens obligatur, ad dandum pretium quo rem emit.

Improprie vero summitur nomen contractus, quando significat actionem ex qua non vtrinque oritur obligatio, sed tantum ex altera parte, & hoc modo donatio dicitur contractus, quia in donatione nihil obligatur donatarius, idest ille, cui donatio fit, sed tantum obligatur donans, quia ipse tenetur dare id quod donat, & aliquando tenetur de euictione. Improprijssime autem sumitur nomen contractus quando significat actionem ex qua nec vtrinque oritur obligatio, neque ex altera parte, sed potius dissoluitur obligatio, quæ antea erat, & hoc modo acceptilatio dicitur contractus, est autem acceptilatio imaginaria, & non vera solutio, & cum quis confitetur se recepisse à debitore integram debiti solutionem, quam tamē verè non recipit.

In deffinitionibus Soti, & Sylu. supra allatis nomen contractus tantum primo modo idest proprie accipitur.

3. Notandum est secundo circa alteram definitionis partem, quæ est, ex voluntate partium consurgens, quod non ex voluntate partium hic intelligo eā, quæ non est contra leges irritantes contractum. Potest autem voluntas volentium contrahere esse illigitima, seu cōtra leges irritantes contractum ex triplici capite.

Primo ex parte partium ipsarum, quę volunt contrahere, vt si pupillus vel beneficiatus, vellet vendere sua bona, vel beneficia, tunc contractus esset nullus, quia voluntas contrahentis non est legitima, ex parte personæ, nam lex prohibuit venditionem quam facit pupillus, vel clericus de bonis Ecclesiæ.

Secundo voluntas potest esse illegitima ex parte rei, de qua tentatur fieri contractus, vt si aliquis vellet vendere rem non suam inuito Domino, vel vellet vendere spiritualia, quæ pretio æstimari non possunt, prohibet enim lex, ne vē dantur aliena, inuito Domino; vel spiritualia, itaut si vendi voluerint, contractus erit nullus.

4. Tertio ex modo, siue forma; vt si duo, qui contrahere possunt Matrimonium, tentarent illud contrahere clandestinè, absque Præsentia Parochi, & Testium, contractus esset nullus, quia voluntas contrahentium esset illegitima; neque ex parte rei, quia Matrimonium potest esse inter illos; sed ex parte modi, quia per legem matrimonium nunc factum clandestinè, nullum est. Atque hæc de definitione contractus sufficiāt.

5. Secundo. Quæritur quotuplex sit contractus? Respondeo secundum cōmunem Doctorum opinionem, quod est duplex, alius in quo transfertur Dominiū rei de vno in alium; & alius, in quo non transfertur.

Rursus contractus, siue per eum transferatur Dominium rei in alterum, siue non; duplex est, alius videlicet qui dicitur nominatus, & alius, qui dicitur innominatus.

Contractus nominatus est sicuti emptio, & venditio, locatio & huiusmodi, & dicitur nominatus quia proprium nomen habet, & adeo illi peculiare, vt alteri contractui diuersi generis minime conuenire possit, vt commodatio non potest dici venditio; neque nomen commodationis conuenit venditioni.

Contractus innominatus diuiditur in quatuor species, quæ sunt do, vt des; facio, vt facias; do, vt facias; facio, vt des: & contractus dicuntur innominati, quia propria, & peculiaria nomina non habent, quæ illis solis conuenire possint, sed nomina generalia, quæ & contractibus nominatis conuenire possint, vt do, vt des, potest conuenire emptioni, & venditioni. Sed de his contractibus innominatis non tractant Doctores, quoniam in omnibus sequuntur naturā contractuum nominatorum, quibus assimilantur, & propterea difficultates, quæ possunt oriri circa naturam contractuū innominatorum facile soluitur, & hic, quæ dicuntur pro solutione difficultatem quæ oriuntur circa contractus nominatos.

Tertio. Quæritur, qui nam sint contractus

tractus nominati, in quibus non transfer ur Dominium rei de vno in alium? Respondeo cum Nau. in Man. cap. 17. nu. 180. quod de numero contractuum nominatorum in quibus non transfertur Dominium, sunt depositio, commodatio, locatio; cui correspondet cõductio, & opignoratio.

Depositio est contractus per quem aliqua res datur alteri, vt eam custodiat, atque hic contractus regulariter fit in fauorem dantis, & non accipientis; dixi regulariter, quoniam aliquando etiã ceditur in vtilitatem accipientis, vt quã do depositario pro custodia datur pecunia, vel aliud quod sit pecunia æstimabile.

Commodatio est concessio vsus alicuius rei facta gratis alicui, vt gratuita concessio, puta vsus Mulæ, equi, vestis, & id genus aliorum, & hic contractus regulariter fit in fauorem accipientis. Dixi regulariter, quia aliquando etiam potest fieri in vtilitatem dantis, vt si ego sibi darem ensem, quo me ab inimico meo deffendas.

Locatio est contractus per quem cõceditur vsus alicuius rei alicui pro pretio, vt concessio vsus domi, campi, vestis, & id genus aliorum non gratuita, sed pro pretio, & hic contractus semper fit in vtilitatem dantis, & accipientis.

Opignoratio demum est contractus, per quem creditori dat debitor aliquid in pignus ad securitatem pro debito, & hic contractus fit in vtilitatem accipiẽtis, & aliquando etiam dantis, & correspondet fideiussioni; nam pignus est sicut fideiussio, imo melius est habere pignus quam fideiussionem; vnde dicunt Iuristæ, melius esse incumbere pignori quam personæ.

7. Quarto quæritur quinam sint contractus nominati in quibus transfertur dominium? Respondeo cum Nau. in Man. cap. 17. nu. 180. cit. quod de numero contractuum nominatorum in quibus transfertur dominium sunt emptio, cui correspondet venditio; permutatio seu cambium; & mutuatio, quibus Nau. addit donationem, quæ tamen non est proprie contractus, quia non est vltro, citroque obligatio vt dictum est supra in primo quæsito.

Emptio est contractus quem res pretio cõtrahitur.

Venditio est contractus per quem res pretio distrahitur.

Permutatio seu cambium est contractus per quem vna res datur pro alia, & vulgariter dicitur Baratto, nã de cambio pecuniarum est alia ratio, & de eo in hoc tractatu non agitur.

Mutuatio est contractus per quem transfertur Dominium rei vnico vsu consumptibilis cum pacto reddendi tantundem in eadem specie post aliquod tempus, vt explicabitur in sequentibus.

Demum donatio est contractus improprie per quem gratis transferinr dominium rei. Circa contractuum enumerationem sunt nonnullæ dubitationes.

Prima Dubitatio. Matrimonium est vere contractus tamen non fuit numeratum in tertio, vel quarto quæsito, igitur enumeratio contractuum numeratorum supradicta non videtur sufficiens. Et quidem quod Matrimonium sit pròprie contractus probatur.

Primo quia Matrimonium est vltro citroque obligatio ex voluntate partiũ consurgens, obligatur enim per matrimonium maritus vouens vxori, & vxor marito, deinde licet apud Fideles Matrimonium sit Sacramentum quoddam nouæ legis, non tamen propterea desinit esse contractus immo Matrimonium vt est Sacramentum fundatur in ipso prout est contractus, vt dictum est in tractatu de Sacramentis parte octaua.

Secundo. Apud non Baptizatos vt apud Iudæos Matrimonia sunt contractus, etiam si non sint Sacramenta; imo si duo infideles putarent se esse Baptizatos Baptismo fluminis & matrimonium contraherent, & postea cognoscerent se non esse Baptizatos, tenerentur quidẽ Baptizari, sed non iterum matrimonium contrahere, quia Matrimonium potest esse, etiam si non sit Sacramentum, vt quando duo infideles coniugati ad fidẽ conuertantur; licet Baptizatus, iterum

tamen

tamen Matrimonium non contrahunt, quia Matrimonium prout est contractus potest consistere etiam si non sit Sacramentum? Respondeo quod licet Matrimonium sit vere, & proprie contractus, & nominatus, tamen non fuit connumeratum inter suprascriptas, quia per contractum matrimonij fit traditio personarum, hic vero tantum agimus de contractibus circa res exteriores; nam de Matrimonio, cum apud nos etiam sit Sacramentum, de eo actum fuit cum egimus de Sacramentis.

9. Secunda Dubitatio est quod alij Doctores vt D. Sot. lib. 6. de Iust. & Iur. qu. 2. art. 1. vbi ex professo intendit enumerare contractum stricto modo, aliter enumerat eos ac nos facimus, enumerat enim Sotus inter cōtractus emphiteusim, permultatam commodationē, & non enumerat depositum, & oppignorationem; ergo vel aliorum Doctorum enumeratio, vel nostra non est sufficiens? Respondeo quod tanta est inter Doctores varietas in enumeratione contractuum, vt vix inueniantur duo, qui inuicem conueniant, & quidem Sotus existimauit enumerationem contractuum esse desumendam hoc pacto.

In omni contractu necesse est, vt fiat transactio, aut dominij rei, aut vsusfructus rei, aut vsus rei: hæc enim tria inquit Sotus possunt considerari in re, in qua celebratur contractus, idest vel dominium rei, vel vsusfructus rei, vel vsus rei.

Si transferatur dominium rei inde emergunt tres contractus, nam si transferatur gratis, erit donatio, quæ tamen nō est proprie contractus, vt dictum est supra. Si transferatur pro pretio, erit vēditio, cui correspondet emptio. Si transferatur per commutationem alterius rei, vt dando vinum pro Oleo, erit cambium. Et addidit quarto si transferatur dominium rei consistentis in numero vel pondere, vel mensura, cum pacto recipiendi tantundem, erit mutuatio.

Deinde si transferatur vsusfructus, & non dominium rei emphiteusis idest melioratio. Antiquitus enim campi steriles, qui non colebantur à Dominis ipsorum, dabantur in Emphiteusim idest meliorationem volentibus eos colere certa annua pensione, vt fit & nūc etiam vt dicit Syluest. verbo Emphiteusis §. tertio, dantur campi fertiles ad emphiteusim idest ad liuellum, ita vt dominiū directum remaneat apud Dominum, appellatur dominiū vtile remaneat apud conductorem, seu Emphiteutam.

Tertio si transferatur vsus, vel transfertur gratis, & tunc est commodatio, vel pro pretio & tunc est locatio, cui correspondet conductio, si transferatur pro vsu alterius rei, tunc est permutata commodatio. Quare secundum Sotum erunt septem contractus, reducit enim ipse cambium ad venditionem vel permutatam commutationem. Sed hæc Soti enumeratio licet videatur perpulcra, & ingeniosa, non est tamen meo Iuditio bona.

Primo. Quia fundamentum eius est falsum, fundatur enim in eo, quod existimauit de ratione cōtractus esse, vt trāsferatur de vno in alium, vel Dominium rei, vel vsusfructus, vel vsus, quod videtur falsum; nam de ratione contractus est quod fit vltro, citroque obligatio, etiam si dictorū trium aliquid non transferatur.

Secundo; depositio, maxime si depositatio detur pecunia pro custodienda re est vere contractus, quia depositarius obligatur ad dandam pecuniam, ita vt fit vltro citroque obligatio, & tamen per depositionem, neque transferatur dominium rei, neque vsusfructus neque vsus vt patet.

Tertio si enumerandi essent contractus ad modum Soti, donatio esset vere contractus, quia per eam emergit vnus modus, quo transfertur dominium rei. Dicendum igitur est ad dubitationem enphitheusim reduci ad locationem, imo emphitheusis est vere locatio quædam, permutatam vero commodationē etiam reduci ad locationem.

10. Tertia Dubitatio in nostra enumeratione contractuum nō fuit enumeratus contractus assicurationis, & Societatis ergo non fuit sufficiens? Respondeo,

Leo: Quod societas reducitur ad locationem, est enim societas quædam pecuniæ, vel operarum locatio, assicuratio vero reducitur ad pignus. Atque hæc quantum ad enumerationem contractuum.

Et quoniam multum refert pro decisione infinitorum casuum, qui circa contractus oriri solent & maxime circa illos in quibus non transfertur dominiū, cognoscere si res alicuius perit in manu alterius pereat dolo, an lata culpa, an leui culpa, an leuissima culpa, & an casu fortuito. Ideo operæprecium est hic notare quid sit dolus, quid sit lata culpa, quæ leuis, quæ leuissima, & quis sit casus fortuitus.

Dolus est machinatio quædam voluntaria in fraudem, vel deceptionem alicui⁹, & tūc res dicitur perire dolo alicuius quando illa est voluntaria, & spontanea causa vt res pereat, vt si librum tibi commodatum dimisisti spōte in platea vt surriperetur, si surreptus fuit liber, dicitur dolo tuo amissus, vel perijsse; similiter si pecuniam in cubiculo non clauso posuisti, & illum sponte apertū dimisisti vt surriperetur, si surripitur tu diceris dolo pecuniam amisisse, vel pecunia dicitur dolo tuo perijsse, similiter si vinū quod tibi in custodia datum fuit sponte acidum fieri permisisti, dicitur vinū dolo tuo perijsse.

Lata culpa est illa, quam communiter homines euitare solent, & ideò illud dicitur amissū esset, vel tua culpa perijsse, quod ideò perit, quia ad illum cōseruandum non adhibuisti tantam diligentiam quanta in rebus suis similibus gubernandis ab hominibus communiter adhiberi solet, vt si librum tibi accommodatū, vel apud te depositū in pignus in platea dimisisti, vel in ludo apto, vbi homines frequentes esse solent, quia liber si surreptus fuit dicetur tua culpa perijsse, si dictum librum non dimisisti in platea, vel in ludo ad hunc finē vt surriperetur, & hic dicunt Doctores latā culpā esse dolum præsumptum, distinguunt enim dolum verum, & præsumptum; verus est in quo ē culpa spōtanea, præsumptus est lata culpa, in qua non est voluntas spōtanea vt res amittatur, sed præsumitur esse, vt si librum tibi accomodatum in platea dimisisti non vt corriperetur; tunc presumeris ibi dimisisse vt corriperetur leuis culpa est, quā homines diligētes euitare solent, vnde dicitur illud perijsse tua leui culpa, quod ideo perijt, quia non adhibuisti in ea custodienda tantam diligentiā, quantam homines diligentes in similibus rebus adhibere solent, vt si librum tibi cōmodatum in cubiculo posuisti, & ostiū non clausisti & liber surreptus fuit, dicitur liber perijsse leui culpa tua.

Leuissima culpa est illa, quam tantū homines diligentissimi euitare solent, & ideo illud dicitur perijsse leuissima culpa alicuius quod ideo perijt, quia in eo conseruando non est adhibita tanta diligentia, quantam in similibus rebus conseruandis homines diligentissimi adhibere solent, vt si librum sibi commodatum in cubiculo posuisti & Ost iū claue clausisti, sed non tentasti manu an bene ostium esset clausum & ideo liber surreptus fuit dicitur liber perijsse leuissima tua culpa.

Casus fortuitus est ille quem homines, quamuis diligentissimi euitare non solent neque possunt, vt grando, terræmotus, & fulmen est, & tunc dicitur res fortuito perijsse, quando perit, & perijsset etiam adhibita diligentia, quam homines diligentissimi in similibus adhibere solent, vt si equus tibi commodatus fulmine perijt.

His suppositis. Notandum est primo quod ille, qui habet rem alienam apud se, tenetur de dolo & culpa lata, siue sit depositarius, siue commodatarius, siue conductor, aut, vt ita loquar, opignoratarius, & ratio huius est, quia culpa lata est dolus præsumptus vt dictum est, & dolus, cuilibet ille sit, nemini suffragari debet, & ita dicunt omnes Doctores.

Immo nec potest fieri pactum, quod depositarius, vel commodatarius &c. non teneatur de dolo vero, aut præsumpto, quia vt dicit Nau. in Man. cap. 17. nu. 181. hoc esset dare alteri materiam & occasionem peccandi, & vt dicit Syluester verbo depositum §. 2. hoc esset

X contra

contra bonos mores, & bonam fidem.

Secundo notandum est, quod nullus siue sit depositarius &c. teneatur de casu fortuito, præterquam in tribus casibus qui refferũtur in capitulo bona fides de deposito.

Primus casus est si sit pactum, vt depositarius, vel commodatarius teneatur etiam de casu fortuito, & ratio huius est quia contractus ex conuentione legem accipiunt.

Secundus casus est quando præcedit mora, vt si depositarius tempore præfiito, vel requisito non restituit depositũ, & postea casu fortuito perit, similiter si comodatarius tempore præfinito noluit cum teneretur restituere commodatũ, quod postea casu fortuito in manibus suis perijt, tenetur illud restituere, sit amen eodem modo non perijsset in manibus domini, si restitutio facta fuisset.

Tertius casus est quando depositum, vel commodatum perit casu fortuito quidem sed propter culpam depositarij, aut commodatarij &c. vt si commodaui tibi equum Mediolani ad eundum vsque Placentiam, & tu voluisti etiam ire Parmam, & equus fulmine perijt inter Placentiam, & Parmam; secus si perijsset inter Placẽtiam, & Mediolanum.

Tertio notandum est quod de culpa leui tantum illi in quorum & vtilitatem & fauorem factus est contractus, vnde depositarius regulariter non tenetur de culpa leuissima, quia vt supra quæsito tertio dictum est depositio regulariter tantum fit in vtilitatem & fauorem deponentis.

Commodatarius vero, conductor, & Opignoratarius regulariter tenentur de culpa leui, quia commodatio cõductio & opignoratio regulariter fiunt in vtilitatem commodatarij, conductoris &c. vt dictum est supra in tertio quæsito, & si aliquando commodatio fieret tantum in vtilitatem commodantis, & non commodatarij, tunc commodatarius tantum tenetur de dolo & lata culpa & non de leui, sicut si depositio fiat in vtilitatem depositarij in eo casu etiam tenetur de culpa leui.

Vltimo notandum est quod de culpa leuissima ille tantum tenetur, in cuius fauorem gratiam & vtilitatem tantum fit contractus & hoc regulariter accidit in commodatione, nam commodatio, vt dictum est supra in tertio quæsito, fit tantum in vtilitatem dantis & accipientis, accipiens non tenetur de culpa leuissima, sed tantum de leui & lata, & dolo, atque hæc de hac prima parte.

PARS

PARS SECVNDA

De contractus in quibus non transfertur dominum de vno in alium in particulari.

HÆc pars diuiditur in quatuor membra, prout sunt quatuor contractus in quibus nõ tranfertur Dominium, de quibus institui dicere, in quorũ.

Primo. Dicam de Deposito.

In secundo. Agam de commodatione.

In tertio. De locatione, & conductione.

In quarto. De Oppignoratione, Fideiussione, & assicuratione.

MEMBRVM PRIMVM DE DEPOSITO.

1 *Depositum quid sit.*
2 *Quænam res deponi possint.*
3 *Depositarius de qua culpa teneatur ad restitutionem depositi, vtrum de culpa lata, & de dolo.*
4 *Depositarius an teneatur de culpa leui, & quando.*
5 *An etiam de culpa leuissima, & quando.*
6 *Vtrum aliquando de casu fortuito, & in quibus casibus.*
7 *Depositarius an possit uti re sibi in depositum data.*
8 *An peccet mortaliter depositarius vtendo deposito sine licentia domini.*
9 *Depositarius an teneatur restituere depositum statim ac petitur à deponente.*
10 *Casus excepti ab hac regula.*
11 *An sit restituendum depositum volenti illo abuti in malum finem.*
12 *Quomodo se gerat depositarius cum deponente volente abuti deposito, si illud per vim repetat.*
13 *Quid si fur repetat depositum, antequã dominus illud repetat, an depositarius teneatur illud dare domino, an furi.*
14. *Depositarius an possit restituere depositum pro recuperatione alterius debiti, quod habebat depositor versus ipsum.*
15 *Depositarius an teneatur soluere pretiũ depositi, si pereunte deposito saluaret res suas, cum non posset simul vtrumque saluare.*
16 *Hæres an teneatur soluere pretium depositi, si detraxit depositum factum mortuo.*
17 *Si aliquis ignorante nauta deponit in naui, quod deinde pereat, teneatur nauta illud soluere.*

1 PRimò quæritur quid sit depositio. Respondeo, Quod est actio, per quam aliquid datur alicui in custodiã, vt dictum est in prima parte quæsito tertio, vnde fit vt ille, qui dat in custodiam dicatur deponens; & ille qui recipit dicatur depositarius; & illud quod datur in custodiam dicatur depositum; & actio ipsa qua datur res in custodiam dicatur depositio: & per hoc quod depositio dicatur esse actio, per quam res datur in custodiã; distinguitur à commodatione, locatione, & opignoratione; in quibus res præcipuè non dantur in custodiam, sed vel ad vsum, vel ad securitatem; Item distinguitur depositio ab alijs contractibus, in quibus transfertur dominium, quia per illos res non datur in custodiam, sed alienatur, & abdicatur.

2. Secundo quęritur quęnam sint res, quæ deponi possunt? Respondeo quod Doctores dicunt esse res mobiles, & se mouentes; sed ego dico etiam res immobiles posse depositari (nisi alludatur ad vocabulum) idest in custodiam dari, vt si ego iturus Romam habeo domum in hac Ciuitate & eam tibi commendo, vt custodias, & tu promisisti eã custodire, dicta domus dicetur data tibi in custodiã, ita vt si culpa tua ruit; quia noluisti eam custodire, tenearis de culpa lata, maxime si relinquam pecunias, quibus posses eam custodire, vt si grandine tectum fuit fractum, & ita postea pluuit, vt marcesserent trabes, quia non curasti vt refficeretur tectum.

3. Tertio quæritur vtrum depositarius teneatur ad restitutionem de culpa lata,

lata, & de dolo? Respōdeo affirmatiuè & ita dictum est supra in parte antecedenti, vnde vt bene dicit Armilla in verbo depositum nu. 5 si depositum deterioretur ex culpa depositarij tenebitur pro damno æstimato, & si totum perit totum reddet.

4 Quarto quæritur vtrum teneatur de culpa leui? Respondeo. Affirmatiuè in tribus casibus.

Primus est quando est pactum, vt teneatur de culpa leui.

Secundus est quando depositio facta fuit etiam in sui gratiam, vt si pro custodienda re datur illi pecunia.

Tertius est quando deponens adinuenerat diligentissimum apud quem suam rem deponeret, & iste voluit non vt illi, sed vt sibi res deponeretur.

Quinto quæritur vtrum depositarius aliquando teneatur de culpa leuissima? Respondeo quod in tribus casibus.

Primus est quando præcessit pactum.

Secundus est quando deponens adinuenisset diligentissimum; sed depositarius voluit, vt apud ipsum res deponeretur. licet Nau. in Man. cap. 17. nu. 181. & cap. 4. nu. 3. contrarium dicat, contra communem, vt ipse ait. Pan. & Immola dicunt id esse, quia in tali casu depositio videtur facta tantum in fauorem depositarij, & hoc non est verum, vt arguit Nau. contra ipsos; verum ratio est quia depositarius in tali casu supponitur quod fuerit causa ne depositum dareiur diligentissimo.

Tertius est si depositio tantum fiat in fauorem depositarij.

6. Sexto quæritur vtrum depositarius aliquando teneatur de casu fortuito? Respondeo quod sicut supradiximus in parte antecedenti quod in tribus casibus.

Primus si præcedit mora.

Secundus si præcedit pactum.

Terti° si pcedit culpa vt si equū apud depositum equitasti sine licentia domini, & contra eius voluntatem, & in illo casu perijt.

7. Septimo quæritur vtrum depositarius possit vti re sibi in depositum data? Vt Respondeamus ad hoc quæsitum supponendæ sunt nonnullæ distinctiones.

Prima est quod vel hoc intelligitur de licentia domini rei, vel intelligitur sine eius licentia.

Secunda vel res deposita consistit in numero, pondere & mensura, & consumitur vnico vsu, vel non.

Tertia vel pro tali vsu datur aliquod lucrum deponenti, vel non.

Quarta & vltima vel res deterioratur vsu, vel non. His distinctionibus prænotatis.

Dico primo quod depositarius de licentia Domini rei depositæ potest ipsa vti, & ratio huius est, quia cum id faciat de licentia domini, nullam illi iniuriam faciat, modo ea vtatur ad eum vsum, ad quem licentiam habet, & non ad alios vsus.

Dico secundo quod si depositum, quo vtitur depositarius de licentia domini est res consistens in numero, pondere, & mensura & consumitur vnico vsu, tunc id quod erat depositum incipit esse mutuum, Ita Nau. in Man. cap. 17. nu. 180. in fine.

Dico tertio quod si vsus rei consistentis in numero, pondere, & mensura conceditur depositario à deponente cum pacto recipiendi aliquod lucrum ex tali vsu, vel cum intentione, tunc id quod erat depositum incipit esse mutuum vsurarium; Ita Nau. Supra nu. 181. & ratio huius est, quia tunc est vsura, quando exquiritur, vel desideratur lucrum ex mutuo &c.

Dico 4. quod si res, qua vtitur depositarius de licentia domini, non consistit in numerò pondere vel mensura, tunc depositum incipit esse commodatum, modo talis vsus gratis concedatur, vt elicitur ex Nau. cap supra citato, & patet.

Dico quinto quod si per talem vsum dominus rei vult aliquod lucrum, tunc depositum incipit esse locatum, & hoc etiam patet.

Dico sexto quod si depositarius vtatur deposito absque facultate Domini, peccat, vt dicit Syluest. verbo depositū. §. 10. & ratio est quia per depositionem

non

non datur res ad vsum, sed ad custodiã, excipiuntur tamen duo casus.

Primus quando depositarius probabiliter crederet dominum rei fore contentum, vt ea vteretur.

Secundus est quando depositum propter vsum non deterioratur, vt si quis mihi dedisset in custodiam equum, qui nisi aliquãdo iter faceret pateretur, possum vti eo aliquando, & hoc non esset in damnum, sed in vtilitatem Domini.

8. Quod si dicas peccatum, quod facit depositarius quando vtitur deposito absque licentia domini, est ne mortale? Respondeo quod si propter hoc res deposita notabiliter deterioratur est mortale, secus si parum.

9. Octauo quæritur vtrum depositarius teneatur restituere depositum statim, ac petitur à deponente? Respondeo affirmatiuè, vt habetur in Capitulo bona fides de deposito, etiam si esset pactum vt citius non repeteretur, puta si vestem mihi dedisti vt per mensem eã gubernarem, & post quatuor dies eam repetis à me, teneor eam restituere etiã si non pertransierit mensis; ita reffert etiam Syluest. in sum. verbo depositum. §. 11. & si depositarius noluerit restituere in tali casu habebitur sicut fur, vt habetur in Capitulo dicto bona fides de deposito, excipiuntur tamen quatuor casus.

10. Primus est quando dominus exquirit depositum in suum notabile damnũ vel in damnum alterius, vt si quis deposuisset ensem, & factus furiosus vellet ensem ad se ipsum vel alium occidendum.

Secundus casus est quando fur deponit rem furtiuam apud eum à quo surripuit vel apud Dominum.

Tertius casus est quando depositum fuit confiscatum propter aliquod delictum deponenetis, tunc enim si confiscationis sententia est lata, depositum non deponenti sed fisco est reddendum; sim i liter si depositum fuit sequestratum, tũc enim depositum erit restituendum illi, cui Iudex adiudicabit relaxationem.

Quartus casus est si fur deponit rem furtiuam apud aliquem, qui non sit eius dominus & deinde in requisitione simul concurrunt fur, & dominus, in tali enim casu non furi sed domino restituẽdum est depositum, vt habetur. l. bona fides ff. de deposito, his quatuor casibus aliqui & quintum addunt.

Quando videlicet deponens non vult soluere impẽsas, quas facit depositarius circa depositum, nam non videtur æquũ quod depositarius prius restituat depositum, quam soluantur illi impensæ, quæ factæ fuerunt necessario, vel de voluntate domini circa depositum.

11. Sed hic sunt nõnullæ dubitationes, & primo dubitatur circa primum casũ, an sit restituendum depositum deponenti volenti eo abuti ad meretricandum, aut ad ludendum; Dom. Sot. lib. 4. de Iust. & Iur. qu. 7. ar. 1. in responsione ad primum argumentum quem reffert, & sequitur Gratias in suo libro de Contractibus distinguit de fine malo ad quem deponens intendit repetere debitum; nam inquit Sotus si finis est contra Iustitiam, & charitatem, vt quando repetitur in iniuriam alicuius, tunc non est facienda restitutio, vt in casu prædicto quando deponens repetit ensem vt aliquem occidat; quia cum restitutio sit actus Iustitiæ, nunquam contra Iustitiam est faciendum, deinde quia in tali casu depositarius puniretur à Iudice si depositum restitueret, licet non in loco.

Sed si finis malus ad quem repetitur depositum est tantum contra charitatẽ, & non contra Iustitiam, vt ad ludẽdum ad meretricandum, poterit depositarius fraterna correctione hortari deponentẽ vt non repetat depositum in damnum animæ suæ, & bonorum suorum, quod si noluerit acquiesce, tenebitur depositum restituere, si non potest aliquo bono modo restitutionem differre aliquantulum.

12. Secunda dubitatio circa eũdem casum vtrum si deponens repetit suum depositum, vt eo abutatur contra Iustitiam in iniuriam alicuius, teneatur depositarius illud negare etiam cum periculo vitæ suæ, aut suarum rerum; puta si deponens minatur in vitam, aut in res depositarij nisi statim fiat restitutio?

Respon-

Respondeo cum solo Soto cito quod in tali casu depositarius debet restituere depositum si comminatio fiat in vitam ipsius, quia non tenetur homo exponere vitam propriam periculo vt saluet vitam alterius.

Secus esset si deponens repeteret depositum ad occidendum aliquem comminando tātum aliquod damnum in bonis fortunæ depositarij, & ratio est quia vnusquisque tenetur exponere bona fortunæ cuilibet periculo ad saluandam vitā proximi, quia vita sunt alterius ordinis quàm sint bona fortunæ.

13. Tertia dubitatio est circa quartum casum, an videlicet si fur repetat depositum priusquam dominus illud repetat, depositarius debeat illud restituere furi an vero reseruare Domino. Pro solutione istius difficultatis notandum est quod tripliciter potest contingere vt fur repetat depositum: nam vel repetit eodem tempore quo & dominus illud repetit, vel prius repetit Dominus, & deinde fur; vel deinde prius fur, & deinde dominus. Si primo modo casus accidit, iam determinatum est in l. quam citauimus, quid faciēdum sit; si secundo modo absque dubio dicendum est restitutionem esse faciendam Domino, quia si simul concurrentibus fure, & Domino restitutio fit, facienda Domino multo magis erit facienda eidem, si ipse est primus in repetendo.

Difficultas ergo est tātum de tertio, & quidem videtur quod restitutio sit facienda furi si prius repetat quam Dominus, quia cum lex determinauerit, quod si simul concurrant fur, & Dominus in repetitione, restitutio sit facienda Domino, videtur dicendū quod si fur prius repetat, sit faciēda furi. Nau. in Manual. cap. 7. dicit restitutionem esse faciendā furi D. Sotus lib. 4. de iust. & iu. q. 7. art. 2. contrarium dicit, & opinio Soti est melior, & verior, vt fusius dicam in ca. 4. vbi de restitutione, & Nauar. tantum locutus est quando aliquis emit aliquā rem à fure bona fide, & postea cognoscit rem esse furtiuam, tunc enim potest potius restituere rem emptam furi ad recuperandam suam pecuniam.

14. Quarta dubitatio. An depositarius possit retinere depositum pro recuperatione alterius debiti quod habet depositor versus ipsum? Respon. Quod non, vt habetur capitulo bona fides de deposito, & ratio huius est, quia id esset contra naturam depositi; nam datur depositum in custodiam tantum. Sylu. in sum. ver. depositum. § 12. dicit verum esse hoc, quod dicitur in capitulo bona fides supra citato, in foro exteriori, non autem quantum ad forum interius in quo potest fieri recompensatio saltem in directo per depositum, per commodatum, & per quodlibet aliud, & ità ego credo esse dicendum.

Notandum est hic, quod in foro exteriori per commodatum, & locatum potest fieri recompensatio, quia in iure contrarium tantum statuitur de deposito.

15. Nono. Quæritur vtrum depositarius teneatur soluere pretium depositi si pereunte deposito saluaret res suas, cum non posset simul, & saluare depositum, & res suas; sunt qui distingunt, vt Gratias in Tractatu de contractibus, quod aliud est si depositarius exponat periculo depositum, vt saluet res suas, aliud est si omnes res sint expositæ periculo idest suæ, & depositæ; si primum dicatur, dicunt isti, quod peccaret depositarius, & teneretur ad restitutionē; si ut saluaret res suas expositas periculo exponeret depositas, & hoc est verissimum, neque de hoc quis dubitaret; quis enim vnquam dixit, quod liceat aliena exponere periculo vt saluentur propria, non enim licet exponere aliena periculo si iam non sint exposita ad saluanda propria sicut non licet occidere alium ad saluandam propriam vitam, nisi ille alius esset iuuasor, & occideretur cum moderamine inculpatæ tutelæ. Si dicatur secundo modo dicunt dicti DD. quod depositarius licite potest saluare res suas pereunte deposito, quia sicut vnusquisque potest potius diligere se ipsum, quam alium, ita & sua potius quas aliena, etiam si aliena sint magis pretiosa, & hoc est verum si accipiatur depositum regulariter, idest

quod

quod est factum tantum in gratiam deponensis, & si res depositæ non sint magis pretiosiores, quam res propriç, non enim esset sine culpa magna si quis permitteret vt combureret sericum alienũ in notabili quantitate, vt saluaret propriam paleam; Item credo quod secus esset si depositarius teneretur saluare depositum de culpa leui, vel leuissima in vno ex casibus positis supra in 4. & 5. quæsito & præcipue si depositum esset pretiosius.

16. Decimo quæritur vtrum hæres teneatur soluere pretium depositi, si destraxit depositum factum mortuo? Respondeo quod si destraxit dolose, idest sciens illud esse depositum, & alienum; tenetur restituere totum pretium, quo res æstimabatur; sed si bona fide distraxit tenetur tantum restituere illud in quo factus est locupletior; nam ille, qui tenetur restituere ratione rei, si eam distraxit bona fide tenetur tantum restituere id in quo factus est locupletior, vt fusius dicetur infra cap. 4. Syluest. verbo depositum. §. 1. & 6. addit quod si hæres vendit depositum bona fide, & nundam accepit pretium, tenetur cedere actionem depositori, sed in omnibus depositor habet actionem contra eum, apud quem est sua res, poterit enim vbicunque illam reperierit accipere.

17. Vndecimo & vltimo quæritur vtrum si aliquis ignorãte nauta, vel ignorante tabernario aliquid deponit in naui, vel in taberna, quod deinde ammittitur vel perit, teneatur Nauta, vel Tabernarius illud soluere? Respondeo cũ Syluest. verbo depositum. §. 8. quod non, nisi depositum fuerit actu consignatũ nautæ vel Tabernario, & si deponens consignaret aliquid in Crumena Nautæ, vel Tabernario, vel in Sacculo, & deinde diceret aliquid e Crumena fuisse extractum, nauta vel Tabernarius non tenentur credere, nisi probet, nec stabitur Iuramento eius, nam vt habetur Capitulo finali de Iure Iurando, non datur Iuramentum, si non præcessit semiplena probatio.

MEMBRVM SECVNDVM.

De commodatione.

1 Commodatio quid sit.
2 Commodatio quomodo distinguatur à precario.
3 Commodans quis dicatur, quis commodatarius, quis commodator, quid commodatio.
4 Quænam res commodari possint.
5 Commodans an teneatur explicare vitiũ rei, quam vult commodare.
6 Commodãs an teneatur ad expẽsas, quas facit commodatarius circa commodatum.
7 Commodans an possit repetere commodatum ante tempus præfinitum, & antè vsum expletum, ad quem res fuerat commodata.
8 Commodans an possit facere pactum, vt res commodata sibi non restituatur antè tale tempus.
9 Commodatarius an possit tuta conscientia vti re commodata, vel vltrà tempus præfinitum, vel ad alium vsum, quam ad illum, ad quem data fuit.
10 Commodatarius an teneatur custodire rẽ commodatã, ita vt si sua culpa pereat, peccet, & teneatur ad restitutionem.
11 Commodatarius an teneatur ad restituẽdum commodatum, seu pretium eius, si perit, cum possit illud soluere in casu, in quo non poterat & suas res, & commodatum simul saluare.
12 Commodatarius an teneatur restituere commodatum finito eo tempore, pro quo datum fuit.
13 Commodatarius an possit retinere commodatum pro recuperatione alicuius crediti, vsquequo habeat quod sibi debetur.
14 Commodatarius si in restitutione commodati, illud amittat, teneatur reddere æquiualens.

In

1 IN hoc membro primo quæritur quid sit commodatio? Respondeo quod est concessio gratuita facta alicuius rei alicui ad aliquem specialem vsum. Ita Glossa super capitulum vnicum de commodato, quam sequuntur omnes Doctores & dicitur.

Primo concessio, ad distinctionẽ contractuum in quibus transfertur Dominium rei per quos non dicitur fieri concessio rei sed distractio & alienatio.

Secundo dicitur, gratuito facta, ad distinctionem locationis, qua conceditur res ad aliquem vsum quidem, sed non gratuito.

Tertio dicitur, alicuius rei ad aliquẽ vsum, ad differentiam depositionis, & oppignorationis, in quibus non conceditur res ad vsum, sed datur ad custodiam, vel ad securitatem.

2. Quarto dicitur, specialem, ad differentiam precarij; est autem Precariũ quando conceditur res ad vsum quidẽ, sed non talem, sed in communi; nec ad certum tempus, sed ad tempus indeterminatum; quare, inquiunt Doctores, quod precarium distinguitur à commodatione præcipue in duobus; quorum primum est.

Quia in commodatione conceditur res ad certum, & determinatum vsum.

In precario vero conceditur res ad incertum, & indeterminatum vsum.

Secundum est, quod in commodatione conceditur res ad vsum per aliquod tempus determinatum; in precario verò conceditur absque determinatione temporis. Ego nihil aliud dicam de precario, quia vel est species commodationis, vel est quid simile commodationi.

3. Atque ex his quæ dixi patet, quis dicatur commodans, quis Commodatarius; quis commodator, & quid commodatio. Nam vt supra dictum est de Deposito quæsito primo; commodans est quod commodat, Commodatarius est qui commodatum recipit; commodatum est id quod datur, & dicitur commodatum quasi in commodum alicuius datum; commodatio est actus ipse commodandi, & hic contractus regulariter, vt in prima parte quæsito tertio dictũ est; fit in vtilitatem Commodatarij tantum.

4. Secundo quæritur quænam sint res, quæ commodari possunt. Vt satisfaciam huic quæsito, notãdum est quod res quantum ad presens negotium spectat sunt in triplici differentia.

Aliæ nunquam consumuntur vsu, vt sunt campi, vineæ, prædia, possessiones, & similia, quæ licet sterilia, & sylvestria fieri possint, nunquam tamen cõsumuntur.

Aliæ sunt quæ consumuntur vsu quidem, sed non vnico, vt sunt vestes &c. quæ non consumuntur per vnum vsum, sed per plures vsus.

Demum aliæ sunt quæ consumuntur vnico vsu, vt pecunia, quæ si expendatur semel, non potest amplius expendi; vinum, quod si semel bibitum est non potest amplius bibi; frumentum, quod si semel editur, non potest amplius edi. Supposita hac distinctione. Dico quod res quæ commodari possunt sunt tantũ primi & secundi generis non autem tertij, & ratio huius est quia in commodatione non transfertur dominium sed cõceditur vsus reseruato dominio, & ideo non potest fieri commodatio in alijs rebus quam in illis, in quibus ita potest separari vsus rei à dominio rei, vt vsus maneat apud vnum, & dominium maneat apud alium; sed in rebus tertij generis non potest ita separari vsus à dominio, ac possit concedi vsus rei vni, si non etiam concedatur dominiũ, si enim concedant illi vt vtaris ciclo vini mei; quia ille vsus consumit rem; necessario etiam tibi debeo concedere rem ipsam.

5. Tertio quæritur vtrum Commodans teneatur explicare vitium rei, quam vult commodare, vt si equus sit vitiosus, & similia? Respondeo cum Glossa super capitulo vnico de cõmodato affirmatiuè & ratio hui' est, qui alioquin commodatum non est vere in cõmodum alterius datum sed in incõmodũ; & dicunt Doctores vt refert Sylu. in verbo cõmodatũ. §. 5. quod cõmodans non modo peccat non explicando tale

vitium, sed etiam si illud non explicat, tenetur ad restitutionem totius damni, quod patitur Commodatarius propter tale vitium, & hoc intelligendum est, si commodans non ignorabat tale vitium.

6. Quarto quæritur vtrum commodans teneatur ad expensas, quas facit commodatarius circa commodatū? Respondeo cum Syluestro verbo commodatum. §. 3. & cum alijs Doctoribus quod expensæ, quæ circa commodatum fieri possunt, sunt triplicis generis nam aliæ dicuntur ordinariæ, vt illæ quæ fiũt ad alendum equum, vel seruum, & ad has tenetur Commodatarius. Aliæ sunt extraordinariæ, vt illæ quæ fiunt in curando equo, si infirmatum, & ad hos tenetur commodans, si sunt magnæ, & non causantur in commodatario, secus si essent paruæ, & si causarẽtur à Cõmodatario, vt si per deffectum Commodatarij equus infirmaretur, puta si nimium eum oneraret, vel si cum eo absq; licentia domini multum curreret.

7. Quinto quæritur vtrum Commodans possit repetere commodatum ante tẽpus præfinitũ seu, & ante vsum expletum, ad quem res fuerat commodata? Respondeo quod non, & ita habetur expresse capitulo vnico de Commodato, & ratio huius est, quia si propter talem repetitionem Commodatarius pateretur, commodatum, non amplius diceretur commodatum, & in commodum datum; deinde si quia si commodans commodauit rem vsque ad tale tempus, donatio vero, est datio irreddibilis, atque irreuocabilis, ergo non poterit commodans ante præfinitum tempus rem commodatam repetere.

Sed hic est dubitatio inter Doctores vtrum commodans possit saltem repetere commodatum cum damno commodatarij ante vsum expletum, seu ante tẽpus præfinitum, quando ipse pateretur tantundem damni propter non repetitionem, ac pati posset commodatarius propter repetitionem. Nau. in Man. cap. 17. nu. 182. Absolute dicit quod Cõmodans neque dato hac casu potest tuta conscientia; aut in foro exteriori repetere commodatum ante præfinitum tempus, aut vsum expletum in damnum Cõmodatarij. Angelus in sum. verbo commodatum. §. 4. tenet contrariam opinionem quod dato tali casu & in foro interiori & exteriori posset Commodans repetere commodatum ante vsum expletum vel tempus præfinitum. Syluester in sum. verbo commodatum. dicit opinionem Angeli esse veram in foro conscientiæ, si detur hic casus hoc modo, quod eo tempore quo Commodans commodauit, Commodatarius aliter nõ potuisset sibi prouideri nisi talis cõmodãs tale cõmodatũ dedisset, quia forsitan alius non erat, q. cõmodaret aut vẽderet.

Secus in foro exteriori, & ratio Syluestri est quoniam dato tali casu non posset Commodatarius dici deceptus, quoniam tantum deducitur ad eum statum in quo erat quãdo cõmodatio facta fuit, deinde quia vnusquisque de suo debet sibi magis quã alteri prouidere ceteris parib⁹. Verũ opinio Nauarri est melior.

Primo quia textus Pontificis capitulo vnico de commodato vbi habetur quod Commodans non potest repetere commodatum ante vsum expletum, est vniuersalis, & vniuersaliter loquitur.

Secundo quia commodans censetur donasse vsq; ad præfinitũ tẽpus vsum rei cõmodatæ, & donatio est irreuocabilis.

Tertio quia in hoc casu non diceretur commodatum, sed incommodatum.

Hic notandum est hoc esse verum in commodato; & non ita in precario; nã vt supra diximus in primo quæsito in precario non conceditur res ad certum vsum, vel ad certum tempus & propterea poterit commodans illud repetere quoties illi placuerit absque peccato, nisi id faceret sine causa sciens Commodatariũ passurum multum damnum propter reuocationem.

8. Sexto quæritur vtrum Commodãs possit facere pactum, vt res commodata sibi non restituatur ante tale tempus? Ad hoc respondẽt cõmuniter Doctores quod non, quia posset fieri quod circa commodatum deberent fieri multæ expensæ ordinariæ quas Commodans nollet facere, & propterea posset velle vt commodatarius diutius teneretur commoda-

modatum,quia scit eum teneri ad expẽsas ordinarias exempli gratia in Vigilia Natiuitate Domini in commodatum, ego dico quod sibi illud commodabo per octo dies,ita vt illum non possis restituere nisi transactis octo diebus;secus esset inquit Syluester verbo commodatum.§.5. si illa dilatio daretur propter locationem, quæ tamẽ non esset licita, si expensæ multum excederent honestũ pretium illius vsus.

9. Septimo quęritur vsquequò cõmodatarius tuta conscientia possit vti re commodata, vel vltra tempus præfinitum,vel ad alium vsum,quam ad illum, ad quẽ data fuit. Respõdeo cum Nau.in Man.cap.17. nu. 183. & Syluestro verbo commodatum tertio & alijs omnib. Doctoribus, quod non;alioqu in furtum esset vt dicunt doctores & si id faceret contra voluntatem commodanris, & cũ notabili dãno eius esset peccatum mortale, & ratio est in promptu quia nullus potest vti re aliena absque voluntate Domini,sed voluntas cõmodantis fuit, vt concederetur vsus rei suæ tantum ad talem vsum,vel tantum vsque ad tale tẽpus,& si res deterioratur vel in tempore, vel in vsu non concesso tenebitur commodatarius ad restitutionem, secus esset si res deterioratur, aut periret in eo casu, ad quem est cõcessus sine culpa commodatarij.

Item secus esset si Commodatarius præsumeret commodantem fore contẽtum,vt vtatur commodare vltra tempus statutum, vel in alio vsu.

Item secus esset si res propter talem vsum,qui non est concessus non deterioratur.

Dixi si probabiliter præsumit commodantem esse contentum, nam si tantũ dubitat,peccat mortaliter cum tali dubio vti re in notabile damnũ eius domini,& contra eius voluntatem.

10. Octauo quæritur vtrum Commodatarius teneatur custodire rem commodatam, ita vt si sua culpa pereat peccet, & teneatur ad restitutionem? Respondeo vt supra in prima parte, & vt dictũ est in Membro antecedenti de Deposito. Quod si commodatio fiat tantum in vtilitatem commodatarij, vt regulariter fieri soler, commodatarius tenetur de dolo,lata,leui, & leuissima culpa; vt probatur ex capitulo bona fides de Deposito,si vero commodatum datum fuit in vtilitatem vtriusque, tunc tenetur de dolo,lata,& leui culpa, & non de leuissima.

Demum si commodatio facta fuit in vtilitatem tantum commodantis, vt si Amico commodasset ensem,vt cum defenderet; commodatarius tenetur tantũ de dolo,& lata culpa, quantum vero ad casum fortuitum dicendum est quod cõmodatarius tenetur tantum quando præcessit mora culpa, vel pactum, vt supra dictum est.

11. Nono quæritur vtrum Commodatarius teneatnr ad restituendum commodatum seu pretium eius,si perit,cum possit illud soluere in casu, in quo non poterat,& suas res, & commodatum simul saluare. Ad hoc supra dixi circa depositum in simili casu,quod superuacanea est illa distinctiõ, quam facit Franciscus Garzias in tractatu de contractibus cap.5. nu. 24. quod videlicet aliud est exponere aliena periculo, vt saluarentur sua, nam hoc non licet; aliud est si & sua & aliena iam sunt periculo exposita,& de hoc tantum est quæsitum apud Doctores in simili materia.

Ad hoc Respondeo iuxta Syluestrũ Tab. Arm. & alios Summistas in verbo commodatum,quod si commodatum est datum in gratiam Commodatarij tantũ & est æque pretiosum, vel magis pretiosum, quam sit illa res quæ saluatur cum saluari posset commodatum,peccat Cõmodatarius; & ratio est quia in tali casu tenetur de leuissima culpa; ita tenetur seruare commodatum,sicut diligentissimus saluat res suas, sed diligentissimus seruat res suas hoc modo vt pretiosiora magis custodiantur,quam minus pretiosa. Rursus nullus saluet res suas etiam si sit diligens,semper diligentissimè sed Cõmodatarius tenetur seruare commodatum;ergo dato dicto casu, plus tenebitur Commodatarius seruare commodatum, quam rem suam, si commodatũ est vel pretiosius,vel eiusdem pretij.

Secus si commodatum fuisset factum in gratiam commodantis tantum; nam in tali casu dicunt Doctores prædicti quod Commodatarius posset potius ser uare res suas, etiam minoris valoris, quam alienas; quia tenetur seruare alienas tantum de lata culpa.

Item secus esset si commodatum esset factum in vtilitatem vtriusque; quia tunc Commodatarius posset suas saluare pereunte commodato, si tamen com modatum est minus vel æque pretiosũ; nam aliter dicendum esset, si esset pretiosius.

12. Decimo quæritur vtrum Commodatarius teneatur restituere commo datum finito illo tempore pro quo datum fuit? Ad hoc Respondent omnes Doctores cum Glossa capitulo vnico de Commodato affirmatiuè; alioquin Cõmodatarius diceretur furtum committere; nam non tantum ille furtum committit, qui rem alienam inuito domino accipit, sed & ille, qui rem alienam inuito domino retinet.

Excipiuntur tamen quatuor casus de quibus etiam dictum est supra in Mẽbro antecedenti; quæsito octauo circa depositum.

Primus casus est si Commodans repeteret commodatum in damnum sui vel proximi.

Secundus casus est si commodatum fuit confiscatum, vel sequestratum.

Tertius casus est si fur commodaret rem furtiuam.

Quartus casus est si fur commodaret rem furtiuam alicui & simul cũ Domino rei concurreret ad repetitionem.

Addite & Syluestrum; si Commodatarius fecisset impensas extraordinarias circa commodatum nisi solutis prius dictis impensis & ita Nauarrus in Man. Cap. 17. nu. 186. In his enim quinque casibus est dicendum de Commodato sicut supra loco citato dictum est de deposito.

13. Vndecimo quæritur vtrum Commodatarius possit retinere commodatũ pro recuperatione alicuius crediti vsquequo habeat quod sibi debetur. Franciscus Garzias tractatu de Contractib. cap. 5. nu. 17. negat, sed affirmant plerique alij Doctores vt Nauarrus in Man. cap 17 nu. 186. vbi & dicit esse communem doctorum opinionem, idem dicit Sylu. in sum. verbo commodatum. Ratio Nauarri est quia in Capitulo bona fides de Deposito quia contrariũ determinatur tum de Deposito, & Sylu. dicit quod in conscientia, & in commodato & in Deposito potest fieri cõpẽsatio, sed in foro exteriori non in deposito.

14. Duodecimo & vltimo quæritur, vtrum si Commodatarius commodatũ remitteret ad commodãtem per seruũ, qui illud ammittit, teneatur restituere æquiualens? Ad hoc Respondent Nau. in Man. cap. 17. nu. 185. & 187. quod si remissum fuit commodatum per nũtiũ, qui pro fideli habebatur, & idoneo non tenetur Cõmodatarius restituere æqualens, & ratio Nau est hæc quia Commodatarius tenetur de dolo, lata, leui, & leuissima culpa; sed si dat rem commodatum nuntio qui habetur pro fideli & idoneo, vt illam transferat ad Dominũ nullam admittit culpam. & hoc quod dicit Nau. est verum non tantum in cõmodato, sed etiã in deposito, pignore, & locato, non tamen in mutuo quia in mutuo transfertur Dominiũ, & est regula Iuris quod res quando perit, domino perit, Mutuatarius autem semper censetur dominus rei mutuatæ, quousq; perueniat ad manus mutuantis.

Dicit secundo Nau. quod si seruus nõ habebatur pro fideli, & idoneo, & res perit in manibus suis, tunc perit Commodatario, quia tunc est culpa.

Dicit tertio Nau. quod si seruus; siue sit fidelis, siue non, si mittatur à commo dante non tenetur Commodatarius ad æquiualens si perit commodatum in manibus dicti serui, quia tunc commodatũ censetur restitutum quando res restituitur tali nuntio, & hæc omnia quæ dicit Nau. ad dictum quæsitum dicunt communiter alij Doctores Canonistæ quidẽ super capitulo vnico de commodato cũ Glossa. Casistæ vero, vt Syluester Angelus & alij in verbo commodatum.

MEM·

MEMBRVM TERTIVM,

De Locatione, & Conductione.

1 IN hoc Membro primo Quæritur quid sit locatio? Respondeo quod est concessio alicuius rei pro pretio ad aliquem vsum alicui facta.

Dixi concessio, vt distinguatur à cõtractibus, in quibus transfertur Dominium vt dixi in Membro Antecedenti quæsito primo de Commodato.

Dixi ad aliquem vsum vt distinguatur à depositione & oppignoratione, eo modo quo explicatum fuit in Membro antecedenti dicto quæsito primo de cõmodato, atque ex hac diffinitione locationis facile corrigitur definitio conductionis, quæ est illi correlatiua.

2. Hic notare possumus quod locator dicitur ille qui rem locat, ille vero, cui res locatur non dicitur locatarius, sed conductor, & res, quæ locatur dicitur locatum, respectu locationis & conductum respectu conductoris; actus autem, quo conceditur vsus rei pro pretio respectu locatoris dicitur locatio, sed respectu conductoris dicitur conductio.

Exemplum sit; si pro pretio concedo tibi

sibi vsum domus meæ, ego dicor locator, tu conductor, domus respectu mei dicetur locatum; respectu tui dicetur conductum; actus respectu mei dicetur locatio respectu tui, dicetur conductio.

Potest etiam fieri vt homines conducantur ad operandum, & eo casu, homo, quid est operarius dicetur locator, & locatum, & ille qui conducit dicetur conductor, & ipse operarius dicetur conductum.

Item hic notandum est quod conductor qui conducit rem ruralem, idest domum vel agrum, vel prædium, quod est in villa dicitur colonus; ille vero, qui conducit aliquam rem, quæ est in Ciuitate dicitur inquilinus. Sed hic est dubitatio circa illam particulam definitionis pro pretio vtrum si aliquis predium alicui locaret non pro pretio sed pro frumento, vel vino, puta pro viginti modijs frumenti diceretur locatio, videtur enim quod non, quia, locatio fit pro pretio idest pro pecunia, hęc autẽ non datur pecunia sed frumentum. Syluester in sum. verbo locatio etiam in principio dicit quod esset contractus innominatus. Sed Franciscus Garzias cap. 25. Tractatus de Contractibus, bene dicit quod esset locatio, licet detur frumentum, & non pecunia, nã frumentum succedit loco pretij licet non sit pretium.

3. Secundo quæritur quæ nam sint res, quæ locari possunt? Respondeo. Quod omnes illę res, quas diximus supra in membro antecedenti; quæsito secundo, posse commodari, nam quæ possunt commodari possunt etiam locari, & quę non possunt commodari non possunt etiam locari.

Sed dices pecunia, quam diximus non posse commodari; quia consumitur vnico vsu potest ne locari? Respondeo quod ad illum vsum ad quem non potest commodari non potest locari, sed ad illum vsum ad quem potest commodari potest etiam locari.

Notandum igitur hic est quod duplex potest esse vsus pecuniæ, sicut & aliarũ rerum quæ possunt vnico vsu consumi. Vnus dicitur naturalis, & hic est ille propter quem pœcunia fuit inuenta.

Alter dicitur accidentalis propter quem non est inuenta pecunia; vt est ostentatio.

Tertio quæritur vtrum Religiosus, vel Beneficiatus possit locare suas possessiones, & sua Beneficia? Respondeo Affirmatiuè, licet non possit eas vendere; non tamen potest eas locare ad longum tempus, sed tantum ad modicum, quid autem intelligitur in hoc casu non facile habetur apud Doctores Glossa capitulo vnico de rebus Ecclesiæ non alienandis dicit quadriennium esse tempus modicum: aliqui alij Doctores dicunt, quod beneficiatus potest locare suas possessiones tantum ad triennium, & si locatio fit ad maius tempus dicũt quod nihil valet, & id probant ex quadam extrauagante Pauli Secundi quæ incipit Ambitiosa, & quam vocant Paulinam, sed dicendum est illam extrauagantem non habere vim in illis regionibus, vel partibus in q̃bus per cõsuetudinẽ nõ est acceptata; quia nihil valet lex nisi sit approbata per vsum eorum, qui eam accipiunt, vt bene dicit Armilla in sum. verbo locato. § 5. & verbo excommunicatio Excommunicatione 62.

Hic Mediolani est constitutio in concilijs Prouincialibus, quod Beneficiati Clerici nõ possunt locare possessiones, vel alia bona Ecclesiæ ad maius tempus quam ad triennium, sed talis constitutio, sicut nec Paulina non tenet, nam passim Beneficiati locant ad maius tempus, vt vsus demonstrat; quare ego credo non esse peccatum locare etiam ad nouennium, idest ad tempus nouem annorum.

4. Hic quærunt & Doctores vtrum possit Beneficiatus locare bona Beneficij vltra nouennium? Respondeo quod non.

Item quæritur vtrum, vt dicunt Doctores, Beneficiatus habens decimam possit per eam locare Ius decimandi, quia Ius decimandi est quid spirituale, ego dico quod si per Ius decimandi intelligimus facultatem colligendi fructus decimæ, illa potest locari, vt passim locatur, si vero per Ius decimandi intel-

intelligimus clericatum in quo fundatur illa facultas decimandi non potest locari.

5. Quarto quæritur vtrum si Beneficiatus locauit bona Beneficij, & deinde moritur ante præfinitum tempus locationis, successor deinde teneatur stare dictæ locationi factæ à prædecessore? Respondent Doctores omnes; quod nõ nam locatio finitur mortuo beneficiato; ita Syluester in summa verbo locatio. §. 2. Alij; quod si dicas quid si locator mortuus accepisset pensionem à Conductore pro aliquibus futuris annis tenetur ne successor restituere pensionẽ conductori si non vult vt duretur locatio? Respondeo quod non, vt dicunt omnes Doctores nisi primus locator mortuus de licentia superiorum eã pensionem expendisset circa eleemosynam in vtilitatem Ecclesiæ.

6. Quinto quæritur vtrum Clericus possit locare suas operas pro diuinis celebrandis? Ad hoc Respondent Doctores quod non, quia esset Simonia vt habetur capitulo cum in ecclesijs de Simonia, posset tamen Sacerdos vendere istam obligationem, quia se obligat ad celebrandum tali hora in Ecclesia, & non in alia, quia hæc obligatio est pecunia æstimabilis, & potest etiam vendere obligationem, quia se obligat ad celebrandum tali hora quia est pœcunia æstimabilis vnde fit vt non peccent, qui plus pretij volunt, quia obligant se ad celebrandum in aurora puta primam Missam, quam ad celebrandum in alia hora. Similiter posset sacerdos locare illas operas, quas non facit in celebratione, sed ad celebrandum, vt si iter facturus esset per vnum miliare, vel duo, sed de hoc fusius vbi de Simonia.

7. Sexto quæritur vtrum Beneficiatus, & tuta conscientia possit expellere à domo conducta, quæ est prope Ecclesiam fabrum ferrarium, qui in exercenda sua arte facit rumorem, itaut perturbet diui...a officia, quæ in Ecclesia peraguntur? Respondeo quod potest, quia ita determinant Canones, vel leges Ciuiles, vt videre est apud Sũmistas, vt Syluestrum Arm. & Tab. in verbo locatio; Imo inquit Glosa in Titulo de Locato & alij Doctores. Quod si duo Ludi Magistri prope domos conduxerunt, vnus de Iure possit alium expellere, si ita prope domos conduxerunt vt eorũ voces inuicem confundantur.

Quod si dicas quis nam esset expellendus. Plerique Doctores dicunt quod primus posset expellere, secundum. Bartolus vt refert Syluester & Armilla in verbo Locatio, dicit, quod pertinet ad Judicem iudicare secundum æquitatẽ, & circumstantiam, quisnam illorum esset expellendus.

8. Septimo quæritur vtrum conductor possit sublocari rem sibi locatam? Respondeo Affirmatiuè præterquam in tribus casibus.

Primus si aliter est conuentum, idest si sit pactum vt non possit sublocare.

Secundus casus est si sublocatio fieret personis Inhonestis.

Tertius Casus est si sublocatio esset in præiuditium Domini.

9. Octauo Quæritur vtrum locator teneatur explicare vitium rei locatæ; de hoc dictum est supra in Membro Antecedenti, quod tenetur; alioquin teneretur ad damna, quæ patitur conductor propter vitium rei conductæ, & ad interesse si patitur; Imo si locator ignorabat vitium rei locatæ tenetur de damno dicto in foro exteriori, si rem locauit pro bona cum obligatione manutenendi ea bona; secus si eam locauit dicendo ego credo esse bona, quod vere, & adhibuit diligentiam debitam, vt cognosceret an esset bona: hinc patet quod malefaciunt locatores equorum, si non explicãt vitia equorum, sed ea occultant, & eos mirifice laudant.

10. Nono quæritur vtrũ si locator, qui locauit per aliquos annos aliquam rem alicui, à quo solutionem pensionis anticipatam accepit, crimen aliquod commisit propter quod locatum confiscatum fuit, itaut conductor non possit ea vti supra toto tempore, pro quo pensionem soluit teneatur in conscientia dictam pensionem restituere? Ad hoc resp. Nau. simili cap. 17. nu. 187. quod tenetur locator date pensionem conductori

ctori pro rata illius temporis in quo nō potest vti re locata ob dictam confisca tionem non tamen tenetur (inquit Nauarrus) ad interesse lucri cessantis, vel damni emergentis si aliquid pateretur conductor eo quod non potuisset vti re locata vsque ad finem conductionis.

11. Decimo quæritur vtrum conductor pro futuris aliquibus annis soluisset pensionem pro re locata, puta pro domo, quia deinde non posset vti propter pestem, vel bellum, vel quia in eā apparent Dęmones teneatur locator restituere pensionem? Respondeo affirmatiue pro rata temporis, in quo conductor non potuit vti rei locata. Ita Nauarrus in Man.nu.187. secus esset si cōductor ex parte sui tantum non posset vti re conducta, quia fuit in carcere detentus, etiam si fuit diu in Carcere detentus, etiam si iniuste, vel si ad aliam regionem migrasset à qua non potuit discedere. Ita Nauarrus loco citato.

12. Vndecimo quæritur vtrū locator teneatur remittere pensionē in toto vel in parte propter sterelitatem, si colonus locauit possessionem quia parum, vel nihil fructificauit? Ad hoc respondent communiter omnes Doctores affirmatiue si sterelitas est magna; idest si pauci vel nulli fructus colligunt; sed inter ipsos controuersia est, quam magna debeat esse sterilitas, vt teneatur locator remittere de pensione, & quantam partem pensionis. Aliqui enim dicunt esse remittendam partem pensionis, quādo ex tribus partibus fructuum, qui colligi solebant vix colliguntur duæ partes. Alij quando vna tantum colligitur. Alij aliter. Syluester in summa verbo locatio affert quinque opiniones Doctorum circa hanc materiam; sed Nauarrus & optime nu.188 cap. 17. dicit in hac restandum esse communi hominū cōuentioni, & pactis si quæ sunt, vel consuetudini regionis, & ita tenendum est; nam non omnes vbique eundē modum seruant in remittenda pensione pro sterilitate; nam aliter in vna aliter in alia fit.

Notanda tamen hic sunt quatuor.

13. Primum, quod licet capitulo propter sterelitatem de locatione videatur determinatum quod non sit remittenda pensio ob sterelitatem vnius anni, si illa sterelitas potest compensari per fertilitatē anni immediate antecedentis, vel immediate subsequentis; tamen standum est consuetudini, nam non vbique hæc seruatur.

Secundum quod Socij partiales non tenentur remittere pensionem propter sterilitatem; hic per socium partialem intelligunt Doctores eum qui locauit possessionem ad dimidium, sed si sunt pauci fructus potest dimidium illorum recipere, sicut & quando sunt multi dimidium tantum recipit.

Tertium quod si pereant fructus iam collecti ex agro vel vinea non tenetur locator remittere pensionem quia in tali casu non dicetur sterilitas. Exemplū est; si Argricola triturasset furmentum, deinde in area surreptum fuit, vel si furmentum comburretur dum esset in palleis iam congregatum domi; similiter si vinum effunderetur, vel fieret acidum.

Quartum & vltimum quod remissio pensionis debet fieri, vel in parte, vel in toto secundum morem regionis vt dixi propter sterilitatem si sterilitas fuit causata casu fortuito, & sine culpa conductoris, vt ob grandinem niuem, & pruinam, & æstum, & frigus nimium, & ob eluuionem, & ab locustas; secus esset si sterelitas causaretur propter culpam, vel negligentiam conductoris, vt quia noluit extirpare herbas, quę suffocabāt semina, noluit stercorare agrum, vel alio modo fit negligens.

14. Duodecimo quæritur vtrum locator teneatur ad expensas conductoris circa rem locatam? Respondeo, quod expensæ possunt esse vel ordinariæ, vt quæ communiter fiunt in colendis agris seminando semine, colligendis fructib. & ad has non tenetur locator (loquendo de possessionibus,) & loquendo de animalibus ad expensas, quæ fiunt pro cibandis equis, bobus, mulis, vt dixi in Membro antecedenti de commodato quæsito quarto. Aliæ expensæ sunt extraordinariæ, & ad has non tenetur locator,

cator, vt si frangeretur Molendinum propter abundantiam aquæ, vel si aquæ alio quam ad Molendinum diuerterẽt, in damnis non esset certa regula, vbique standum est statutis, vel consuetudini regionis, si non sunt pacta, vt in nostris partibus locator tenetur ad reffectionem tectorum, & ad euacuationem vasorum, in quibus recipiuntur aquæ, vel immunditiæ, etiam si illæ expensæ sunt ordinariæ, cum singulis annis, vel singulis biennijs fieri solent, si casu eueniat quod conductor faciat à se expensas, vel alia, vt circa reparationem domus, debet priº admonuisse locatorem, quia forte ipse viliori pretio poterit exequi; quod si deinde noluerit locator, conductor poterit ipse expensas facere, & postea compensare in pensionibus, vel repetere à locatore, si iam pensiones soluit.

15. Decimo tertio quæritur vtrum locator peccat mortaliter locando domos Meretricibus. Nauarrus in Man. cap. 17. nu. 193. instituit hanc quæstionem, & multa hinc inde affert ad probandam primo affirmatiuam, deinde negatiuam opinionem, sed breuiter.

Primo dicendum est quod peccat mortaliter ille qui locat domum Meretricibus ad Meretricandũ, idest ad hunc finem, vt in ea ars Meretricia exerceatur; Ita Nauarrus loco citato & ratio huius est quia talis finis adeo est malus vt nequaquam possit esse bonus.

Dico secundo quod locare domum Meretrici, maxime in ea parte Oppidi vel Ciuitatis, vbi ex determinatione Reipublicæ habitant Meretrices nõ est peccatum, si locatio non fiat ad meretricandum, sed tantum ad habitandum, cũ dolore, quod in ea sit peccandum; & ratio huius est quia vt dicit D. Thomas secunda secundæ qu. 10. ar. 11. ex D. Augustino libro de Ordine, non est malum permittere in Ciuitate, vel Oppido Meretrices ad euitanda maiora mala, sicut & Deus permittit aliqua mala vt eueniant bona, vel vt maiora mala euitentur; sed id quod dicit D. Augustinus non potest seruari nisi aliqui sint, qui locent domos Meretricibus modo id non fiat in malum finem.

Dico tertio quod locare domos Meretricibus in illa parte ciuitatis in qua à Rep. prohibentur habitare, est peccatũ, quia hoc est facere contra statuta rationabilia, vt dicit Nauarrus loco citato; similiter & peccatum est malle locare domos Meretricibus, quia soluunt maiorem pensionem, quam locare honestis, quia volunt soluere iustam pensionem.

Item peccatum esset & graue locare domum meretricibus, vt accipiatur deinde aliquid lucri ex meretricia, vt faciunt Tabernarij, qui locant vicinas domos Meretricibus, vel curant vt locentur, vt hospites magis ad dictos diuertant, & in maiori frequentia. Id quod dixi de Meretricibus potest etiam applicari ad vsurarios, nam in illis ciuitatibus vbi permittuntur vsurarij non est peccatum illis locare domos ad habitandum modo id fiat hoc fine, vt vsuræ in illis exerceantur, quia vsurarius potest vti illa domo, & bene, & male; locator locat domum ad habitandum non autem ad exercendas vsuras secundum se, & si locaret ad exercendum vsuras peccaret, quod autem possint vsurarij permitti in Ciuitate, vt meretrices, probabitur in capite sequenti vbi de vsura.

16. Decimo quarto quæritur vtrum ille qui locauit suas operas, peccet mortaliter, si non vult operari, vel si fideliter non operatur? Ad hoc Respondeo cum Nauarro in Man. cap. 17. nu. 197. & Arm. verbo locatio. §. 15. &c.

Dico primo quod si locator, qui locauit operas suas non vult stare promissis, quia nõ potest per casum fortuitum, nõ peccat, vt si vulneratus fuit, tenetur tamẽ restituere denarium diurnum, si iam solutum fuit, vel arram, & non tenetur ad interesse quod patitur locator quia non potest operari.

Dico secundo quod si locator postquã locauit suas operas ex culpa sua nõ vult stare promissis, vel quia inuenit alium, qui exhibuit maiorem pensionem tenetur restituere arram, quam accepit, & peccat mortaliter propter perfidiã, maxime si locator patitur, & tenetur restituere

stituere totum damnum quod patitur cõ ductor, eo quod locator non stetit promissis.

Dico tertio quod si operarius conductus fideliter non laborat peccat mortaliter, si hoc fit in damnum notabile, nec potest recipere totam mercedem, aut retinere, sed tantum pro ratione laborum.

Dico quarto quòd si locator non potest exercere operas suas propter deffectum conductoris, etiam si sit ex casu fortuito, potest tuta conscientia recipere mercedem cõcurrentibus tamen duobus.

Primum est quod si operarius tunc non inuenit alium, cui operetur tanta mercede, & si minori poterit recompẽsare primum locatorem pro illa parte quam recepit.

Secundum est quod si talis conductor non conduxisset, cum reperijsset alium probabiliter à quo fuisset conductus. Licet Nauarrus non admittat hanc secundam limitationem quia vt ait nullo Iure probatur.

17. Decimo quinto quæritur vtrum locator possit expellere conductorem ante finitam locationem? Respondeo quod non, & ita tenent omnes Doctores, & ratio huius est, quia locator, qui locat aliquam rem verbigratia per quinq; annos, vendit vsum illius rei per illos quinque annos, quod autem venditur nõ est amplius vendẽtis, sed ementis, ergo locator non potest iuste expellere conductorem ante finitam locationem.

Excipiuntur tamen quatuor casus in quibus & secundum naturalem æquitatem; & ex decreto Summi Pontificis, vt videre est capitulo propter sterilitatem de locato potest locator expellere conductorem ante finitam locationem. Quorum.

Primus est quando conductor per biẽnium non soluit fictum, & locatio est ad longum tempus, puta ad quinquẽnium, vel vltra quinquennium, & ita reffertur dicto capitulo, & à Nauarro in Man. ca. 17. nu. 193. vel si conductor per annum non soluit pensionem cum locatio fuit facta ad breue tempus, puta citra quinquennium; Syluester in summa verbo locato hęc dicit de hoc casu.

Primo si locatio sit facta ad longum tempus hoc pacto vt solutio fiat singulis annis poterit expelli conductor si per biennium non soluerit pensionem, sed si facta sit locatio ad lũgum tempus & cum pacto, vt tantum semel fiat solutio pro solo tempore, si talis solutio nõ fiat tempore determinato ad soluendũ, potest expelli conductor; quia si conductor non seruat fidem; nec illi est seruãda fides; poterit tamen audiri, & est audiendus si statim est paratus soluere ante citationem, vel post primam citationem.

Secundo dicit Syluester quod si facta sit locatio cum hoc pacto, quòd conductor non possit expelli ante finitam locationem, poterit etiam expelli ante finitam locationem, si non soluit pẽsionem eo modo quod dictum est, quia dictum pactum debet intelligi si fiat solutio.

Tertio dicit Syluester quod si conductor promisit soluere singulis annis cũ Iuramento, etiam si conductio sit facta in lungum tempus poterit expelli si per vnum annum cessat à solutione propter Iuramentum, vt probat Baldus capitulo querelam de Iure Iurando.

Quarto dicit Syluester quod si locatiò sit facta in breue tempus, poterit expelli conductor si semel cessat à solutione tempore statuto.

Secundus casus est quando Dominus domus indiget ea, & ea non indigebat tempore locationis; Syluester verbo locatio. §. 9. dicit quod si aliquis haberet tantum vnam domum, & eam locaret non posset inquillinum expellere propter necessitatem contrarium & vere dicit Nauarrus nu. 193. citato, quod ille, qui tempore locationis non indigebat sua domo, propter necessitatem potest indigere ante finitam locationem, at si cum alijs manebat in contubernio quando locauit domum, postea vxorem duxit, & est necessarium, vt separatim cũ vxore viuat, & capitulum propter sterilitatem loquitur absolute, tam de eo, qui vnam tantum domum habet, quam de alijs, qui plures domos habent.

Tertius

Tertius casus est quando domus eget reparatione de præsenti, quia minatur ruuinam qua reparatione non indigebat quando locata fuit; & hic casus est intelligendus, si reparatio domus non potest fieri conductore in ea manente; secus si posset vtrumque fieri, idest & permittere, vt conductor maneat in domo, & eã reparare. Et notandum est quod in antecedenti casu, & in hoc tertio si expellatur conductor, remittendum est de pẽsione ita vt solutio fiat tantum pro rata temporis in quo inquilinus vtitur domo.

Quartus casus est si conductor male vteretur domo; quod potest fieri dupliciter, vel absque detrimento domus; vel cum detrimento domus; si primo modo, vt introducẽdo Meretrices, & alios flagitiosos homines, tunc posset expelli absque eo quod fiat remissio pensionis pro rata; si secundo, puta quia in ea pauit sues in solarijs, vel etiam gallinas, & Anseres, & tunc remittendum est de pensione pro rata temporis, sed potest locator postea agere contra conductorẽ de damnis.

His quatuor casibus aliqui addũt quintum, quando videlicet locator vendit domum, tunc enim emptor potest expellere conductorem & huius rationem affer Gatatas in tractatu de Contractibus cap. 25. nu. 11.

18. Decimo sexto quæritur vtrum conductor tuta conscientia possit vti re conducta ad alium effectum, quam ad illum, ad quem fuit locata? Respondet communiter Doctores quod non, non esset tamen peccatum mortale, si id cederet in parunm, aut nullum damnum rei locatæ, excipiunt tamen Doctores vnum casum quando videlicet conductor probabiliter credit quod locator sit contentus, vt ad eum vsum, ad quem vult vti re locata, ea vtatur, ita Syluester Angelus, Tab. Arm. & alij Sũmistę in verbo locatio, Nauarrus in Man. cap. 17. nu. 143. & infra.

19. Decimo septimo quæritur vtrum conductor teneatur de culpa, si res conducta perit, vel si norabiliter deterioratur? Ad hoc communiter dicunt Doctores quod tenetur de dolo, lata, vel leui culpa regulariter, non autem de leuissima, vel casu fortuito, dicendum est vt diximus de deposito, & commodato idest quando præcedit pactum, mora, vel culpa.

20. Decimo octauo quæritur vtrum tempore præstito idest finita locatione teneatur conductor restituere rem conductam locatori? Ad hoc Respondent Doctores Affirmatiue, excipiunt tamen tres casus.

Quorum primus est quando res conducta fuit sequestrata, vel confiscata.

Secundus est quando latro locauit rẽ Domino.

Tertius est quando latro locauit rem furtiuam alteri quam domino, & dominus & fur simul concurrunt in repetitionem rei, & de his satis supra diximus.

21. Decimo nono quæritur vtrum ex natura locati dentur aliqui casus particulares in quibus possit conductor restituere rem conductam ante finem locationis? Respondeo quod Doctores afferunt aliquos casus, quorum.

Primus est quando conductor soluit pensionem totius temporis locationis.

Secundus est si immineret pestis, vel est infectatio dęmonum in domo, itaut non possit habitari, & tunc conductor tenetur restituere pensionem tantum pro rata temporis, vt dictum est supra.

Tertius casus est verbi gratia si domus immineret ruuina, & non posset reparari inquilino in ea manente.

22. Vigesimo quæritur vtrum conductor possit tuta conscientia restituere aliam rem, quam sit illa, quæ ei locata fuit, puta equum, pro equo? Respondeo communiter quod non, quia in locatione non transfertur dominium, & propterea restituenda est res eodem numero, quæ fuit locata, non esset tamen peccatum si restitueret rem in alio numero eiusdem qualitatis & bonitatis.

23. Vigesimo primo quæritur vtrum propter sterilitatem conductor teneatur augere de pensione? Respondent Doctores, vt Syluester verbo locatio. 6. 14. quod si fertilitas intelligatur illa quæ stat penes maius pretium fruc

rei locatæ, quia videlicet fructus percepti venduntur carissimè, non tenetur conductor augere de pensione. Exemplum sit de agro locato pro quinquaginta libris, ex quo singulis annis colliguntur sex modij frumenti, vel circa, in hoc anno collecti sunt sex modij sed venditur maximo pretio, ita vt lucretur multum conductor ex re conducta, in hoc casu non est necesse augere pensionē, quia non dicitur fertilitas, vel vbertas, eo quod fructus maiori pretio vendi possint, sicuti nec diceretur sterilitas si colligerentur multi fructus, qui deinde minimo pretio venderentur.

Secundo dicunt Doctores quod si fertilitas, & vbertas oriretur ex solertia, & diligentia conductoris, non teneretur conductor augere pensionem, vt si quis habens agrum, quem potest aqua irrigare conduceret alium agrum continuum, quem sua aqua rigauit, & ideo effecit eum vberem, & fertilissimū, talis enim non teneretur augere pensionem, quia sua diligentia non debet ei nocere. Ita Syluester verbo locatio. §. 14. similiter si quis conduxisset molendinū, ad quod concurrent quamplurimi ad molendū, quia esset diligens, & fidelis.

Tertio dicunt Doctores vt Syluester loco citato, quod si fertilitas nascitur ex casu fortuito, & esset magna, teneretur conductor augere pensionem, vt si aliquis conduxisset molendinum vbi alia sunt; & alia propter nimiam aquam fuissent destructa, ita vt ipse solus lucraretur id omne, quod alij lucrabantur; & ratio huius est vt dicit Syluester loco citato & Glosa capitulo propter sterilitatem de locato. Quia si propter sterilitatem magnam euenientem casu fortuito tenetur locator diminuere pensionem, ita etiam propter magnam fertilitatem tenetur augere pensionem, nam contrariorum eadem est disciplina & doctrina.

24. Vigesimo secundo quæritur vtrū conductor teneatur soluere pensionem sub pœna peccati mortalis? Respondeo affirmatiue quia conductio est veluti quædam emptio vsus alicuius rei, ergo sicut quando emitur res tenetur emptor soluere pretium rei, ita quando ēmitur vsus rei tenetur emptor, idest cōductor soluere pretium vsus; quando vero debeat soluere dicūt Doctores quod est seruandum pactum, vt si sit pactum vt soluatur in principio, vel in medio vel in fine anni, & si non est pactum stādum est consuetudini illius loci in quo res locatur, & si non apparet consuetudo debet solui pensio post vsum rei, vt illi, qui locauit operas, sufficit soluere in fine diei; & dicunt Doctores quod si sit pactum vt fiat solutio in singulis annis, intelligendum est in fine cuiuslibet anni, si vero fiat pactum quod solutio fiat annuatim intelligendum est in principio anni.

25. Vigesimo tertio quæritur an emphiteota aliquando cadat ab emphiteosi, seu perdat dominium vtile, quod nō soluit canonem, seu pensionem? Ad hoc Respondeo quod si emphiteosis est fundata in bonis Ecclesiæ, & emphiteota non soluit per biennium canonem amittit dominium vtile, seu cadit ab emphiteosi, potest tamen purgari hæc mora per celeritatem solutionis, idest si fiat solutio pensionis ante primam citationem, vel statim post eam, sed si emphiteosis sit fundata in bonis alicuius particularis personæ, emphiteota perdit dominium vtile si cessat à solutione per triennium, quo transacto eius mora non potest purgari per celeritatem solutionis.

26. Sed dices tenetur ne aliquando Emphiteota soluere domino directo aliud quam fictum? Respondeo quod tenetur etiam soluere aliquando laudemium; idest quando dominium vtile vēditur de consensu domini directi, & dixi domini directi, quia si venditio fiat absque consensu eiusdem, perditur, ita vt non sit ementis, neque vendentis, sed domini directi; est autem laudemium quinquagessima pars pretij quo venditur dominium vtile, quæ ex Iure Canonico, & Ciuili debet dari Domino directo ab emptore, vel venditore dominij vtilis.

DE

DE SOCIETATE.

1 *Societas quid sit.*
2 *Societas in mercibus tripliciter fieri contingit.*
3 *Societas in animalibus multipliciter fit.*
4 *Contractus Societatis an licitus sit.*
5 *Quænam requirantur vt contractus societatis licitè fieri possit.*
6 *Quomodo diuisio lucri facienda sit in Societate.*
7 *Societas in animalibus quomodo facienda.*

QVoniam in prima parte istius capitis dictum est de societate, societatem reduci ad contractū locationis, & conductionis. Ideo hic de societate aliqua quærenda sunt, vt hic tractatus sit completus.

1. Primo quæritur quid sit societas? Respondeo cum Nauarro in Man. 17. nu. 251. quod est conuentio plurium suam pecuniam, industriam, vel laborem cōferentium ad lucrandum; dupliciter autem potest fieri societas primo in mercibus, secundo in animalibus.

2. In mercibus contingit tripliciter fieri; primo si vnus ponat tantum pecuniam, & alter tantum operas, & hoc est illustrium Mercatorum; secundo si omnes ponant pecuniam & opus ex æquo; tertio si vnus ponat pecuniam tantum, alter vero pecuniam, & operas simul.

3. In animalibus fit etiam multipliciter (vt dicunt Doctores) primo per modum locationis operarum ex parte rustici, quando scilicet tantum datur rustico per opera sua, & hæc non est propriè societas, sed propriè locatio. Secundo per modum conductionis rerum ex parte rustici, vt quando dicit rusticus, accipio tot capita bouum in capite cuiuslibet anni tantum soluam, & hoc non est propriè societas, sed conductio. Tertio per modum venditionis ad tempus, verbi gratia do tibi centum oues, post tantum tempus sint tuæ pro mercede, interim tamē eorū fructus sint mei. Quarto per modum expressæ societatis, & hoc vel animalibus quæ vnico anno exęquant suum valorē, vt sunt oues, vel quæ non vnico anno exęquant suum valorem, vt vaccæ.

4. Secundo quæritur an contractus societatis possit iustè fieri? Respondeo affirmatiuè, & ita tenent omnes DD. cū D. Th. 2. 2. q. 78. art. 2. ad quintum argumentum, & cum Canonistis capitulo peruenitras de donatione inter viros, & mulieres; & ratio quare lucrum ex pecunia in societatem collecta accipi possit, & non ex pecunia, quæ est data in mutuum, affertur à D. Thoma loco citato, quia videlicet dominium rei mutuatæ, transfertur in mutuatarium cum periculo eiusdem, sicut dicemus in parte sequenti membro 3., non autem rei in societatem collectæ.

5. Tertio. Quæritur quænam requirantur, vt contractus societatis sit licitus. Respondeo. Quod requiruntur tria quæ ponuntur à Nauarro loco supra citato, & Syluestro verbo societas. §. primo, vt fiat societas in arte, vel negotiatione licita, vt habetur capitulo per vestras, de donatione inter virum, & vxorem secundo, vt capitale stet periculo dantis; & ratio est, quā nuper diximus in societate non transfertur dominium pecuniæ. Tertio, vt non grauentur partes, sed fiat diuisio lucri secundum Iustam proportionem ad Iudicium prudentis uiri.

6. Sed dices quomodo facienda est diuisio lucri? Respondeo cum Conar. lib. 3. variarum resolutionum cap. 2. quod est æstimandus valor pecuniæ non in se, sed in tali merce, & valor operum, quæ exponuntur periculo nihil habendi, si nullum sit lucrum, & notandum hic est cum D. Thomas 2. 2. qu. 78. ar. 2. & Gaet. ibidem, & Soto de Iust. & Iur. q. 6. ar. 1. Nau. in Man. cap. 17. num. 252. Bartolo & Balde lib. 1. Cod. pro socio, quod capitale positum in societate, siue pereat in principio societatis ante aliquas operas, vel in fine post omnes operas, perit soli dāti, & alteri pereunt suæ operę

opere, ita vt si in principio pereat capitale totum damnum sit ponentis illud; si in medio, vel in fine pereat, damnum operarum erit tantum ponentis operas, & damnum capitalis erit tantũ ponentis illud; & si in fine operarum manet tantum capitale & nullum lucrum; totum damnum erit ponentis operas; nam totum capitale erit illius, qui illud posuit, & probatur, quia dominium pecuniæ vt dictum est remaneat penes ponẽtem illud, ergo si perit, illi perit, & quãdiu remanet illi remanet. An autem capitale possit assicurari à sotio ponẽte operas, vel ab alio, dicetur in cap. sequenti, vbi de vsura, vbi & dicemus multa circa societatem, quæ inuoluunt vsuram.

7. Vltimo quæritur quid Iuris de societate in animalibus? Respondeo quod breui regula deffiniri possunt omnes quæstiones in hac materia iuxta Syluestrum in verbo societas secundo, quæ est hæc, quod videlicet capitale non est in toto, nec in parte periculo accipientis, nisi interueniat contractus assicurationis & quod neutra pars arbitrio boni viri nimis grauetur, & si grauetur in vno subleuetur in alio idest in maiori lucro.

MEMBRVM QVARTVM.

De Oppignoratione, Fideiussione, & assicuratione.

1 *Oppignoratio quid sit.*
2 *Vna res an possit duobus oppignorari eodem tempore.*
3 *Oppignorator an teneatur ad expensas, quæ fiunt circa pignus.*
4 *Oppignorator an possit repetere pignus ante solutionem totius debiti.*
5 *Qui habet pignus, an teneatur illud custodire.*
6 *Qui habet pignus, an possit illo vti.*
7 *Fructus an sint computandi in sortem.*
8 *Creditor an possit vendere pignus.*
9 *Creditor vtrum possit oppignorare alteri pignus.*
10 *Vtrum aliquando sit peccatum accipere pignus.*
11 *Creditor an teneatur restituere pignus soluto debito.*
12 *Fideiussor qui nam sit.*
13 *Vtrum quilibet vir laicus possit fideiubere.*
14 *Mulier an possit fideiubere.*
15 *Clericus an possit fideiubere pro laico.*
16 *Religiosus an possit fideiubere.*
17 *Hæres fideiussoris an obligetur vt fideiussor.*
18 *Fideiussor, qui promiserat præsentare aliũ, an liberetur, si is pro quo fideiussit, post fideiussionem cõmisit capitale crimen, propter quod meretur capite plecti, aut banniri, & fugit.*

Debi-

19 *Debitore presente, & discusso, vtrum possit conueniri fideiussor.*
20 *Creditor an teneatur cedere actiones suas fideiussori.*
21 *Debitor an teneatur satisfacere fideiussori de omni damno passo propter culpam debitoris.*
22 *Fideiussor an remaneat obligatus prorogato termino à creditore, absque noua fideiussione.*
23 *Fideiussor ante solutionem an possit agere contra debitorem, vt liberet eum.*
24 *Fideiussor an possit aliquid accipere à debitore sine vsura propter fideiussionem.*
25 *Assicurationes an licitæ sint, quæ plerumque fiunt à mercatoribus.*

1 IN hoc membro primò quæritur quid sit opignoratio? Respondeo quod est actio quædam per quam aliquid datur alicui in pignus, seu in securitatem; & hoc dicitur ad distinctionem depositionis, in qua datur aliquid ad custodiam; & ad distinctionem cõmodati, & locati, in quibus aliquid datur ad vsum: & ad distinctionem emptionis & venditionis in quibus transfertur dominium rei; nam in illis non datur res in pignus, sed alienatur.

Notandum est autem hic primo quod id quod datur in opignorationem [dicitur pignus, vel hypotheca, distinguuntur autē inter se pignus & hypotheca, quia pignus consistit in rebus mobilibus, hypotheca vero in immobilibus vel vt alij dicunt pignus est illud quod datur creditori in securitatē, hypoteca verbo est res quæ obligatur pro debito, sed manens apud debitorem.

Notandum est secundo quod duplex est hypotheca alia expressa, vt cum obligatur aliqua res spetialiter pro debito, vt pars tertæ aut domus alia tacita veluti quando generi accipit dotem nulla facta mentione alicuius particularis hypothecæ tunc enim omnia bona, generi tacitè remanent obligata pro dote.

2. Secundo quæritur an vna, & eadē res possit duobus obligari eodem tempore? Respondeo quod non sine peccato, nisi valeat ad satisfaciendum vtrique, similiter nec potest aliquis oppignorare siue obligare rem alienam.

Item non potest aliquis obligare seu opignorare vnam rem pro alia, vt auricalcum pro vero auro.

3. Tertio quæritur vtrum oppignorator teneatur ad expensas, quæ fiunt circa pignus? Respondeo affirmatiue tam quo ad expensas ordinarias, quam quo ad extraordinarias, sicuti dictum est de depositante, quare si tu mihi in pignus dedisti equum teneris eum alere, vel soluere expensas, quas facio in eo alendo; similiter & teneris eum curare si infirmatur, vel soluere expensas quas facio in eo curando.

4. Quarto quæritur an oppignorator possit repetere pignus ante solutionem totius debiti? Respondeo quod oppignorator non potest repetere pignus nisi prius soluatur totum debitum propter quod datum fuit tale pignus.

5. Quinto quæritur vtrum ille qui habet pignus teneatur illud custodire? Ad hoc Respondeo iuxta ea quæ dicta sunt in prima parte, quod tenetur illud custodire eo modo quo diligens homo custodit similia, quæ sunt sua; & propterea qui habet pignus tenetur de dolo, [lata, & leui culpa; nam contractus opignorationis, vt dictum est in prima parte fit in vtilitatem dantis, & accipientis; an autem teneatur [de culpa leuissima, vel casu fortuito], dictum est supra de commodato & alijs contractibus.

6. Sexto quæritur vtrum ille, qui habet pignus possit illo vti? Respondeo quod non, quia pignus non datur ad vsū sicut commodatum, & locatum, sed ad securitatem. Excipiuntur tamen sex casus, in quibus qui habet pignus potest eo uti.

Primus casus est quando pignus per vsum aliquem non modo non deterioratur, sed potius vtilitatem recipit, vt si dedisti mihi equum in pignus, potero il-

lum

lum aliquando equitare, quia propter diuturnam quietem potius infirmaretur, quam si equitaretur; similiter si mihi dedisti taperia in pignus, poteroea extendere super mensas, nam aliter paterentur, quia esset periculum tinearum.

Secundus casus est quando pignus in vsu non potest deteriorari, vt si sunt vasa argentea.

Tertius casus est quando pignus est res quædam, quæ inter amicos consue uit commodari, vt si essent vestes, quæ mihi oppignoratæ fuerunt, possem eis semel vti.

7. Septimo quæritur vtrum fructus sint computandi in sortem? Respondeo affirmatiue, nam fructus pignoris non sunt illius, qui est creditor, sed domini ipsius pignoris.

Excipiuntur tamen duo casus, quorũ primus est quando pignus est fœudum oppignoratum Domino directo, tunc enim eius fructus sunt domini direct ;& ratio est quia in tali casu dominus directus remittit obligationem feudatario de seruitijs, ad quę tenetur fœudatarius circa ipsum dominum directum.

Secundus casus est quando socer pro dote filiæ oppignorauit generi aliquã domum, vel possessionem, seu quodlibet aliud fructiferum, tũc enim fructus sunt generi, non soceri; & ratio huius est, quia dos vbicunque sit debet fructificare, quia gener de ea salua sorte tenetur ad onera Matrimonij sustentanda; sed de eis fusius agetur in capitulo sequenti vbi de vsura.

Verum hic est magna dubitatio, vtrũ si pignus sit aliqua res, quæ dum esset in manibus domini non fructificabat, nunc autem fructificat in manu oppignoratarij propter eius diligentiam, fructus eius sint computandi in sortem; de hoc est controuersia inter Sotum & Nauarrum Sotus in lib. 6. de Iust. & Iur. qu. 1. art. 2. in responsione ad tertium argumentum dicit quod venditor in tali casu non tenetur computare in sortem fructum pignoris, vt si Dominus aliquis oppignorasset equum indomitum, qui propter suam feritatem non poterat locari, & creditor arte sua, & diligentia eum reddidit mansuetum, ita vt multoties illum postea locauerit, secundum sententiam Soti non tenetur creditor computare fructus illius equi, seu affictum in sorte, & ratio huius est quoniam creditor nullum dat damnum domino pignoris, cum pignus in manu domini non fructificasset, prout supponitur; similiter si dominus aliquem agrum oppignorasset alicui sterilem, qui illum reddidisset fructiferum, non teneretur creditor computare fructus illius agri, dum quos percepit dum esset in manu sua, quia dominus non reddidisset illum agrum fertilem. Sed Nauarrus deffendit contrariã opinionem, videlicet quod creditor in tali casu tenebitur computare in sortem fructus ex pignore perceptos, vt videre est in Man. cap. 17. nu. 216. & ratio huius est, quia tales fructus debent censeri esse illius, qui est dominus pignoris, & quia si aliquis oppignorasset agrum fertilem alicui, qui propter suam diligentiam maiores & vberiores ex eo fructus percepisset, quam fecisset dominus, puta in maiori pretio locasset, non tenetur computare in sortem illud plus quod ex tali agro percepisset.

Dicendum est cum Nauarro prout dicemus infra in cap. 4. vbi de restitutione, & hoc intelligendum est de pignore quod est aptum natura sua fructificare; nam secus esset si pignus esset pecunia; nam id quod pecunia fructificat in manu alterius dicitur potius esse industriæ, quam pecuniæ, quia pecunia de sua natura est sterilis.

8. Octauo quæritur vtrum creditor possit vendere pignus. Ad hoc.

Dico primo quod creditor non pòtest vendere pignus ante diem præfixũ solutioni.

Secundo dico quod si debitor nõ soluit tempore debito & præfixo, creditor post illud tempus poterit illud vendere.

Tertio dico quod si sit conuentio & pactum quod transacto tempore debito & præfixo, creditor solutionis possit vendere pignus absque vlla citatione, & monitione, transacto tempo-

re

re possit creditor vendere pignus sine licentia Iudicis.

Quarto dico quod si nullum sit pactum,& conuentio inter debitorem, & creditorem, quod pignus vendatur trãsacto tempore solutionis,si creditor voluerit vendere pignus debebit prius citare debitorem & hoc modo de licentia Iudicis illud vendere.

Quinto dico quod si sit pactum & cõuentio inter debitorem,& creditorem, quod pignus hoc vel illo modo vendatur; huic,vel illi personæ; tali, vel tali pretio quo vendi possit, debebit creditor seruare pactum.

Sexto dico quod si nullũ de ijs sit pactum,creditor debebit vendere pignus sub asta absque vlla fraude & pluris quã poterit.

Septimo dico quod si pignus pluris vendatur quam sit debitum, tenebitur creditor restituere residuum debiti deductis expensis factis in citationibus,& venditionibus, sed si minoris vendatur, tenebitur debitor ad residuum; ita Syluester in summa verbo pignus. §.10.

9. Nono quæritur vtrum creditor possit oppignorare alteri pignus?

Dico primo quod non ante tempus solutionis.

Secundo dico quod post tale tempus nisi de consensu ipsius fuerit prorogatum poterit illud oppignorare alteri, quia pignus habet locum fideiussionis, sed transacto tempore solutionis creditor habet actionem cõtra fideiussorem, ergo & contra pignus,ita vt possit illud vendere, vt dictum est, vel alteri oppignorare.

Tertio dico quod creditor non poterit oppignorare pignus pro maiori summa pecuniæ, quam sit illa, quæ ei debetur & propter quam pignus ei datum fuit, quia creditor non potest petere à fideiussore maiorem summam pecuniæ,quam sit illa, de qua fide iussit, ita nec poterit opignorari pro maiori summa pecuniæ, quam sit illa,quæ ei debetur.

10. Decimo quæritur vtrum aliquando sit peccatum accipere pignus?

Dico primo quod regulariter non est peccatum, quia licet semper creditori agere ad suam securitatem.

Dico secundo quod ex circumstantijs potest esse peccatum accipere pignus ad securitatem.

Primo si fiat pactum, vt fructus pignoris non computentur in sortem nisi id esset ratione lucri cessantis,vel damni emergentis.

Secundo si oppignoretur res,quæ oppignorari non potest, vt Calix, Sacræ vestes, & alia Ecclesiastica, nisi id fiat ex maxima necessitate, vt redemptionis captiuorum, si aliter redimi non possunt,vel aliorum operum Ecclesiæ multum necessariorum.

Tertio si fiat pactum quod creditor non teneatur de dolo, vel lata culpa, si pignus pereat in manibus suis.

11. Vndecimo quæritur vtrum creditor teneatur restituere pignus soluto debito? Respondeo affirmatiue & sic remittitur pignus per nuntium habitum pro fideli & idoneo ut dictũ est supra de commodato.

Sed quoniam in prima parte huius capitis dictum est fideiussionem reduci ad opignorationem, ideo in hoc Membro.

12. Duodecimo quæritur quinam sit fideiussor? Respondeo quod est qui alienam obligationem in suam fidem recepit principali tamen manente obligato. Ita Syluester Tab.& Arm.in suis summis verbo fideiussor omnes in principio.

13. Decimo tertio quæritur vtrum quilibet vir laicus possit fideiubere? Respondeo quod quilibet qui habet administrationem liberam suorum bonorum, vnde puer non potest fideiubere, ita Syluester, Tab., Armilla verbo fideiussor.§.2.

14. Decimo quarto quæritur vtrum mulier possit fideiubere? Respondeo quod non,vt habetur in l.quamuis. ff.ad Valerianum. Excipiuntur tamen sex casus in quibus potest fideiubere.

Primus quando fideiubet pro pretio dando vt quis seruum manumittat.

Secundus quando pro dote alicuius mulieris fideiubet.

Tertius quando renuntiat beneficio Valeriani certiorata de ipso.

Quartus quando accepit pretium pro fideiubendo, vel aliquid loco pretij.

Quintus quando in fraudem fideiussit vt deciperet.

Sextus quando pignus vel fideiussorem pro alio dedit & post biennium à dicta cautione numerandum iterum ad idem se obligauit, vel pignus, vel fideiussionem dedit, secus si intra biennium consensit, quia non valet. Hæc habentur ex Syluestro Tab. §. 2. cit.

15. Decimo quinto quæritur utrum clericus possit esse fideiussor pro laico. Et dico quod non, vt habetur capitulo primo de fideiussione, sed si id facit est abijciendus, scilicet ab ecclesia, vel clero post debitam monitionem, ut habetur in dicto capitulo; quod est limitandum in frequentia fideiussionis propter vocabulum, inseruiens, positum in dicto capitulo, quod frequentiam notat; pro Ecclesia vero, vel altero clerico, potest clericus fideiubere, vt habetur capitulo secundo de fideiussione, & si fideiubet pro laico, fideiussio tenet, licet malefaciat si frequenter fideiubet pro laico & siue fideiubeat pro laico, vel clerico solum tenetur de patrimonio suo, vel de redditibus beneficij, quos facit suos; ita Syluester, Tab. & Arm. verbo fideiussor. § 3.

16. Decimo sexto quæritur vtrum religiosus possit fideiubere; & dico quod non, vt habetur in capitulo penultimo de fideiussore, etiam si esset Abbas nisi hoc fiat de licentia Abbatis, vel assensu maioris partis capituli; ita Syluester Tab. & Arm. verbo fideiussor. §. 4.

17. Decimo septimo quæritur vtrum hæres fideiussoris obligetur vt fideiussor? Respondeo affirmatiue, vt habetur l. post accepi, de fideiussione & ita Syluester Tab. & Arm. verbo fideiussor. §. 5.

18. Decimo octauò quæritur vtrum fideiussor qui promiserat præsentare alium, liberetur si talis pro quo fideiussit post fideiussionem commisit capitale crimen propter quod fuit condemnatus ad mortem, vel bannitus, & fugit à Respondeo affirmatiue nisi fideiussor esset in dolo, vel lata culpa respectu maleficij postea perpetrati & hoc probant Syluester Tab. & Arm. verbo fideiussor. §. 6.

19. Decimo nono quæritur vtrū præsente debitore principali & discusso, possit conueniri fideiussor; Et dico quod non etiam si constituerit se principalē debitorem, vt dicunt Syluester in verbo fideiussor. §. 9. Tab. & Arm. §. 10. nisi renuntiauerit beneficio Autenticæ præsente. C. eodem titulo, vt dicunt prædicti Doctores.

20. Vigesimo quæritur utrum creditor teneatur cedere actiones suas fideiussori? Respondeo affirmatiue intelligendo de his, quas habet contra eū, pro quo fideiussit, aliter potest ei negare solutionem debiti; ita Syluester verbo fideiussor. §. 10. Tab. & Arm. §. 11.

21. Vigesimo primo quæritur vtrum debitor teneatur fideiussori satisfacere de omni damno, quod causa fideiussionis passus est propter culpam ipsius debitoris? Respondeo affirmatiue, ita probant Syluester verbo fid. §. 10. Tab. & Arm. § 12.

22. Vigesimo secundo quæritur vtrū fideiussor remaneat obligatus prorogato termino à creditore absque noua fideiussione? Respondeo quod non, si fideiussor promisit vsque ad certum terminum tantum, puta quod soluet debitor termino quatuor mensium, alioquin ipse, qui terminus postea fuit prorogatus debitori à creditore, secus si obligatio esset absoluta idest si fideiussor ab solute promisisset soluere pro debitore non ponendo terminum; ita probant Syluester verbo fideiussor. §. 12. Tab. & Arm. §. 14.

23. Vigesimo tertio quæritur vtrum fideiussor ante solutionem possit agere contra debitorem, vt liberet eum? Respondeo affirmatiuè in tribus casibus.

Primus si debitor incipit dissipare bona sua, vel vergere ad inopiam.

Secundus si fideiussor condemnatus sit.

Tertius si diu in debiti solutione stetit, quibus adde & quartum si ab initio

tio sic conuentum est; ita Syluester in sum. verbo Fideiussio. §. 12. Tab. verbo fid. §. 15. Arm. verbo fid. §. vltimo & hi quatuor casus eliciuntur à Glosa ex cap. fin. de fideiuss.

24. Vigesimo quarto quæritur vtrum fideiussor possit aliquid recipere a debitore siue vsura propter fideiussionem à De hoc Syluester, Tab. in suis sum. verbo fideiussor §. vltimo & Arm. §. 15. dicunt hic non posse esse vsuram, quia hic non est mutuum tacitum, neque expressum, cum fideiussor nihil præter fidem imponat, & si quid accipiat ratione periculi, vel laborum, moderate tamen est licitum, & contractus innominatus; si vero aliquid accipiat ratione facti nullo existente periculo, vel labore, est iniquum & contra charitatem, & multo magis si fraus, vel dolus interueniat, vt si conueniat cum aliquo ne credat alicui sine fideiussione, vt ex hoc fideiubendo aliquid lucretur & in vtroque casu restituere tenetur; sed plura de hoc quæsito dicam plura cap. sequenti.

Et quoniam in prima parte huius capitis dictum est etiam assicurationem reduci ad oppignorationem. Ideo.

25. Vigesimo quinto quæritur & vltimo vtrum licitæ sint assicurationes, quæ plerumque fiunt à Mercatoribus & iuxta ea, quæ dicit Syluester verbo negotiatio. §. 4. & Arm. verbo negotiatio. §. 2. Dico has assicurationes fieri tripliciter.

Primo in mercibus, vt cum quis mittit, aut expectat merces per mare, vel loca periculosa, & timet de summersione, vel præda, & spondet alicui aliquid pretium puta quinque, vel sex pro centenario vt ille eum assicuret idest se obliget omnia soluere si merx pereat, & dicunt prædicti Doctores & alij omnes hoc licite fieri, & assicurantem posse dicta quinque, vel sex lucrari, si res saluæ fuerunt ratione periculi, quia ibi non est mutuum, vt patet, nec turpe lucrum, cū non inueniatur prohibitum hoc, & hominum vtilitati deseruiat, vt experimur, nec obstat capitulum nauiganti de vsura, vbi Pontifex dicit esse vsuram, si is qui suscipit in se periculum mercium mercatori mutuata, & inde accipit lucrum; nam ibi Sum. Pontifex tantum loquitur de eo, qui mutuat Mercatori cum pacto vt ipse sit assicurator; & de hoc dicetur infra cap. sequenti.

Secundo fit in Pecunijs assicuratio, & hoc dupliciter, scilicet vel eo modo, quo dictum est de Mercibus cum deferuntur cum periculo, & est idem Iuditium, vt ibi; vel cum quis satisdat pro eo, qui eas mutuo accipit, de quo timetur quod fallat, & pro satisdatione, vult vnum vel duo pro centanario, & hoc dicit Archidiaconus, quem citat Syluester loco supra citato esse illicitū, si nullum est periculum.

Tertio in personis, vt per salutem conductum, & per hoc licitum est aliquid aliquando accipere.

PARS TERTIA:

DE CONTRACTIBVS

In quibus transfertur Dominium.

HÆc pars diuiditur in quatuor Membra.

In primo agam de emptione, & venditione.

In secundo de cambio & permutatione.

In tertio de mutuatione.

In quarto & vltimo de Donatione.

MEM-

MEMBRVM PRIMVM.

De Emptione, & Venditione.

1 *Emptio, & venditio quid sint.*
2 *Contractus emptionis, & venditionis quandonam initium habuerint.*
3 *Emptio, & venditio quam sint reipublicæ necessarij.*
4 *Negotiatio, idest emere, & vendere an sint licita.*
5 *Nomine negotiationis quid veniat.*
6 *Fraudes, quæ possunt occurrere in negotiatione.*

1 IN hoc Membro primo quæritur quid sit emptio & venditio? Respondeo cum Soto libro 6. de Iust. & Iur. qu. 2. art. 1. quod emptio est contractio rei pro pretio; venditio vero è contra est distractio rei pro pretio; & pro declaratione istarũ deffinitionum, quæ ex multis, quas tradunt Doctores magis probantur, quia breues sunt, & claræ.

Notandum est primo quod hæc duo nomina cõtractio, & distractio, sunt vocabula Iuris, quibus Iuristæ vtuntur ad significandam perfectam domini translationem, quæ fit absque restitutione rei cuius dominium transfertur, & propterea per hæc nomina efficitur vt in prædictis deffinitionibus distinguantur emptio & venditio ab illis contractibus in quibus dominium non transfertur, & à mutuo in quo licet dominium transferatur, non tamen transfertur pro pretio; imo & ab vsuraria mutuatione in qua licet dominiũ rei pro pretio transferatur, speratur tamen restitutio rei, & propterea per mutuum, seu vsurariam mutuationem non dicitur proprie res contrahi, aut distrahi.

Notandum est secundo quod per illam particulam, pro pretio, distinguitur emptio, & venditio etiam à donatione, quæ fit gratis, & à permutatione in qua vna res datur pro alia, quæ non est pretium.

2. Secundo quæritur vtrum contractus emptionis & venditionis sit adeo antiquus, vt fuerit in principio orbis, vel saltem ante alios contractus? Ad hoc Respondeo quod non, nam teste Aristotile lib. 5. Eth. & lib. 1. Polit. multa sœcula pertransierunt, in quibus vita agebatur absque emptione & venditione, & in quibus numisma non erat in vsu. Et Plin. lib. 33. naturalis historiæ cap. 3. dicit Seruium Romanorum Regem primo signasse æs nota pecudum, vnde pecunia dicta est, & post lungum tempus signatum fuisse argentum anno ab vrbe condita 1581. & lib. 2. eiusdem naturalis historiæ cap. 33. dicit Liberum patrem instituisse emere, & vendere.

3. Tertio quæritur vtrum contractus emptionis & venditionis sit Reipublicæ necessarius. Videtur enim quod non, quia eo tempore, in quo non erat emptio & venditio, vita fœlicius, & simplicius agebatur sine tot fraudibus, & fallatijs, quæ deinde ortæ sunt ex emptione, & venditione. Tamen dicendum est cum Aristotile lib. 1. Polit. contractũ emptionis & venditionis esse maxime necessarium Reipublicæ; nam ægre potest quis tantum per permutationem suis subuenire necessitatibus; nam si detur sutor, qui habeat calceorum aceruum, & indigeat domo, forsitan ille, qui habebit domum non indigebit tot calceis, et si quis habeat frumentum, sed non vinum, forsitan qui habet vinũ non indiget frumento. vnde Aristoteles lib. 1. Polit. cap. 7. vocat Barbaras eas gentes, apud quas non vigebat adhuc contractus emptionis & venditionis.

4. Quarto quæritur vtrum negotiatio, idest emere vt reuendere sit licita; & videtur quod non, quia emptio quæ fit vt res empta iterum vendatur videtur esse innaturalis; Nam emptio adinuẽta fuit vt homo per eam habeat neces-

necessaria vitæ suæ, idest eas res, quibus sibi subuenire possit, & venditio adiuenta fuit in ordine ad emptionem; Hoc est vt si aliquis habet multum frumentum vendat illud quod est superfluum, & non necessarium vitæ suæ, vt eo pretio emat vinum, vel alia quæ non habet, & sunt necessaria ad sustentationem, & ornatum vitæ suæ, ergo emere vt reuendas erit contra naturam emptionis, & ex parte emptionis ipsius, quia non emis vt tibi subuenias, & ex parte venditionis, quia non ordinatur ad emptionem.

Secundo quia vt ait Aristoteles loco citato illa ars quæ non habet certum, & determinatum finem, est illicita, sed emere vt reuendas, non habet certum & determinatum finem; nam hoc est velle lucrum lucro coaceruare in infinitum; ergo negotiatio non est licita.

Tertio negotiatio est causa vt res carius vendatur, per eam enim merces reducuntur in manus paucorum, qui eas deinde vt lucrentur carius vendunt; quare melius esset vt omnes concurrerent ad primos venditores, vt res vilius emerent.

Quarto in negotiatione vt plurimum apparent fraudes, & doli; est enim negotiatio inuoluta varijs fraudibus, & dolis, & ideo in sacris litteris, & apud sacros Doctores male audit negotiatio, quia dicitur in Psalmo quia non noui negotiationem introibo in potentias Domini, & D. Crisostomus ca 21. super Diuum Matheum dicit quod qui emit aliquam rem, vt eam immutatam reuendat est ille qui ab ecclesia eijciendus est, vnde dicitur d. 88. capitulo eiciens, quod negotiatio omnino est prohibita clericis. Pro solutione istius difficultatis.

5. Notandum est primo quod cum quærimus vtrum negotiatio sit licita, per negotiationem intelligimus actionem illam, qua res aliqua emitur, vt iterum vendatur, dicitur negotiator, institor, & mercator; negotiator quidem, quasi non habens otium, & quietem, nam negotium dicitur quasi sine otio, quia negotiator est semper plenus sollicitudinibus & curis: dicitur institor quia semper instat negotijs. Vnde Prou. 35. dicitur, facta est sicut nauis institoris: mercator vero dicitur à loco in quo emit, & vendit. Ita Syluester in sum. verbo negotiatio in principio Institutor, Mercator, & negotiator.

Notandũ est secundo quod emere, ut quis reuendat contingit dupliciter, vno modo quando emitur vna res, vt eadem quidem reuendatur, sed mutata per artem, & industriam, sicut quando emitur lana, vt eadem reuendatur sed mutata in pannum, vel ferrum conuersum in gladios, vel quando emitur auis paruula, vt deinde vendatur canens, vel quando emitur equus indomitus, vt deinde factus mansuetus per artem reuendatur; & hoc modo non est propriè negotiatori, sed pertinet ad artem mecanicam, quæ licita est, & Reipublicæ necessaria, & de hac non est hic controuersia; alio modo potest fieri vt vendatur id quod emitur absque vlla permutatione rei emptæ, vt cum emitur frumentum, & de hac emptione est hic dubitatio.

Et dico primo quod negotiari intrinsece de sua natura nec est bonum, nec malum, sicuti comedere, & deambulare non est malum, vt mendacium nec est bonum vt uirtus, sed potest esse & bonum & malum, vt bene dicit D. Augustinus in lib. quæstionum veteris & noui testamenti, & vt refertur Capitulo fornicari d. 58. vbi dicitur quod negotiari non est sicut fornicari; nam fornicari semper malum est; negotiari vero aliquando bonum, & aliquando malum.

Dico secundo quod negotiatio quantum ad finem, qui est lucrum, videtur preseferre quandam turpitudinem; quia lucrari secundum se, neque est necessarium, neque honestum, vt lucrum non videtur habere certum terminum, & hoc est quod dicebatur supra in secunda ratione ex Aristotile, sed si lucrum transferatur ad bonum finem, cum vere de sua natura non sit turpe, sed indiferens, negotiatio erit bona, & licita, vt cum quis negotiatur ad sustentationem suæ familiæ, & pauperum, & propter

pter necessitatem Reipublicæ.

Dico tertio quod negotiatio est necessaria Reip. cum enim non omnis ferat omnia tellus, sed alibi nascatur piper, alibi vinum, necesse fuit vt essent mercatores, qui talia emerent, vbi nascuntur, & defferant ad eas Regiones, vbi non nascuntur, nam si vnusquisque qui indiget pipere transmigraret ad regionem in qua nascitur, nimis onerosum esset, nec fieri posset; & quod dicitur de loco, intelligendum est de tempore; nam non semper est abundantia rerum, & quando abundantia est, non omnes possunt emere pro futuro tempore, ergo necessarij sunt aliqui, qui emant in vno tempore, vt gentibus deinde in alio reuendant.

Dico quarto ex D. Thoma secunda secundæ. quæst.77. art. 4. quod licet negotiatori vendere merces charius, quã ipse emit ratione laborum, & impensarum, quas fecit in deducendis mercibus de vno in alium locum, & in eis conseruandis. Item ratione temporum & locorum, licet enim merces remaneat mutata secundum se, poterit tamen mutari quantum ad locum, vel quantum ad tempus, quia videlicet venditur in alio loco, vel in alio tempore, quam in eo in quo emitur, & propter hanc mutationem, inquit D. Thomas, pretium mercium crescere potest; sed de pretio rerum postea dicam, & licet verum sit quod aliquando qui emunt frumentum, vinum, vel fruges, & annonam, vt vendant iterum, sint reipublicæ vtiles, & necessarij tanquam custodes rerum necessariorum, tamen multo plures, & maxime in nostris temporibus sunt Reip. maxime pernitiosi, qui cum talia emant vt revendant curant vt pretia rerum adeo crescant vt sint intolerabilia, & propterea tales essent ab Ecclesia eijciendi.

Dico quinto & vltimo quod licet negotiatio de sua natura possit esse licita vt diximus, est tamen periculosissima, quia in ea patet aditus ad multas fraudes, ita ut negotiatores difficile suam artem exercere possint absque peccato; non quidem ex natura negotiationis, sed ex malitia hominis; atque ex his patet responsio ad quatuor rationes supra allatas. Ad primam enim respondetur ex his quæ diximus in primo, & secundo dicto; licet enim videatur innaturale vendere aliquid, quod emitur, potest tamen id dirigi in bonum finem, & eodem modo.

Ad secundam eodem modo Respondetur, nam licet intendere lucrum secundum se non videatur honestum, neque necessarium, erit tamen honestum, & necessarium, si referatur ad sustentandam prolem, ad vtilitatem pauperũ, & ad Reip. necessitatem &c.

Ad tertiam Respondeo ex his quę diximus in tertio & quarto dicto, licet .n. res carius vendantur, quam emantur ratione laborum, & expensarum, mutationis temporis, & loci, non est peccatum, modo non excedatur iustum pretium, quod tunc est, quando res venditur.

Ad quartam Respondeo ex his quæ diximus in quinto dicto quod enim sint multæ fraudes in emptione & uenditione, non est ex natura negotiationis, sed ex hominum malitia.

Ad auctoritates Sacræ Scripturæ Respondeo quod illæ auctoritates tantum innuunt difficillimum esse ꝙ negotiator absque frequentissimo peccato suam artem exerceat, & Ecclesiastici 27. dicitur sicut in medio emptionis & uenditionis, qui cupit locupletari peccatis angustiabitur, & sicut Christus in Euangelio dixit, difficilius Camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cęlorum; Non quia diuites non possint ingredi in Regnum cœlorum, sed quia difficile est quod ille qui tangit picem non coinquinetur, & qui in diuitijs manet non peccet, ita difficile est vt propter lucrum negotiator non peccet; nam uariæ adinuentæ sunt fraudes non tantum in negotiatione, sed

etiam

etiam in omni emptione, & venditione; vnde inquit D. Augustinus super Psal. 70. & refferetur capitulo quoniam d.88. si ideo eijciendi sunt negotiatores, quia in negotiatione potest esse fraus, ita eijciendi essent agricolæ, & opifices, nam & ipsi mentiuntur, illi vt frumentum carius, hi autem vt opus suum carius vendant.

6. Fraudes, quæ possunt esse in hominibus circa negotiationem sunt multæ, est enim aliquando fraus.

Primo circa pretium, cum res carius venditur, vel emitur iusto pretio.

Secundo circa substantiam rei, vt cum emitur, vel venditur vna res pro alia.

Tertio circa quantitatem cum datur minus iusta mensura, vel accipitur plus iusta mensura.

Quarto ex qualitate, vt cum venditur res vitiosa pro bona.

Quinto ex Monopolio, vt cum vnus solus emit totam mercem, vt carius eã vendat, cum ab alio emptores emere non possint.

Sexto ex anticipata solutione.

Septimo ex dilata solutione.

Octauo ex pacto de retrouendendo.

Nono potest esse peccatum ratione temporis quia venditur in die festo.

10. Ratione loci, quia venditur in loco sacro; & de omnibus his fraudibus quoniam earũ cognitio maxime ad confessarium spectat, sigillatim quædam dicenda sunt, breuiter tamen.

De fraude circa pretium rei venalis.

1 *Sitne peccatum mortale vendere rem pluris, quàm valeat, vel emere rem minoris quam valeat.*

2 *Quando liceat alterare pretia rerum.*

3 *Liceatne augere pretium rei ex eò quòd emptor maximè illa indigeat, vel ei vtilis sit.*

4 *Vtrum liceat decipere venditorem, vel emptorem citrà dimidium.*

5 *Deceptor citrà dimidium tenetur ad restitutionem pretij.*

6 *Quodnam sit iustum pretium rerum.*

7 *Clerici an teneantur seruare iustũ pretium rerum in suis emptionibus, & venditionibus.*

8. *Pretium rerum quotuplex sit.*

9 *Pretium rerum augetur loco, & tempore, modo, & causa.*

10 *Liceatne vendere carius expectata, quàm numerata pecunia, diuiti, quàm pauperi.*

11 *Modus vendendi maximè minuit de pretio.*

12 *Si quis det rem aliquam vendendam pretio pìo, & is illam vendat rigoroso, cui debeatur illud augmentum pretij.*

1 Hic primo quæritur an sit peccatum mortale vendere rem maioris iusto pretio, seu pluris quam valeat, vel emere rem minoris quã valeat.

Ad hoc dico primo cum D.Th.2.2. qu.77. art.1. quod vti fraude circa rem venalem, vt maiori iusto pretio vendatur, vel minori iusto pretio ematur, de sua natura est peccatum mortale, quia damnificate proximum est peccatum mortale contra charitatem, & cõtra Iu-

stitiam

stitiam; sed ille qui intendit fraudem circa rem venalem, vt maioris Iusto pretio illam vendat, vel minoris Iusto pretio illam emat, intēdit damnificare proximum, ergo peccat mortaliter.

Dico secundo quod vendere rem pluris, quam valeat, vel emere minoris quā valeat est peccatum mortale; si excessus vel defectus est notabilis; nam parū pro nihilo reputatur; & ratio est quia proximus in hoc læditur, & si est peccatum mortale vti fraude, vt res maioris Iusto pretio vendatur, vel minoris ematur, multo magis erit peccatum in effectu vendere rem maioris iusto pretio, vel emere minoris iusto pretio, & hoc verum est considerata re venali secundum se.

2. Dico tertio quod aliquando per accidens licitum est vendere rem carius, quam in effectu secundum se valet, & hoc ratione damni quod patitur vendens propter priuationem rei, quā vendit, si tamen venditor rogatus eam vendit; exemplum sit si Medicus habet mulam, sine qua lucrari non potest, quia forsitan sine ea non potest iter facere, & est alius qui desiderat eam emere, & propterea Medicum rogat, vt eam ei vēdat, potest Medicus vendere illam mulam pluris quam valeat secūdum se absque peccato, & ratio huius est plana, quia in tali casu Medicus non tantum vendit mulam, sed etiam suam commoditatem & vtilitatem, & propterea iustum pretium in tali venditione non erit tantum considerandum respectu mulæ secundum se, sed etiam respectu damni, quod patitur medicus propter venditionem mulæ. Dixi si venditor rogatus sit ab emptore, nam secus esset si propter necessitatem propriam cogeretur venditor rē suam vendere quæ sibi vtilis est; ita Syluester in summa verbo empt. § 7.

3. Dico quarto quod non licet augere pretium rei solum, quia emptor maxime ea indiget, & quia ea res vendita maximam vtilitatem affert emptori; vt si ego habeo mulam, qua non multum indigeo, & Medicus sine mula non potest lucrari, non possum ego pluris iusto pretio illam mulam vendere Medico, quia Medico illa maxime conducat, quoniā licet ego possim vendere meam vtilitatem, non tamen possum vendere vtilitatem alterius. Alioquin Pharmocopola posset carissime suas medicinas vendere quia medicinæ maxime conducunt infirmo dantes illi sanitatem, & si esset augendum pretium iuxta vtilitatem emptoris, tanti posset uendi medicina, quāti valet salus infirmi.

Sed dices vtrum emptor possit emere rem minoris iusto pretio tātum, quia illa res non est sibi multum vtilis, sed parum, quia illa non indiget. Syluester verbo supra citato affirmat, vt dicit Sot. lib. 6. & Iust. & Iur. qu 3. art. 1. vbi adsunt omnia quatuor quæ supra diximus, & dat exemplum de operario, qui non adinuenit cui suas operas locaret, & egō, qui eo multum non indigeo paruo pretio eum conduco. Sed Sot. loco citato dicit esse veram opinionem Syluestri, non quia liceat diminuere pretium rei propter paruam vtilitatem ementis, sed quia vltroneæ merces vilescunt, vt ait Caet. in summa verbo emptio.

4. Sed hic est magna controuersia inter Doctores vtrum in conscientia sit licitum decipere venditorem, vel emptorem citra dimidium. Ratio dubitandi est & controuersia, quoniam in legibus ciuilibus nō rescinditur contractus emptionis, vel venditionis propter deceptionem ementis, vel vendentis ratione pretij, nisi deceptio sit vltra dimidium, & hoc permittitur etiam in lege Canonica, vt dicit Sot. loco citato, & vt videre est capitulo cum dilecto, & capitulo cum causa de emptione, & venditione.

De hac controuersia fuerunt tres opiniones, quarum prima est Durandi ord. minorum, vt refert Sot. de Iust & Iur. lib. 6. qu. 3. art. 1. qui dixit non esse peccatum mortale decipere emptorē, vel venditorem, modo deceptio non sit vltra dimidium; & hæc opinio potest probari primo quia leges humanæ, ciuiles, & Canonicæ secundum tutiorem opinionem obligant in conscientia, sed lex humana tam Canonica, quam Ciui-

lis dicit licitum esse decipere emptorem, vel venditorem, modo deceptio non sit vltra dimidium pretij. Secundo quia per præscriptionem licitum est possidere rem quæ antea est aliena, ergo & per deceptionem in emptione, & venditione; quia sicuti lex humana quia admittit perscriptionem facit eam iustam in conscientia, ita quia admittit deceptionem in emptione, & venditione, facit eam iustam. Tertio sententia Iudicis iusta si non procedit ex falsa presumptione, obligat in conscientia sed si deceptus venditor agat contra emptorē coram Iudice, modo deceptio non sit vltra dimidium, Iudex sententiam profert contra deceptum; igitur deceptio talis non erit illicita.

Secunda opinio est Gersonis in tractatu de cōtractibus & in suis floribus, qui dicit decipere venditorem, vel emptorem esse peccatum mortale quidē, sed decipientem non esse obligatum ad restitutionem excessus pretij in quo decipit, nisi sit vltra dimidium; & ratio huius est, quia volenti, & scienti non fit iniuria, & propterea hic forsitan dixit leges statuisse licitam esse deceptionem, modo non sit vltra dimidium, non quia non sit peccatum decipere, quando deceptio est circa rem notabilem, sed quia noluit decipientem teneri ad restitutionem.

Tertia opinio est D. Thomę secunda secundæ. qu. 77. & omnium aliorum Theologorum, Scholasticorum in quarto sent. dist. 15. quod videlicet leges ciuiles & Canonicæ quando dicunt licitā esse deceptionem circa pretium citra dimidiū, non intendunt determinare quod deceptio hæc est illicita in foro conscientiæ, sed tantum in foro exteriori, & probatur hæc opinio.

Primo quoniam emptio & venditio est adinuenta propter hominum vtilitatem, sed si eis liceret decipere esset in detrimentum hominum, & ita non esset adinuenta ad vtilitatem.

Secundo probatur, nullus potest, siue sit Pontifex, aut Papa, siue Imperator, siue Rex, aut quilibet alius despensare in lege naturali, seu facere vt id, quod est contra legem naturalem sit licitum, sed deceptio in cōmutationibus & contractibus est contra legem naturalem; ergo lex Pontificis, aut Imperatoris, vel cuiuslibet alterius non potest facere vt deceptio sit licita. Quod autem deceptio in commutationibus, & contractibus, sicut & in alijs rebus sit contra legem naturalem probatur, quia deceptio hæc est contra Iustitiā, & Iustitia pertinet ad legem naturalem. Quod sit contra Iustitiam probatur, quia obiectum Iustitiæ est æqualitas. Immo vt ait Ar. 5. Eth. Iustitia nil aliud intendit nisi vt sit æqualitas in rebus, itaut vnaquæque persona habeat quod suum est.

Tertio probatur, si liceret decipere in pretio etiam citra dimidium, etiam liceret decipere in mensura, & pondere; sed hoc est contra sacram scripturam; nam Deutheronomij 25. dicitur non habebis in Saculo tuo diuersa pondera maius, & minus, nec in domo tua erit modius maior, & minor.

5. Ex his infertur non tantum esse peccatum decipere in emptione & venditione citra dimidium pretij, sed etiā deceptorem teneri ad restitutionem, quia Iustitia requirit vt vnusquisque habeat quod suum est, & probatur, nam si aliquis decepit emptorem vltra dimidium tenetur ad restitutionem, vt habetur Cod. de rescind. vend. l. 2. vbi enim determinatur quod quando est deceptio vltra dimidium pretij debet rescindi venditio nisi restituatur integrum pretium, id est sex si emit pro quatuor rem valentem decem, ergo pari modo dicendum est quod si aliquis emit rem valentem decem pro sex, teneatur restituere quatuor, aliter ridiculum esset quod ille, qui illam emit pro quatuor teneatur restituere sex; nam sufficeret si restitueret duo.

Ad rationes in contrarium Respōdeo primo ad primum quod leges ciuiles, & Canonicæ cum permittunt deceptionē citra dimidium non intendunt determinare quod possit in conscientia; sed tantum dicunt id licere in foro exteriori; ita vt Iudex non possit procedere contra decipientem, & hoc ad tollendas li

tes,

ses, quæ quotidie orirentur circa huiusmodi pretium, an autem sit peccatum nec ne, remittunt ad forum conscientiæ.

Ad secundum de præscriptione dicit Sotus art. 1. citato, quod leges Ciuiles possunt facere vt per perscriptionem aliquis possit possidere tuta conscientia rem quam bona fide possidebat, & ratio huius est quia in perscriptione supponitur bona fides. Secundo quia non videtur æquum inquietare aliquem qui diu rem aliquam possidebat, maxime cum propter diuturnitatem temporis non possit facile veritas haberi, in deceptione vero non est bona fides, nec diuturnitas temporis potest facere vt deceptio fiat bona, quia semper stat cum mala fide.

Ad tertium Respondeo quod sententia pertinet ad forum exterius, vt dixi ad dirimendas lites, quia sententia datur secundum leges, quæ id statuunt propter bonum finem vt dictum est.

Ad rationem Gersonis dico quod ille, qui emit vel vendit deceptus, non dicitur volens, vel sciens vendere tali pretio, cum nesciat verum & Iustum pretium.

6. Secundo quæritur quid nã sit pretiũ iustum rerum; Resp. quod pretiũ iustum rerum, vt dicit Caet. in summa est illud quo communiter res venditur ab hominibus sub hoc tempore, & sub hoc modo. Vt autem hoc intelligatur notandum est quod pretium iustum rerum duplex esse potest, vel enim est legitimum idest à lege Principis positum, vel est naturale, seu arbitrale. Pretium legitimum quod & dicitur Taxa, consistit in indiuisibili, ita vt peccet emptor si minori illo emat, & venditor si maiori vendat, vt si pretium legitimum carniũ vituli sit octo assium pro libra, ita decipere venditorem vt soluantur tantum septem pro libra est peccatum, nisi venditor ipse ratione amicitiæ, vel pro eleemosyna donaret emptori id quod deest, vel propter aliam causam; & si venditor venderet carnes vituli nouem assib⁹ pro libra peccaret grauiter, & quidẽ peccatum mortale si excessus esset notabilis, vt si quis viginti vel quadraginta libras emeret nouem assibus pro libra, quia venditor non vult vendere pretio taxato, & teneretur venditor ad restitutionem illius excessus.

7. Quod si dicas, Clerici tenentur ne seruare pretium legitimum in suis emptionibus, & venditionibus, quod pretium determinatum est a Principe sæculari? Videtur enim quod non, quia Clericus non est subiectus legi Principis sæcularis. Nauarrus in Man. cap. 23. nu. 88. dicit Clericos teneri seruare pretiũ legitimum, vt si lex Principis sit vt non vendatur frumentum pluris quam uiginti quinque libris, non poterit clericus illud vendere maiori pretio, quia licet non sit subiectus legi Principis sæcularis, est tamen subiectus legi naturali, quæ vult vt seruetur Iustitia in commutationibus & in emptione, non seruatur Iustitia quando accipitur plus Iusto pretio.

8. Pretium naturale, seu arbitrarium non est indiuisibile, sed habet quandam latitudinem Iustitiæ, cuius extremum superius dicitur rigorosum, inferius dicitur pium, & medium dicitur moderatum, vt si communiter vlna panni venditur decem, pretium iustum, rigorosum erit vndecim, pium nouem, moderatum decem. Id quod excedit vndecim erit iniustum, & in quod ascendit ad nouem erit iniustum, vnde venditor poterit vendere pannum illum nouem, decem, vndecim; sed non duodecim; & emptor poterit emere iuste decem, vel nouem, sed non octo, & si defectus in emptore sit notabilis erit peccatũ mortale: sicut si excessus in venditore sit notabilis erit mortale peccatum.

Notandum est secundo quod pretia rerum non sunt consideranda secundum notabilitatem rei tantum, idest non ideo res est carior, quia nobilior, sed est consideranda res prout cedit in vsum hominum, alioquin vt dicit D. Aug. lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 16. pluris deberet vendimus quam frumentum, quia mus est nobilior frumento & tamen vnusquisque mallit habere domum plenam

frumēto, quā mutibus, quia mures licet sint nobiliores frumento cum sint animati, non tamen sunt necessarij ad vsū humanum sicut frumentum, & videmus aliquando quod pluris venditur equus quam seruus, & tamen seruus cum sit homo est longe nobilior equo.

9. Tertio notandum est quod pretiū iustum rerum non semper est idem, sed augetur & minuitur pro loco & tempore, & modo vēdendi, & causa augumentationis & diminutionis pretij.

Prima causa & potissima diminutionis pretij iusti rerum est abundantia rerū, & augumenti pretij est penuria rerū.

Secunda causa est quando sunt plures qui vendunt res, & pauci, qui eas emūt, vel è conuerso quando sunt multi qui volunt emere, & pauci qui volunt vendere.

Tertia causa est multitudo pecuniæ, vel paucitas ipsius; res enim pluris venduntur cæteris paribus vbi sunt multi nummi, quam vbi sunt pauci.

Quarta causa erit modus ipse vendēdi, cum enim uenditor quærit emptorē diminuitur pretium iustum, & quando emptor quærit venditorem augetur.

10. Ex his, quæ diximus de pretio infertur primo quod licet venditori uendere carius pecunia expectata, quàm numerata, item diuiti, quam pauperi &c. modo non excedatur pretium iustum; ut si pretium iustum alicu ius rei sint nouem, uel decem, uel undecim, non est peccatum uelle uendere pecunia credita, nisi promittantur undecim, & si daretur pecunia uenderetur nouem uel decem. Similiter nolle uendere inimico minori pretio quam undecim id, quod amico uenderetur decem; secus esset si excedatur iustum pretium; quia pecunia expectata non tunc esset usura, ut dicetur in cap. sequenti, & si uenderetur pluris iusto pretio pecunia numerata esset iniustitia.

Infertur secundo quod non licet mercatori carius uendere merces, quam ualeant, ut seruetur indemnis, puta quia multum & ipse impendit in eis, ut si caupones existimantes uinum fore carum in Æstate, in mense Nouembris anni præteriti emerunt vinum duodecim libris pro singula mensura, credentes vendere illud in æstate decem, & octo, & tamen in æstate pretium vini non excedit vndecim libras, non ideo possunt Caupones vendere vinum, quod emerunt duodecim libris, decem & octo, sed debent illud iusto pretio quod nunc currit, si volunt illud nunc vendere.

11. Infertur tertio quod modus vendendi maxime minuit de pretio, vnde potest quis tuta conscientia emere librū sub asta, vel ab eo qui quærit emptorem quatuor regis nummis, qui apud Bibliopolas venditur sex regis nummis, quia iustū pretium illius libri prout vēditur sub asta, vel ab eo qui quærit emptorem, est valde minus, quam sit iustū pretium illius libri quando venditur in Apotheca bibliopolæ. Vnde inquit Nau. & bene in man. cap. 23. n. 79 & 87. quod non peccant illi qui malunt expectare vt vendant sub asta res alicuius defuncti vt viliori pretio eas emant, quam eas emerent in Apothecis; neque peccant illi Scholares, qui malunt emere libros ab alijs discipulis discedentibus viliori pretio quam in Apothecis, quia modus vendendi illorum discipulorum multū diminuit de pretio; similiter nec peccāt illi, qui malunt emere merces in fine nundinarum, quam in principio, quia communiter in fine nundinarum viliori pretio venduntur.

12. Demum circa pretium quæritur vtrum, si quis alicui dedisset aliquam rē, vt eam venderet pretio pio, qui eam vendidit pretio rigoroso, debeat habere totum pretium; & Respondēt Doctores affirmatiuè vt videre est apud Armillam in summa verbo emptio. §. 28. secus si conuentum aliter fuisset inter eum, qui dedit ad vendendum venditori, vt si dixisset ille, qui dedit ad vendendum venditori, vende tanti, quod si pluris potuerit uendere, tuum sit id quod supereſt, si tamen excederet iustum pretium, teneretur ementi quem contra iustitiam damnificauit.

De fraude circa rei substantiam.

1 *Qualiter peccent vendentes, & emētes qui commitiunt fraudem circa substantiam rei.*
2 *Peccatum vendentium mensuris paruis, & non iustis.*
3 *Peccata circa qualitatem rei.*
4 *Peccata ordinaria in emptione, & venditione equorum.*
5 *Vendens an teneatur explicare euentum futurum ementi, propter quē res minus venderetur.*
6 *Habens monetam, quam scit breui banniendam, an possit eam expendere, antequam banniatur.*
7 *An peccet vendens bona, quæ erant sua, sed nunc sunt confiscata.*

1 PEccant mortaliter contra charitatem, & contra iustitiam illi, qui in emptione, & venditione fraudem committunt circa substantiam rei, vt si quis vendit aquam pro vino, vt faciunt miscentes vinum in dolio, vel mel pro Sacaro in confectionibus, vel fumum terræ pro reubarbaro, vt faciunt mali Atomatarij. Ita Caiet. in sum. verbo emptio, & venditio, similiter qui emūt aurum pro auricalco peccāt mortaliter, & gemmam pretiosam pro gemma non pretiosā; si aliquis emeret gemmam pretiosam pro gemma non pretoisa cognoscens illam esse pretiosam ab eo qui ignorat esse pretiosam; secus esset inquit Caiet. & bene si tam emens, quam vendens ignorantes an gemma sit pretiosa committerent se fortunæ, ita vt emens emeret eam tanti siue sit pretiosa siue non, & similiter vendens eam venderet tanti siue sit pretiosa, siue non.

De fraude in quantitate.

2 PEccant mortaliter contra charitatem, & iustitiam vendentes, qui habent mensuras paruas, quam sit iustum, idest quam non sunt iustæ, si id faciunt scienter, vt habetur Deuterono mij cap. 25. Sed dices mensuræ diuersificantur secundum diuersitatem Ciuitatum, vel regionum, vt starium Mediolanense minorem continet quantitatem, quam Comense, ergo non erit peccatum vendere in mensura minori, vel maiori emere, quia ad libitum humanum possunt diuersificari mensuræ. Respondeo. Quod licet in diuersis locis diuersæ sint mensuræ, cum tamē res mensurabilis venditur in vno loco, nisi fiat aliud pactum, seruanda est mensura illius loci, & quod dixi de mensura, intelligendum est & de pondere.

De fraude, quæ committitur circa qualitatem rei venalis.

3 PEccant mortaliter, vt dicit Caietanus in summa verbo venditio, & omnes alij, illi qui committunt fraudem circa qualitatem rei venalis eam vendentes, vt cum quis vendit equum infirmum pro sano, vel aliam rem vitiosam pro bona, nam hoc cedit in detrimentum proximi. Caietanus loco citato ait, quod si quis venderet rem vitiosam, vt est, solum tanti quanti valet omnibus defectibus consideratis, explicando se nolle teneri in aliquo, non peccat. Sed hic quærunt DD. vtrum vendens teneatur explicare vitia, quæ res venalis habet volenti eam emere; & de hoc quæsito multi multa dicunt. D.Th. 2.2 q. 77. art. 3. dicit vendentem teneri explicare vitia occulta si ea cognoscit, non autem manifesta, etiam si emens ea non aduertat; Syluest. in sum. ver. emptio §. 2. dicit quod vendens tenetur expli-

explicare vitia etiam manifesta illa quæ non cognoscuntur ab emptore, si cognoscit, quod emptor illam rem non emeret cum tali vitio. Idem dicit Panormit. citatus à Sy lu. & ita ego credo dicendum esse; nam si tenetur vendens explicare vitia occulta secundum opinionem D.Th. tenebitur etiam explicare vitia manifesta, quæ non aduertuntur ab emente, quia talia vitia licet aliquibus possint esse manifesta, ementi tamen supponuntur occulta.

4. Sed dices si quis haberet equum lunaticum, quē vellet vendere, & volenti eum emere diceret, ego do tibi hunc equum si vis eum emere pro claudo, cæco, lunatico, &c. & hæc diceret quia volens eum emere videt equum non esse cæcum, nec claudum, existimat etiam eū non esse lunaticum, peccet mortaliter. Respondeo ex Arm. affirmatiue in sum. ver. emptio nu. 18. & ratio est quia vendens vtitur fraude circa qualitatem rei, dum dicit equum esse claudum, cęcum, & lunaticum, vt emens cum videat equum non esse cæcum, & claudum, non credat esse lunaticum.

5. Dices secundo vtrum vendens teneatur explicare euentum futurū ementi propter quem minus res venderetur, vt si aliquis haberet frumentum, quod venditur decem communiter, sed propter aliud frumentum quod expectatur post quatuor, vel quinque dies non posset vendi pluris quam quinque, teneatur venditor dicere, si vis expectare post quatuor dies dabitur tibi frumentum pro quinque. Ad hoc respondet D.Tho. quod non, sed potest vendere suas merces pretio iusto, excipiuntur tamen aliqui casus.

Primus si mercator interrogaretur ab emptore an expectetur nouum frumentum; nam in hoc casu venditor nō potest dicere non expectari nouum frumentum, cum sciat expectari, & cum sciat, quod emptor nollet emere tunc, si sciret nouum frumentum expectari.

Secundus casus est si venditor rogaret emptorem, vt emeret, qui alias non esset empturus. Ita Franciscus Garzias in tractatu de contractibus.

Tertius casus est si emptor esset pauper, sed hoc dicitur secundum charitatem, non autem quod sit de Iure.

6. Rursus est dubitatio vtrum ille, qui habet monetam, quam scit debere banniri, aut diminui de pretio, possit eam expendere tuta conscientia antequam banniatur? Respondeo affirmatiue, & ita Franciscus Garzias in tractatu de contractibus; & ratio huius est quia pecunia quando expenditur tantum valet, quanti expenditur pro illo tempore.

7. Denium est dubitatio vtrum peccet mortaliter ille, qui vendit bona, quę erat sua, sed tunc sunt confiscata; vt aliquis, dum esset Mediolani fuit bannitus, & propterea fugit Placentiam, vbi quidam eius amicus nesciens eum esse bannitum, vel eius bona esse confiscata, emit ab eo possessionem, quæ est Mediolani? Respondeo affirmatiuè, quia in damnum proximi operatur, & vendit, quod amplius suum non est.

De

De fraude, quæ contingit in Monopolio.

Monopolium quid sit.
An liceat vendere carius propter dilatam solutionem, & quomodo.
An liceat emere uilius iusto pretio propter anticipatam solutionem.
Vendens in die festo, vel emens, qualiter peccet.
Fallentiæ prafatæ regulæ; idest quibus in casibus liceat vendere, aut emere in die festo.
An liceat vendere in Ecclesia.
Addere iuramentum falsum emptioni, aut venditioni est peccatum mortale etiam in re minima.
Vendere, vel emere sacras res, est peccatum simoniæ.

Monopolium tunc est cum fit congregatio totius alicuius mercis apud aliquem, vel apud aliquos, ut carius vendatur; vel cum mercatores illius mercis conueniunt inter se, vt nullus eam vendat nisi tanti, & hoc facere um si in damnum proximi notabile, est peccatum mortale.

Secus esset, si Monopolium idest congregatio mercium fieret pro vtilitate pauperum & Reipublicæ, vt si aliquis nobilis, vel Ciuitas ipsa multam copiã frumenti emeret, vt tempore penuriæ illud venderet honesto pretio pauperibus indigentibus.

Ex hoc dicit Nauarrus in Man. cap. 23 nu. 91. peccare mortaliter eos qui tẽpore messis, vel tempore vindemiarum fruges, vel vinum immoderate emerent, & congregarent, vt postea penuriam inducerent; nisi vt dixi talis emptio & congregatio fieret in vtilitatem Reip., vt legitur de Ioseph Gen. 41. quod septem annis abundantiæ emit & congregauit multum frumentum, vt eo subueniret hominibus in septem annis futuris sterilitatis.

De eo qui vendit charius propter dilatam solutionem.

2 Vendere charius iusto pretio propter dilatam solutionem est peccatum vsuræ, vt dicam in cap. sequenti, posset tamen quis vendere charius ob dilatam solutionem, quam faceret pecunia numerata sine peccato mortali.

Primo intra limites iusti pretij vt si quis vendit duodecim pecunia credita, id, quod vendit vndecim pecunia numerata.

Secundo si quis posset vendere rem suam duodecim pecunia numerata, sed ad obsequium alterius charius eam vendit propter dilatam solutionem ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, puta quia si haberet duodecim, quas posset habere vendendo mercem numerata pecunia, posset lucrari tria, non peccat vendendo per quindecim ratione lucri cessantis.

Tertio posset quis vendere rem charius iusto pretio, si vendit rem nunc vt obsequium amico faciat, quam seruaturus erat in aliud tempus, in quo probabiliter pretium iustum esset augendum, vt si aliquis esset seruaturus frumentum vsque ad Mensem Maij, in quo uerisimiliter vendetur vigintiquinque, vt obsequatur alicui, potuit illud uendere in mense Decembris eo pretio quo uenditur frumentum nunc in mense Maij, & hoc inquit Caet. in summ. uerbo uenditio, potest fieri duobus modis, uno modo si nunc constituatur pretium iustũ quod uerisimiliter erit iustum in mense Maij, paulo plus, vel minus, ut in mense Decembris uendatur frumẽtum ab aliquo, qui seruaturus erat illud usque ad mensem Maij, uigintiquinque, quia probabiliter uendebatur decem & octo, postea in mense Maij uendendum esse uiginti quin-

quinque paulo plus vel minus. Secundo modo potest fieri vt vendatur frumentum in mense Decembris ab eo, qui illud seruaturus erat vsque ad Mense Maij eo pretio, quo vere venditur frumentū in mense Maij, & si fiat contractus hoc modo, & in mense Maij frumentum habeat diuersa pretia, puta in principio Mensis pretium iustum frumenti sit viginti duo, & in fine viginti octo, accipiendum est illud pretium, quod est medium idest vigintiquinque.

De eo, qui emit viliori pretio, propter anticipatam solutionem.

3 Ille, qui emit vilius iusto pretio propter anticipatam solutionem peccat mortaliter, nisi id fiat ratione lucri cessantis, vt si ego non eram empturus vinum nunc pro mense Nouembris, sed pecuniam, quam habeo eram expēsurus in merce, in qua probabiliter aliquid lucraturus eram hinc ad Mensem Nouembris, sed Colonus indigens pecunia rogat me, vt emam vinum, quod habebit in Mense Nouembris, dando nunc pretium vini, potero nunc emere vinum minoris iusto pretio, etiā quod erit mense Nouembris propter lucrum, quod mihi cessat ex eo quod anticipem solutionem. Similiter non est peccatū nunc emere vinum pro mense Nouembris, pro pretio, quod existimatur valiturum in mense Nouembris, vt si nunc vēditur vinum duodecim libris, & possibile est, quod in mense Nou. vendetur septē, nūc possū emere vinū pro mēse Noueb. pretio septē, possū ēt date pecuniā pro vino quod habebo mense Nouēb. cū hoc pacto vt tunc statuatur pretium quando dabitur vinum, ut si darem Colono centum libras cum pacto ut mense Nouembris det mihi tantum vinum, quātum valent centum libræ, & hoc est securius, & si est damnum emergens, vel lucrum cessans possum etiā pacisci quod propter anticipatam solutionem det tātum plus vini, quantum erit damnum emergens, vel lucrum cessans, quod patitur emptor propter anticipatam solutionem. Similiter potest aliquis emere propter anticipatam solutionem minoris dando pretium pium, & non mode ratum, vel rigorosum.

De emptione cum pacto de retrouēdendo, & de emptione census dicetur cap. seq. vbi de vsura.

De eo qui vendit in die festo.

4 Peccat mortaliter ille, qui in die festo negotiatur emendo res venales, vt dicit Nauatr. in Man. cap. 13. num. 8. Caiet. in sum. verbo festorum violatio, & omnes alij Sum. vt habetur tit. De ferijs; & ratio huius est non quia de sua natura emptio, vel venditio sint opera seruilia, sed quia ad maiorem cultum dierum festorum à sacris Canonib. computatur inter opera seruilia; quod non sit de sua natura opus seruile patet, quia & uendunt & emunt domini & serui; quod computetur à Sacris Canonibus inter opera seruilia patet ex titulo de ferijs ubi prohibetur emptio & uenditio, sicuti etiam prohibetur ne placitum fiat in diebus Festis; licet hoc non sit opus seruile.

5 Fallit tamen in quatuor casibus in quibus communiter licitum est emere, & uendere in die festo.

Primus est quando id quod emitur, uel uenditur est res, in cuius emptione, & uenditione parum temporis insumitur communiter, ut cum uenduntur candelæ.

Secundus casus est, quando id quod uenditur, uel emitur est res, quæ comeditur, uel bibitur in usu illius diei, ut fit cum emuntur carnes, uinum, herbæ & similia pro usu unius diei. Ita Nauarrus & Caiet. locis citatis, & hoc maxime intelligitur in illis horis in quibus non est prohibitum ab Episcopo, si dantur Ciuitates uel Oppida ubi sit prohibitio certis horis, & quæ prohibitio sit more hominum approbata.

Tertius est quando in aliquibus terris, semel

semel, vel bis in anno fiunt nundinæ in aliquo die festo, & id Episcopus tolleret; secus vbi fiunt singulis hebdomadis, vt dicit Caet. loco citato, & Nauarrus in Man. Nam vsus est communiter, & in illis oppidis in quibus mercatum fit, verbigratia die Martis in singulis hebdomadis, si occurit dies festus, transferatur mercatum ad antecedentem, vel subsequentem diem.

Quartus casus est quotiescunque bona alicuius pauperis sub asta essent vendenda in aliqua villa, quæ non possent vendi iusto pretio die feriali propter defectum ementium, qui essent occupati in proprijs negotijs, & ita Caet. & Nau. locis citatis.

De emptione & venditione quæ fit in Ecclesia.

6 SOtus lib. 6. de Iust. & Iur. qu. 2. ar. 2. dicit quod negotiari in Ecclesia, modo in ea non vendantur merces, non est peccatum mortale, nisi sit scandalum, vel nisi perturbentur diuina officia; & hoc notasse Christum, cum dixit, domus mea domus orationis est.

7. Vendere cum Iuramento falso, seu vti Iuramento falso ad hoc vt facilius res vendantur, etiam in re minima est peccatum mortale, non quidem ratione rei, quæ est minima, sed ratione Iuramenti falsi, quod tam est peccatum mortale si fiat pro re minima, quam si fiat pro maxima. Immo aliqui Doctores dicũt maius esse peccatum iurare sine Iuditio, vel veritate pro re minima, quam pro re maxima, quia est minor excusatio.

8. Potest tamẽ peccare mortaliter circa emptionem, & venditionem vltra casus prædictos, si quis emeret vel venderet rem spiritualem; vt si venderet Sacramenta, vel daret pecuniam Episcopo, vel Sacerdoti, vt haberet Sacramenta, & hoc peccatum dicitur peccatum simoniæ. Est enim simonia studiosa voluntas emendi, vel vendendi res spirituales, vel spiritualibus anexas. Sed cum tractatus de Simonia seorsim à Doctoribus tractetur, & non simul cũ emptione & venditione, licet videatur pertinere ad emptionem, & venditionem, sicut & Caet. & alij Sumistæ non tractant de Simonia sub verbo emptio, vel venditio, sed sub verbo Simonia; & D. Thomas secunda secundæ facit singularem quæstionem, & simonia distinctã ab ea, quæ est de emptione, & venditione. Ita & ego alibi tractabo de Simonia.

MEMBRVM SECVNDVM.

De Permutatione.

1 *Permutatio quid sit.*
2 *Permutatio an sit licita.*
3 *Decipiens aliquem in permutatione per fraudem, an teneatur ad restitutionem.*
4 *Permutatio an sit antiquior emptione.*

1 PErmutatio dupliciter sumi potest, videlicet generaliter & hoc modo complectitur emptionem & venditionem; nam venditio est permutatio rei in pecuniam; emptio è conuerso est mutatio pecuniæ in rem; vel spetialiter, & hoc modo hic sumitur permutatio, & est mutatio rei in rem, quæ non est pretium, neque succedit loco pretij, licet aliquando possit interuenire pretium vt fiat æqualitas, vt si velim mutare vestem nouam in aliquam, quæ non sit noua, quæ sit minoris pretij, poterit interuenire pretium ad constituendam æqualitatem; idest simul cum veste non noua dare pecuniam.

2. Hic quæritur vtrum permutatio

fit licita? Respondeó affirmatiue, potest tamen esse fraus in ea, vel dolus ratione substantiæ, quando datur vna res pro alia, vt cum datur siligo pro frumento, & Lora pro vino; vel in qualitate, vel quantitate, vel pretio, vt cum datur res minoris pretij pro re maioris pretij, & quotiescunq; est similis fraus est peccatum mortale, nisi paruitas rei excuset.

3. Secundo quæritur vtrum ille, qui decipit aliquem in permutatione per fraudem teneatur ad restitutionem? Respondeo affirmatiue, & si vnus decipit alium, & qui decipitur intendit & ipse decipere nesciens quod decipiatur; ambo peccant mortaliter, sed quan tum ad restitutionem spectanda est æqualitas.

4. Tertio & vltimo quæritur vtrum permutatio sit antiquior emptione? Respondeo affirmatiue, vt dixi in principio Membri antecedentis. quod si dicas ergo prius erat agendum de permutatione, quam de emptione, & venditione. Ad hoc Respondeo prout etiam Respondet Franciscus Garzias in tractatu de contractibus cap. 3. nu. 2. quod licet secundum ordinem naturæ prius agēdum fuisset de permutatione, quia permutatio fuit antiquior emptione, tamen secundum ordinem doctrinæ prius agēdum fuit de emptione & venditione; quia emptio, & venditio, sunt veluti norma, & regula aliorum contractuum, in quibus transfertur dominium; quare ea quæ dicta sunt de emptione & venditione fere omnia applicanda sunt permutationi; nam in illis casibus in quibus contingit peccare circa emptionem, & venditionem, contingit etiam peccare circa permutationem, & dicti casus facilius explicantur in emptione & venditione quam in permu tatione.

MEMBRVM TERTIVM

De Mutuatione.

1 IN hoc membro primo quæritur vnde dicatur mutuum? Resp ódeo quod secundum omnes Doctores mutuum dicitur ex eo quod per mutuationem aliquid de meo fiat tuum, quia in mutuatione semper transfertur dominium rei, quæ mutuo datur à mutuante, in mutuatarium; & vt intelligantur vocabula notandum est, quod mutuari est mutuo accipere; mutuare est mutuũ dare; mutuans est ille, qui mutuum dat; mutuatarius est ille, qui mutuum accipit; mutuatio est actus mutuandi; mutuum est res, quæ mutuo datur, quod etiam accipitur pro mutuatione.

2. Secundo quæritur quid sit mutuũ? Bartolus. ff. si certum petatur. l. 2. sic definit mutuum, mutuum est rei vsu consumptibilis gratuita translatio cum spe tantundem recipiẽdi in eodem genere, sed hæc deffinitio impugnatur à Theologis, quia non complectatur omnem mutuationem. Nam vsuraria mutuatio, est vere mutuatio, licet sit mala, nõ tamen est gratuita, sed propter lucrum. Alij Doctores, Legistæ, & Theologi varias mutui afferunt deffinitiones, quibus ommissis, ne lungum faciam. Ego hanc eligo, quæ non multum distat ab ea, quam affert Syluester in sum. verbo mutuum, videlicet mutuum est contractus in quo transfertur dominium rei vnico vsu consumptibilis, cum pacto reddendi tantundem deinde in eadem spetie.

Dixi primo, contractus, pro genere, quia mutuum est quidam contractus, vt dictum est in principio istius capitis in enumeratione contractuum.

Dixi secundo, in quo transfertur dominium, vt distinguatur mutuum à locatione, & commodatione, in quibus non transfertur dominium rei, sed tantum transfertur vsus rei.

Dixi tertio, vnico vsu consumptibilis, vt distinguatur etiam à cõmodato, quo cõmodãtur res, & non consumuntur vnico vsu, sed ea quæ mutuantur, vnico vsu consumuntur, licet mutuũ nonnunq; pro cõmodato accipiatur, vt lib. 4. Regũ cap. 4. dicitur accipe à vicinis tuis vasa vacua mutuo, & 4. Reg. 6. dicitur de ferro, quod ceciderat in aquam, & hoc mũtuo acceperat, idest commodato, & ex hoc infertur ꝙ res mutuabilis, vt dicit Syluester est triplex, vel enim consistit in numero, vt pecunia, vel in pondere, vt Aromata, vel in mensura, vt vinum, & triticum.

Dixi quarto, cum pacto reddendi tantundem, vt mutuum distinguatur à donatione, quæ fit sine tali pacto.

Dixi quinto, deinde, vt distinguatur à cambio, seu permutatione, in qua statim redditur tantundem.

Dixi vltimo, in eadem spetie, intelligendo spetiem pro genere secundum Iuristas, quod enim Iuristæ vocant genus, Theologi vocant spetiem, & quod Legistæ vocant spetiem, Theologi vocant numerum, vnde esse idem numero secũdum Theologos, est esse idem spetie secundum Iuristas; & esse idem spetie secundum Theologos, est esse idem genere secundum Iuristas.

Tertio quæritur quotuplex sit mutuũ? Respondeo cum Nau. c. 17. nu. 206. quod duplex est mutuum, scilicet apertum & palliatum. Apertum est illud, quod fit per solam mutationem, absque institutione alterius contractus. Palliatum vero est illud quod semper est cum alio contractu, vt cum vẽditione, emptione, locatione, vel conductione, vt si quis emit aliquid anticipata solutione est mutuum, sed palliatũ contractu emptionis, si enim quis verbigratia emit rem pro decẽ ad minus pretio infimo valẽtẽ duodecim ob anticipatam solutionem, in effectu idem est ac mutuare decem cum pacto recipiendi in alio tempore id quod valet duodecim; qui vero ẽ cõtra vendit rẽ pecunia credita pretiũ rei mutuat, quã vendit cũ pacto recipiendi tantundẽ in alio tempore, & sic de similibus; & hoc mutuum palliatum est vsura, quando ex eo speratur lucrum, vt dicetur in cap. sequenti.

Quarto quæritur vtrum aliquando sit in præcepto mutuare, ita vt peccatum mortale sit nolle mutuare; & quod dicam de mutuo intelligendum erit & de venditione, quæ fit pecunia credita, & alijs cõtractib. Et pro respõsione

notanda sunt duo.

Notandum est primo quod quantum ad præsens negotium attinet homines sunt in triplici differentia, quidã enim habent superfluum naturæ, sed non personæ, & ij dicuntur habere sufficientiã; quidam habent superfluum personæ, & naturæ, & ij dicuntur habere abundantiam; quidam vero non habent superfluum naturæ, nec personę, & ij dicuntur habere indigentiam. Per superfluum autem personæ hic intellige id sine quo status decens alicuius potest subsistere; per superfluum vero naturæ hic intellige id sine quo natura idest vita conseruari potest, & per naturam hic intellige non tantum vitam propriam, sed etiam vitam familiæ propriæ, puta filiorum & vxoris. Atque ex his colligere poterimus, quod aliquando etiam Rex Philippus forsitan non habebit superfluum personæ, quia forsitan non poterit subuenire alteri Regi.

Notandum est secundo quod sicuti tripliciter contingit aliquem habere, vel non habere superfluum naturæ, neque personæ. Ita tripliciter contingit aliquẽ habere indigentiã, idest vel extremam, quando videlicet nisi ab aliquo subueniatur sequitur mors, vel grauissimum damnum; vel grauem citra extremam, quando videlicet quis habet quidem vnde viuat, sed ægre; vel communem, quod est citra grauem, quæ reperitur in his, qui cum sint quidem diuites, tamen secundum decentiam sui status viuere non possunt.

5. Necessitas extrema duplex est, vna quæ dicitur necessitas simpliciter, quando quis, neque hic neque alibi, nec in re, nec in spe habet vnde sibi prouideat; Et alia, quæ dicitur necessitas extrema secundum quid, quando videlicet non hic, sed alibi, non in re, sed in spe habet vnde sibi prouideat.

Necessitas extrema simpliciter fundat obligationem donationis, & eleemosynæ.

Necessitas vero secundum quid fundat obligationem mutuandi.

6. His positis dico primo mutuare non esse in præcepto pro semper, & ad semper. Et probatur primò quia præceptum de mutuo dando est affirmatiuum; sed præcepta affirmatiua in hoc distinguũtur à negatiuis, quod ista obligant pro ad semper, illa vero obligant quidem semper sed non pro semper. Secundo mutuare est actus virtutis, actus autem virtutis non potest consistere sine suis circonstantijs loci, temporis &c. vnde aliquando malum esset mutuare, puta in Ecclesia quando fit eleuatio Sanctissimi sacramenti, vel alicui, qui vult fornicari.

7. Dico secundo quod dare mutuum aliquando est in præcepto. Probatur primo quia dare eleemosynam aliquando est in præcepto, vt habetur Mathæi. 25. vbi constituitur materia iuditij vniuersalis in operibus Misericordiæ, ergo multo magis mutuare, quod leuius est, quam dare eleemosynam, aliquando erit in præcepto. Secundo Mathæi quin to dicitur volẽti à te mutuari, ne auertaris, & Lucæ 6. mutuum date nihil inde sperantes, & inde secundum D. Thomã dantur præcepta, vt sunt diligire inimicos vestros, nolite iudicare &c.

8. Dices si mutuare non est semper in præcepto, sed tantum aliquando, vel in aliquo casu, qui sunt isti casus, in quibus tenemur mutuare sub pœna peccati mortalis? Respondeo quod sunt tres.

Primus est quando aliquis habet superfluum naturæ, & personæ, & alius est in extrema necessitate secundum quid, & dixi secundum quid, quia si est in extrema necessitate simpliciter, tenetur donare ei gratis subuentionem, ille qui habet superfluum naturæ, & personæ, quia non potest mutuo dare, cum nõ possit habere spem tantundem recipiẽdi, & propterea supra dixi quod necessitas extrema simpliciter fundat obligationem eleemosynæ.

Secundus casus est si aliquis habet superfluum naturæ licet non personæ, & alius est in extrema necessitate secundũ quid, ille qui habet superfluum naturæ tenetur sub pœna peccati mortalis mutuare ei, qui est in extrema necessitate secundum quid.

Atque in his duobus casibus omnes Docto-

Doctores conueniunt, & eorum veritas comprobatur primo ex illo receptissimo Ambrosij dicto, pasce esurientem, si non pauisti occidisti, idest pasce, vel eleemosynam dando, vel mutuando; secundo probatur quia ordo charitatis requirit vt vitam proximi proponamus commoditati vitæ nostræ, licet enim nō teneamur de præcepto charitatis ponere vitam nostram pro vita proximi, tenemur tamen expendere bona temporalia, quæ non sunt necessaria ad vitam nostram, pro vita proximi, sicuti tenemur ponere vitam pro anima proximi.

Dices si ego sim in graui necessitate, ita vt nihil habeam superflui naturæ, teneor ne dare mutuo ei qui est in extrema necessitate secundum quid? Respondeo quod non teneris, si est periculum quod propter tale mutuum incurres in extremam necessitatem, secus si non est tale periculum.

Tertius casus est quod si quis habet superfluum naturæ, & personæ, & alius est in necessitate graui secundum quid, ille, qui habet superfluum naturæ, & personæ tenetur mutuo dare ei qui est in graui necessitate secundum quid; & in hoc casu conueniunt plerique Doctores, vt Ricardus in 4. sent. dist. 15. Durandus in 4. d. 15. qu. 6. in responsione ad secundum argumentum, D. Antonius in sum. secunda parte ticulo primo. c. 15 & probatur hic casus.

Primo si Petrus verbigratia, debet Ioanni centum nummos aureos, qui Petrus est in graui necessitate, & Ioannes non patitur propter dilationem restitutionis, quia non indiget illis, poterit eos retinere quoadusque peruenerit ad pinguiorem fortunam, quia in hoc casu non esset rationabiliter inuitus, & hoc dicit Scotus in 4. sent. d. 15. Ioannes de Neapoli in suis quodlibetis. ergo data eadem necessitate Petri Ioannes tenetur illi mutuare.

Secundo non habens superfluum status tenetur mutuare existenti in extrema necessitate secundum quid, ergo & habens superfluum status videbitur teneri mutuare existenti in graui.

9. Dico tertio præceptum mutui in tribus casibus prædictis non solum debet intelligi in pecunia, sed etiam in omni re, & opera vtili, vt Medicus tenetur præstare suam operam pauperi ægrotanti, qui non habet vnde soluat in re, sed in spe.

10. Quinto quæritur. Quæ sint attendenda vt mutuatio sit nobis apud Deum meritoria? Respondeo quod attendendæ sunt eius circunstantiæ.

Primo, Quis, scilicet quod ille qui mutuare vult det de superfluo naturæ, alias esset inordinatio saltem cæteris parib⁹. Cui, idest indigenti non abutenti re data mutuo, nam peccatum esset & mortale quidem si aliquis alicui pecuniam mutuaret vt emeret gladium ad occidēdum aliquem. Quantum, idest ad sufficientiam vt si ad tuendam propriam vitam, quis indiget decem aureis nummis, peccat mortaliter ille, qui potest mutuare decem, dando tantum quinque, cū non sufficiant quinque ad eruendum ab extrema necessitate eum qui est in ea.

Cur. i. gratis non propter lucrum tēporale, alioquin esset vsura vt in sequenti capitulo dicetur.

Quando & vbi, idest loco & tempore conuenienti.

Quomodo, idest sine tristitia quia sicut hilarem datorem diligit Deus, ita & hilarem mutuantem.

Quo ordine, idest prius parentibus si egent, deinde alijs egentibus si tamen cætera sit paria.

11. Sexto quæritur vtrum mutuans possit repetere mutuū ante tempus constitutum? Respondeo negatiuè, sicut dixi de commodatione.

12 Septimo quæritur vtrum Mutuatarius teneatur restituere mutuatum tēpore instituto? Respondeo affirmatiue itaut si illud non restituat teneatur ad interesse eius lucri cessantis, & damni emergentis, quod patitur mutuans ex eo, quod non habuit mutuum tempore præciso.

13. Octauo quæritur vtrum mutuatarius teneatur restituere mutuum in eadem specie? Respondeo affirmatiue, vt habetur in deffinitione mutui, & si non potest restituere in eadem specie, quia non

non habet, puta non potest restituere triticum, quia propter grandinem nullum potuit colligere; tenetur emere ab alio, & si non potest, tenetur restituere pretium.

Sed hic est dubitatio vtrum mutuatarius quando non potest restituere mutuum in eadem spetie, sed tenetur restituere in pretio, debeat restitui pretium verbigratia tritici quod erat quãdo mutuatum fuit, an vero quod est quando est restituendum. Ad hoc respondent Doctores, vt videre est apud Garziam in tractatu de contractibus, quod triticum est æstimandum iuxta pretiũ quod valet quando est restituendum, quia pretium succedit loco rei restituendæ.

14. Nono quæritur. An mutuo accipiens pecuniam teneatur eandem reddere in eadem materia, & forma; per materiam hic intelligo auream, argenteam, vel æneam; per formam vero hic intelligo formam nummi regii distinctã à forma Iulij nummis. Syluester in sum. verbo solutio Respondet ad hoc & dicit tria.

Primo quod si quis mutuaret centum libras in Iulij nummis, satis esset restituere illi centum libras etiam in alia moneta; & notandum est hic, vt notat Garzias vbi de mutuo, quod pecunia siue sit argentea, siue aurea, siue ænea, dicitur esse eiusdem qualitatis, spetiei, & substantiæ, licet sint diuersæ materiæ, vnde si accepi centum libras in moneta aurea, sufficiet restituere æquiualentem in argentea, vel in ænea, nisi aliter sit conuentum, quia centum libræ in pecunia aurea, argentea, vel ænea sunt eiusdem substantiæ, qualitatis, idest spetiei & quantitatis.

Dicit secundo Syluester quod si quis mutuauit centum libras in florenis, & dixit mutuatario dum mutuaret quod intẽdebat restitutionẽ fieri in florenis, tunc tenetur mutuatarius restituere centum libras in florenis propter pactum.

Dices periculum, vel commodum augumenti, vel diminutionis florenorum pertinet ne ad mutuantem? Respondet Syluester quod pertinet ad mutuatarium, quia mutuatarius tenebitur restituere in florenis centum libras secũdum æstimationem currentem tempore restitutionis faciendæ; secus esset, si quis acciperet mutuo centum florenos cum pacto vt eidem restituantur centum floreni, nam tunc periculum, & commodum diminutionis, vel augũmenti florenorum pertineret ad mutuantem.

Dicit tertio Syluester quod si sit pactum vt restituantur centum floreni pro centum florenis, tenetur mutuans etiam recipere in alia forma si nullum damnum patitur, quia mutuum debet restitui in eadem spetie & bonitate, non autem necessario in eadem forma nisi sequatur aliquod damnum.

15. Vltimo quæritur, vtrum si mutuũ pereat, pereat mutuatario, an mutuanti? Respondeo quod si pereat in manibus mutuatarij etiam casu fortuito, perit mutuatario; secus si postquam restitutum est perit in manibus mutuantis; & si mittitur à mutuatario per seruum etiam fidelem, & in manibus eius perit, secus si seruus fuit missus à mutuante.

MEMBRVM QVARTVM.

De Donatione.

1 *Donatio quid sit.*
2 *Donatio quotuplex sit.*
3 *Quinam tuta conscientia donare possint.*
4 *Bona filijfamilias quotuplicia sint.*
5 *Quando possit vxor donare sine licentia mariti.*
6 *De donationibus inter filium, & patrem.*

1 Quæritur primò: Quid sit donatio? Respondeo ex Magistro sent. 3 & ex D.Tho.in 4.quod est datio ex liberalitate irredimibilis, i.non intendens recompensationẽ. Canonistæ alias afferunt donationis deffinitiones, sed hæc est melior, & dicitur donatio datio; irredimibilis ad distinctionẽ omniũ aliorum contractuũ, quia in alijs contractibus, vel redditur id quod datur, vel aliquid aliud pro pretio, in donatione vero non est obligatio ciuilis dandi aliquid pro re donata, licet possit esse obligatio gratitudinis.

2. Secundò quæritur, quotuplex sit donatio? Respondeo, quod à DD. legum ciuilium, & à DD. legis Canonicæ variẽ afferuntur donationis diuisiones, vel ex causa propter quam fit donatio, & ita qđ sunt causæ, tot sunt donationes; vel ex personis, quæ donant, & sic alia est donatio inter virum, & vxorem; & alia inter patrem, & filium; alia est donatio inter viuos, & alia, quæ dicitur inter mortuos. Donatio inter viuos, ut ait Syl.in sum.ver.donatio. est quando aliquis vult potius alium quam se ipsum habere rem suam; donatio inter mortuos est illa, secundum quam quis vult potius habere rem suam, & si nõ potest habere, quia moritur, vult potius eã habere alium quam hæredem suum.

3. Tertio quæritur qui nam possint donare tuta conscientia? Respon. Quod ille solus, qui habet dominium rei, & à iure nõ impeditur, nam aliqui sunt, qui non possunt donare id, quod suum est, quia à lege prohibentur.

Primo. Amentes nisi habeant lucida interualla in quibus donate possunt.

Secundò Prohibetur prodigus quando spetialiter alienatio est illi indicta.

Tertio. Prohibentur minores viginti quinque annis, nisi cum auctoritate tutoris, hoc autem intelligendum est de re magni momenti.

Quartò, Prohibetur filius familias, nisi habeat pecuniã castrensem, vel quasi castrensem; vel vt aliqui dicunt nisi sit in dignitate constitutus, sed de hoc vide Sylu.ver.donatio, §. 3.

4. Est autem notandum, vt hoc intelligere possimus, quod bona, quæ habere potest filiusfamilias, possunt esse in quadruplici differentia, idest vel castrẽsia, scilicet aquisita in bello, vel militia, & de his disponere potest filiusfamilias ad suum libitum absque licentia patris; vel quasi castrensem, & hæc sunt bona, quę acquirit filius propter doctoratum, vt quæ acquirunt Medici, Iurisconsulti, & Theologi, & de his potest filius disponere ad libitum, & dicuntur quasi castrensia, quia non sunt reuera castrensia, transeunt tamen cum priuilegio rerum canstrensium, quod accidit Doctorib. propter studiũ in fauorẽ ipsius, & istud priuilegium extenditur etiam à Iure ad nõnullas alias personas, vt ad publicos notarios, procuratores, ludimagistros, & ad Beneficiatos Clericos, Hi.n. possũt bona, quæ proueniunt ex suo Beneficio, vel officio dispõnere prout volunt absq; licẽtia patris. Tertiò alia sunt bona aduẽtitia, & hæc sunt illa, quæ relinquũtur filijs familias ex donatiõe aliquorũ, vel ex testamẽto, & de his nõ possunt dispo nere viuẽte patre, quia pater quãdiu ipse viuit est dominus vsufructus illorum

bona,

bonorum. Demum alia sunt bona profectitia, idest quæ proficiscuntur ex bonis patris, & de his etiam non potest disponere filius familias absque licentia patris.

Quinto non possunt donare illi, qui non habeat proprium, vt sunt serui, monachi, qui non habent liberam administrationem, aut licentiam à superiore.

Sexto. Beneficiati quantum ad bona immobilia, & fructus multi momēti nō possūt donare, tales enim si sunt superflui statui suo, cedunt in vtilitatem Ecclesiæ vel pauperum; & propterea peccaret Beneficiatus si illa daret alijs.

Septimo ille, cuius bona sunt confiscata non potest donare.

Octauo vxor quæ nō habet aliud præter dotem.

Sunt & alij qui non possunt donare, quia impediuntur à Iure, quos videre possumus apud Syluestrum verbo donatio. §. 4. Sed hic est dubitatio vtrum vxor possit facere eleemosynas de bonis mariti absque facultate ipsius mariti? Respondeo quod non regulariter.

5. Excipiuntur tamen aliqui casus, quos ponit Nau. in Man. cap. 17. nu. 155. & infra.

Primus est quando pauper, cui danda est eleemosyna, est in extrema necessitate, cauendum enim est ne ob talem eleemosynam ipse maritus inducatur in extremam necessitatem.

Secundus casus est quando in aliqua regione est consuetudo quod vxores elargiantur eleemosynam panis & vini, quod intelligendum est nisi marito displiceat, nam si crederet maritum nolle, non posset.

Tertius casus est quando aliquod magnum malum marito imminet quod potest euitari per eleemosynam, vt fecit Abigail 1. Reg. 25. & hoc intelligendū est etiam si damnum quod imminet est spirituale.

Quartus casus si maritus est amens.

Quintus est quando maritus est absens, nisi prohibuisset ante quam discederet; nam si non prohibuit, potest elargiri tantum quantum solebat ipse maritus.

Sextus casus quando maritus pro victu eius deputat ei certum quid, & ipsa viuit parcius, poterit superflui dare pauperibus.

Septimus casus si habet aliqua bona de quibus libere disponere potest.

Vltimus casus est si dedit marito dotem super sufficientem ad sustentandum onera matrimonij, & tamen cum possit non suere, vel texere, & tamen vult suere, vel texere, & aliquid lucretur paupe ribus.

6. Vltimo quæritur vtrum pater possit donare filio? Respondeo ex Nau. in Man. cap. 17. nu. 145. quod cum pater & filius sint tanquam vna persona, vel reputentur vna persona, regulariter pater nihil potest donare filio.

Excipiuntur tamen aliqui casus.

Primus si donatio fiat filiæ pro dote.

Secundus casus est si pater donet aliqua bona mobilia filio vt proficiscatur ad bellum, illa enim non sunt diuidenda inter alios fratres mortuo patre, similiter & pater potest donare filio studenti libros & eos non tenetur filius diuidere inter fratres post mortem patris.

Tertius casus est, quod potest donare filio vsumfructum, quem habet in bonis aduentitijs filij.

Quartus, quando pater donat filio pro seruitijs eius etiam quantum potest dare alicui extraneo ob similia seruitia.

Quintus est, si detur casus in quo possit donare vxori, nam propter eam causam ob quam maritus potest donare vxori, propter eandem potest & donare filio, & tuta regula est, quod post matrimonium maritus potest donare vxori ipso viuente nisi donatio sit causa mortis. Multa alia dicunt Doctores de donatione, quæ ad legistas pertinent, & quæ consulto ommitto, cum parum faciant ad nostrum propositum.

CA-

CAPVT TERTIVM DE VSVRA.

HOc caput diuiditur in decem membra. In quorum.

Primò dicetur quid significet nomen vsuræ, quid sit vsura, quomodo sit prohibita, & non permitti possit.

In secundo dicetur de multis casibus. An sint vsurarij, & an sit vsura sperando ex mutuo vltra sortem res pecunia non extimabiles, vt amicitia.

In tertio dicetur de vsura, quæ consistit in emptione, & venditione.

In quarto dicetur de varijs contractibus. An sint vsurarij, & an sit vsura, si accipiantur fructus pignoris dati propter mutuum; item an sit vsura accipere aliquid à socero, vel ab alijs, qui vicem soceri gerant pro dilatione dotis.

In quinto dicetur de contractu societatis, quando sit vsurarius, & quando non.

In ſexto dicetur de Monte pietatis an ſit vſurarius.

In ſeptimo agetur de vſura, quę eſt in contractu aſſicurationis, & fideiuſſionis.

In octauo oſtendentur cauſæ ob quas licet aliquando accipere aliquid ex mutuo vltra ſortem abſque periculo vſuræ.

In nono dicetur de reſtitutione bonorum quę quis acquiſiuit ex vſura.

In vltimo dicetur an ſemper peccet ille, qui quærit mutuum ſub vſura.

MEM-

MEMBRVM PRIMVM.

Quid significet nomen vsuræ; quid sit vsura; quomodo sit prohibita; & an permitti possit.

1 IN hoc membro primo quæritur quid significet nomen vsuræ? Respondeo quod nomen vsuræ quamuis prima sua significatione significet vsum cuiuslibet rei, iuxta illud Ciceronis, vsura huius lucis frui, tamen iuxta significationem quam in hac materia de qua agimus communiter habet, nomen vsuræ sighificat lucrum prouenien ex contractu mutui; quod lucrum dicitur etiã fœnus, quasi pecuniæ fœtus.

Notandum tamen est quod aliquando fœnus significat mutuum simplex, non vsurarium. Vnde Deuteronomij 28. dicitur fœneraberis multis gentibus, & ipse à nullo fœnus accipies, idest mutuabis multis gentibus. Ecclesiastici 29. fœnerare proximo in tempore necessitatis eius; sed plura de nomine vsuræ videte apud Nau. in Man. cap. 27. nu. 206.

2. Secundo quæritur quid sit vsura? Respondeo quod variè à varijs diffinitur, sed ommissis multis aliorum deffinitionibus hanc tanquam meliorem eligo, idest. Vsura est lucrum ex mutuo principaliter intentum, & hæc deffinitio est bona magistralis communior, & ponitur à Iuristis in Cod. de vsuris, & à Canonistis, in titulo de vsuris, Hæc deffinitio habet tres particulas, quarum prima est, lucrum, intelligimus autem hic per lucrum pecuniam, quæ datur vltra sortem idest vltra capitale, & similiter omne pecunia extimabile datum vltra sortem, vt explicant omnes Doctores.

3. Duplex autem est lucrum, vnum formale idest realis acquisitio pecuniæ, seu alicuius pecuniæ æstimabilis; alterum virtuale, scilicet euitatio damni, quod poterat iusto inferri, vt si ego alicui mutuarem ne iuste me accusaret. Secunda particula est, ex mutuo. Mutuũ duplex est, vt dictum est, in capite antecedenti parte tertia Membro Tertio,

quæsito tertio: Vnum formale vt cũ mutuo datur pecunia; vel virtuale, seu interpretatiuum, aut palliatum, vel velatum, & est id quod secundum suã formam apertam, & verba cõtrahentiũ est alterius contractus, quam mutui secundum formam latentem, & mentem cõtrahentium veram, vel præsumptam est mutuum, & in hoc fundatur vsura, quæ dicitur interpretatiua, virtualis, velata, vel palliata, qualis est omnis contractus distinctus à mutuo, quo quis minoris iusto pretio infimo acquirit aliquid propter anticipatam solutionem; vel è contra, quo quis dat alicui aliquid pretio minori iusto supremo propter dilatam solutionem, qui enim emit rem valentem decem ad minus pretio infimo pro octo ob anticipatam solutionẽ, in effectu videtur mutuare pretium, quod dat, & illud maius quod dare deberet, accipere pro vsura, qui vero è cõtra vendit rem valentem ad summum pretio rigoroso octo pro decem ob dilatam solutionem, videtur mutuari pretium rei, quam vendit accipiendo illud plus iusto pretio, pro vsuris. Tertia particula est, principaliter intentum, circa quam particulam est controuersia inter Doctores, quomodo intelligenda sit. Prima expositio est Glosæ, & Innocentij in capitulo consuluit de vsuris, & Nauarri in Man. cap. 27. nu. 20. quam dicit esse communem Theologis, & Canonistis omnibus, quod mutuare principaliter propter mutuum est vsura, non tamẽ mutuare secundario propter lucrum; sicut Ecclesiasticus si principaliter propter lucrũ celebrat Missã, vel cantat horas Canonicas cõmittit Simoniã, non tamẽ si secũdario; quare secũdũ hãc expositionem dictio, principaliter, respicit vocabulum sequens, idest intentum, non autem antecedens, idest ex mutuo. Sed contra hanc expositionem est, quod si licet sperare lucrum ex mutuo secundario, licebit etiã deducere in pactum lucrum, sicuti non peccat Canonicus si paciscitur de distributionibus, vt cantet horas Canonicas, & tamen secundum omnes si lucrum deduceretur in pactum ex mutuo esset vsura pactionalis; deinde Lucæ 6. Dominus absolute dicit mutuum date nihil inde sperantes.

Secunda expositio est nonnullorum aliorum, & videtur elici ex capitulo cõsuluit, idest si alias non mutuaret quis, sperare lucrum vsura est; sed contra ait Caet. secunda secundæ. q. 88. ar. 1. & in opusc. 8. qu. 2. Nau. in Man. nu. cit. Primo quia ex communi Iuditio excusatur nollens mutuare ei, quem credit fore ingratum. Secundo licet sperare beneuolentiam ex mutuo, ergo & consequenter gratuitam recompensationẽ, & remunerationem prouenientem ex tali beneuolentia, quia si licet sperare radicem, licebit etiam sperare radicis fructum. Tertio secundum omnes, cantans matutinas horas propter quotidianas distributiones, alias non cantaturus non est simoniacus; ergo & similiter nollens mutuare sine spe alicuius lucri non peccat, nec est vsurarius nisi principaliter ex mutuo intendat tale lucrum.

Tertia expositio est Medinæ, videlicet si causa finalis mutui est lucrum vsura est, secus si tantum est impulsiua; sed contra est quod si per causam finalem intelligitur principalis, per impulsiuã vero secundaria, vel sine qua non, tunc hæc expositio incidit cum prima, vel secunda, quæ ambæ confutatæ sunt.

Quarta expositio & vera est Caet. opusculo 8. q. 2. & 2. 2. q. 78. ar. 1 & Dom. Soti lib. 6. de Iust. & Iur. q. 1. & D. Th. q. de malo ar. 13 qui dicunt quod sperare aliquid ex mutuo vltra sortem, idest, propter mutuum est vsura, sed sperare aliquid ex beneuolentia orta ex mutuo, non est vsura, neque peccatum; & probat hoc Caet. nam si mutuans acciperet aliquid vltra sortem à mutuatario ex gratitudine, & amicitia tanquam donũ non esset vsurarius; ergo neque esset vsurarius si aliquid desideraret ex mutuo tanquam gratuitum donum propter amicitiam ortam ex mutuo, quare vt breuioribus verbis, id quod multis dicit Caet. locis citatis comprehendamus, si quis sperat lucrum ex mutuo principaliter idest tanquam debitum ex obligatione ciuili, vsura est; si vero vt gratuitum absque obligatione ciuili

præ-

præstandum, non est vsura. Alij alijs verbis exponunt id sperare lucrum ex mutuo principaliter, idest immediate ex mutuo est vsura, mediate vero ratione gratitudinis ortæ ex mutuo, non est vsura.

Sed dicet aliquis, si licet sperare aliquid ex amicitia orta ex mutuo, ergo & licebit illud deducere in pactum, ac hoc modo secundum omnes esset vsura pactionalis? Respondeo quod non licebit deducere in pactum, quia illud lucrum non datur ex iustitia, sed ex gratitudine, & si mutuatarius nihil daret nō diceretur iniustus, sed tantum ingratus, de inde debitum gratitudinis infinitis modis potest solui, vt reddendo ei honorē, dando donum, dando beneficium &c.

5. Tertio quæritur vtrum vsura sit prohibita lege naturali? Et Respondeo affirmatiue primo quia Philosophi Ethnici, qui tantum ducebantur lumine naturali dixerunt vsuram esse contra Iustitiam, vt videre est apud Aristotelem in primo Politicorum multis in locis, apud Ciceronem lib. 2. de finibus, & plures alios.

Secundo probatur hac ratione, quæ est D. Thomæ, 2. 2. qu. 78. ar. 1. quia qui committit vsuram vel bis vendit eandē rem, vel vendit id quod non est, & propter hoc manifesta inæqualitas constituitur, quæ contrariatur Iustitiæ; ad euidentiam autem huius rationis recolendum est id quod supra diximus de mutuo in capitulo antecedenti, quod in rebus quæ consumuntur vnico vsu non debet seorsim computari vsus rei à re ipsa, sed cuicunque conceditur vsus, eo ipso conceditur res, non enim possumus concedere alicui vsum vini, idest vt bibat vinum, nisi & concedatur vinum ipsum; si quis ergo seorsim vellet vendere vinum, & seorsim vellet vendere vsum vini, venderet eandē rem bis, vel venderet semel id, quod nō est, vnde manifeste committeret iniustitiā, quæ contrariatur Iuri naturali; similiter iniustitiam committit ille, qui mutuat vinum, aut triticum petens duas recompēsationes, vnam, quæ est restitutio capitalis, & aliam, quæ est lucrum vltra capitale pro pretio vsus rei, cum bis soluereturilli pro eadem re, vel semel pro re, quæ nō est, nec fuit.

Tertio probatur vsuram esse prohibitam à iure naturali, quia vsura fuit prohibita in Testamento veteri, & in Testamento nouo, vt postea probabitur; sed omne quod fuit prohibitum in testamento veteri, & in testamento nouo est contra legem naturalem, ergo vsura est contra legem naturalem; & quidē quod omne quod fuit prohibitum in testamēto veteri, & in testamento nouo sit contra legem naturalem probatur, quia in testamento veteri triplicis generis erāt præcepta, videlicet iudicialia, ceremonialia, & moralia; præcepta primi & secundi generis adueniente Christo fuerunt euacuata; ita vt illa obseruare tanquam obligantia sit Iudaizare, & proinde peccatum; præceptū vero de non danda vsura permanet in testamento nouo, ergo eius prohibitio connumeranda est inter præcepta tertij generis, idest naturalia.

Sed hic sunt nonnullæ dubitationes.

Prima est si vsura est prohibita lege naturali, vel est quia est contra charitatem Dei, vel quia est contra charitatem proximi, non est contra charitatem proximi, quia aliquando contingit, quod mutuatio etiam vsuraria sit vtilis vtrique, scilicet danti, & accipienti, vt si ex centum aureis mutuatis mihi ego lucrarer viginti, & darem mutuanti quinque; Neque est contra charitatem Dei, quia si vsura esset contra Deum, id esset quia esset contra proximum? Respondeo Ad hoc, quod mutuatario vsuraria potest considerari duobus modis, nempe vel vt mutuatario est, vel vt vsuraria est, primo modo non contra charitatem proximi, sed est vtilis proximo. Secundo modo non est vtilis proximo, sed contra charitatem proximi. Vnde quod ego lucratus sim viginti ex centum mihi mutuatis fuit propter mutuum quod est bonum, & mihi vtile, quod vero dem illi quinque, est mihi damnosum, & contra charitatem, & Iustitiam.

7. Secunda Dubitatio, si dare ad vsuram est peccatum, ergo & accipere ad vsuram est peccatum, quia accipiens communicat cum dante in peccato, & communicans cum alio in peccato, vt ipse peccat? Respondeo negando subsequentiam, idest quod sit peccatum accipere ad vsuram, qui sit peccatum dare ad vsuram, quia Martyrem percutere est peccatum, sed percussionem pati in tali casu est admodum meritoria.

Ad rationem dico quod communicatio accipientis est in re mutuata non in peccato vsuræ, quia accipiens vellet quidem sibi mutuare pecuniam, non autem vellet vsuram.

Tertia dubitatio, si vsura esset contra legem naturalem esset contra aliquod præceptum Decalogi? Respondeo quod est contra præceptum, Non furaberis, in eo enim prohibetur omnis illicita rei alienæ acceptio.

8. Quarto quæritur vtrũ vsura fuerit prohibita in testamento veteri. Respõdeo affirmatiue, nam Ezechielis ca. 18. inter cętera necessaria ad vtilitatem animæ ponitur non dare ad vsuram. Ps. 54. Dauid connumerans peccata cuiusdam vrbis, non defecit de plateis eius vsura & dolus Ps. 14. inter cætera ad habitandum in tabernaculo Dei, idest in Ecclesia militante, & ad eundum ad montem, idest Cęlum, ponitur qui pecuniam suam non dedit ad vsuram; & denique sunt plurima alia loca in Testamento veteri prohibentia vsuram; sed videtur esse difficultas in illis verbis Deuteronomij cap. 23. non fœneraberis fratri tuo ad vsuram, sed alij; in quibus verbis videtur concedi vsura Hæbræis.

Ad hoc respondent aliqui primo quod Deus concessit Hæbreis in testamento veteri vt possent dare ad vsurã alienigenis habitãtibus prope Hębreos, quoniam Deus concesserat Hæbreis terras loca & bona dictorum alienigenarum, sed quoniam non poterant dicta bona accipere per bellum, vel alia via, cõcessum est illis vt ea acciperẽt mediante mutuo vltra sortem mutui, quod quidem vt postea dicam in membro sequenti non est proprie fœnerari, sed est redimere vexationem suam.

Secundo respondent alij vt D. Thomas secunda secundæ, qu. 78. ar. 1. in responsione ad secundum argumentum dicens quod per supradictis verbis Deuteronomij non fuit concessa vsura Iudeis, sed tantum fuit illis permissa ad euitandum maius malum, vt si vellent dare ad vsuram, eam darent externis, & non fratribus, & expositio est etiam Catechismi Romani in præcepto, non furaberis.

9. Quinto quæritur vtrum vsura sit prohibita in lege noua? Respondeo affirmatiue, quia Lucæ 6. dicitur mutuum date nihil inde sperantes, quo loco vtitur Catechismus Romanus & Vrbanus Papa capitulo consuluit de vsuris, ad improbandas vsuras.

Sed dicet hic aliquis Mathæi 23. Reprehenditur seruus non dans talentum, quia Dominus, qui est Christus exegisset vsuras, ergo licitæ sunt vsuræ? Respondeo quod in Parabolis respiciẽdus est finis Parabolæ non Parabola ipsa, nam in parabolis multa illicita ponuntur ad significandum aliquid spiritualiter licitum, sicut de villico, qui inscio Domino diminuit credita Domini, & tamen laudatur à Christo.

10. Sexto quæritur vtrum vsura prohibita sit per legem Canonicam? Respondeo affirmatiue, vt videre est per multos Canones in tit. de vsuris; immo in Clementina vnica de usuris determinatur eum esse Hæreticum, qui negauerit vsuras esse prohibitas.

Sed dicet hic aliquis 14. & q. 4. capit. ab illo, dicitur ex D. Ambr. ab illo exige vsuras cui merito nocere desideras; ergo vsura est licita per Canones saltẽ aliquando.

Ad hoc respondent primo Glosa super illo capitulo, & Dom. Sot. lib. 6. de Iust. & Iure qu. 1. hoc modo, nemini merito nocendum est ita nemini dandum est dandum ad vsuram.

2. Respondent Conradus q. 4. Alex. Al. 3. p. qu. 66. & Gabr. in 4. d. 15. q. 11. Hunc testum esse inertum ab aliquo Hæretico, non autem esse D. Ambrosij in-

in cōmentarijs supra Hieremiam Prophetam; sed melius est vt dicamus eum Couar.li.2. variarum resolutionum c.1. nu 6. quod licet mutuare ad vsuram hostibus contra quos est iustum bellum ob recompensationem damni, si tamen id fieri potest sine scandalo, & tunc non esse vere vsuram, sed improprie.

11. Septimo quæritur vtrum vsura sit prohibita per legem ciuilem, affirmat Nau.in Man. cap. 17. vsuram esse prohibitam lege ciuili, Iure Authenticorū Iustiniani Imperatoris forte quia Iustinianus approbauit consilia Generalia in quibus manifeste prohibita est vsura D.Thomas secunda secundæ q. 68. ar.primum ad tertium argumētū Dom. Soc.lib.6. de Iust. & Iure. qu.1.ar.1. dicunt usuras esse permissas lege ciuili. Couar. li.2. variarum resolutionum ca. 1. nu.6. dicūt vsuras esse concessas aliquando à Iure ciuili, vt patet Cod. de vsuris l.3.sed tamen dictas leges fuisse correctas per ius Canonicum.

12. Octauo quæritur quæ pena sit imposita vsurarijs manifestis? Ad hoc dico primo, quod secundum legem diuinā est imposita pœna inferni sicut & alijs peccantibus mortaliter.

Dico secundo quod secundum legem Canonicam vsurarij manifesti non possunt admitti ad Sacramentum Pænitentiæ, vel ad quodlibet aliud nisi prius data sufficienti cautione, quod nō amplius exercebunt vsuras, vt habetur capitulo, quamquam de vsuris lib.6. & licet cautio sufficiens communiter sit promissio, tamen in hoc casu est pignus vel fideiussio, vel si hæc haberi non possunt, iusiurandum, vt dicit Glosa in dicto capitulo.

Dico tertio ab vsurarijs non potest accipi obligatio, & qui eas receperint sunt suspendendi ab officio, vt habetur capitulo, quia in omnibus de vsuris, & hoc intelligendum est quando oblatio fit de vsuris & hoc dicit etiā Syluester in sum. verbo vsura 4.§.4.

Dico quarto si vsurarij non satisfecerint priuantur & Ecclesiastica sepultura, vt dicunt omnes Casistæ.

Dico quinto testamenta eorum sunt nulla ipso Iure, si non satisfecerint, vt habetur capitulo supradicto quia in omnibus.

13. Vltimo quæritur. An licitum sit potestati Ecclesiastica, vel laica tolerare vsuras. Notādum hic est quod aliud est consentire, aliud est permittere, vel tolerare, consentire enim est actus illicitus complacentiæ, tolerare vero seu permittere est, non velle punire.

Dico primo quod nulla potestas Ecclesiastica, vel laica potest consentire in vsuras, quod habetur in Epistola ad Romanos cap.primo, quod digni sunt morte non tantum qui faciunt mala, sed etiam qui consentiunt.

Dico secundo quod potestas tam Ecclesiastica, quam Laica potest permittere vsuras sine peccato, non quidem propter maius lucrum Principis, vel ne patiatur damnum in temporalibus, quia cōtra charitatem, & iustitiam est permittere maius malum ad euitandum min⁹, sed potest permittere eas ad euitandum maius malum, vt ad euitanda furta, ad euitandam pauperum necessitatem; & quidem quod possint permitti vsuræ, ad euitandum maius malum patet, quia Deus permisit eam in testamento veteri propter hoc, vt dictum est supra, & propter hoc etiam permittitur meretritium, & semper spectat ad prudentiam permittere minus malum ad euitandum maius.

MEM-

MEMBRVM SECVNDVM.

An sit vsura ex mutuo vltra sortem accipere res extimabiles pecunia.

1 *An sit vsura ex mutuo acquirere commodum temporale.*

2 *An liceat mutuare ad acquirendā beneuolentiam.*

3 *An liceat alicui mutuare hoc pacto, vt cesset ab actione iniusta iniuriarum.*

4 *Iuuenis conueniens cum meretrice ex mutuo de illicita actione, an cōmittat vsuram.*

5 *An liceat mutuare cum pacto remutuandi.*

5 *An sit vsura mutuare cum pacto, quod mutuatarius obliget se ciuiliter per syngrapham ad restitutionem alterius debiti, de quo non constabat ciuiliter.*

7 *Casus particularis circa mutuationem an sit licitus.*

8 *Mutuans si adueniente tempore solutionis nollet illud prorogare, nisi accepta pecunia, vel alia re, an committat vsuram.*

9 *Mutuans pecuniam argenteam vt reddatur aurea, an committat vsuram.*

10 *Mutuans pecuniam banniendam, aut diminuendam illi, qui eam expendit, an peccet.*

1 IN hoc membro primo quæritur an sit Vsura ex mutuo exquirere cōmodum temporale. Gregorius Ariminensis, & Adrianus in 4. sent. vbi de vsura, dicunt quod mutuum contractum obligatione aliqua vnde nullum est dānum mutuatario est licitum, licet inde resultet magna vtilitas, & commoditas mutuanti, vt mutuum cum obligatione remutuandi, veniendi ad meam Apothecam, ad emendas merces pro iusto pretio.

Contraria sententia est communis, & tenenda, D. Thom. 2. 2. q. 78 art. 2. Sot. lib. 6. de iust. & iur. q. 1. art. 2. Conradi q. 36. & aliorum, videlicet quod mutuum cum obligatione commodi temporalis est vsura, siue inde nascatúr dānum mutuatario, siue nō; & ratio huius est quia semper est vsura intendere ex mutuo aliquid, quod sit pecunia æstimabile vltra sortem, qualis est omnis obligatio ciuilis, atque hinc collige resolutionē multorum casuum.

Primò vsura est mutuare Principi hac lege, vt sim liber ab exactionibus, quia virtualiter accipitur ꝓ mutuo vltra sortem pecunia exactionis, & hoc verum est, nisi exactio esset iniusta; nam tunc esset redimere vexationem, .i. obligare illum ne mihi noceat, ad quod alias tenetur.

Secundo, vsura est mutuare hac lege, vt Princeps det mihi officium, vel Magistratum; ita Sylu. verbo vsura 1. §. 18. quia pro mutuo vltra sortem volo aliquid pecunia æstimabile, & hoc est vetitum, nisi illud officium mihi debeatur de iure; quemadmodum non esset simonia si Clericus mutuaret Episcopo, vt conferret illi Beneficium, quod de iure tenetur Episcopus illi conferre.

Tertio vsura est, mutuare centum hac lege, vt mutuatarius exigat quinquaginta suis expensis à certo debitore, quia est pro mutuo velle exactionem quinquaginta.

Quarto, vsura est mutuare frumentū, quod habeo in villa hoc pacto, vt mutuatarius illud restituat domi meæ, quia pro mutuo volo precium vecturæ, secus

esset

esset si sine pacto fieret restitutio, & maius commodum esset mutuatario illud restituere domi, quàm in villa.

Quinto vsura est mutuare cum obligatione muneris ab obsequio, putà vt me comitetur in via, à lingua vt aduocet pro me, à manu vt pro me rescribat, quæ hæc sunt pecunia æstimabilia.

Sexto vsura est mutuare cum obligatione, vt mutuatarius det eleemosynam, vel faciat aliud opus misericordiæ mutuanti, vel eius propinquis, vel alijs; ita Sot. lib. 6. de Iust. & Iur. qu. 1. ar. 2. ac Sylu. verbo vsura 6 § 3 & videtur haberi ex capitulo sup eo de vsuris.

Septimo vsura est si Mercator mutuet centum hac lege, vt accipiantur quinquaginta in merce, quia vltra sortem expectatur lucrum venditionis illius mercis; similiter vsura est mutuare centum hac lege, vt mutuatarius ab eo emat etiam pecunia credita aliquid.

Octauo vsura est mutuare cum hoc pacto, vt mutuatarius coram te saltet, vel citharizet &c. quia hæc sunt pecunia æstimabilia.

Nono vsura non est petere fideiussionem, vel pignus, quia licet mutuatario agere ad suam securitatem.

2. Secundo quæritur, an liceat mutuare ad acquirendum beneuolentiam; Cōradus q. 29. dicit duplicem esse beneuolentiam; honestam, & propter hanc mutuare non est vsurarium; & vtilem & propter hanc mutuare esse vsuram, quia ex mutuo finaliter, & principaliter intenditur lucrum. Sot. lib. 6. de Iust. & Iure qu. 1. ar 2. dicit quod intendere lucrum principaliter ex amicitia orta ex mutuo non est vsura, quia non speratur lucrum ex mutuo principaliter, sed ex beneuolentia. Omnes dicunt quod mutuare propter beneuolentiam principaliter ex illa beneuolentia sperando lucrum non ex debito ciuili, sed gratuitu diuis tantum non est vsura.

Sed dicet aliquis, si non est vsura mutuare ob beneuolentiam, quia beneuolentia non est pecunia æstimabilis, ergo etiam licebit mutuare propter beneficium Ecclesiasticum, quia beneficium Ecclesiasticum non est pecunia æstimabile, cum pecunia nequaquā emi possit.

Dicet secundo aliquis. Aliquis emeret alicuius amicitiam pluris quā quodlibet aliud lucrum, ergo si non licet mutuare cum spe acquirendi lucrū; nec licet mutuare spe acquirendi amicitiam.

Ad primum Respondeo quod nos loquimur de humanis non æstimabilib. pecunia, non autem de diuinis, diuina enim sunt danda omnino gratis, quia nō sūt nostra, & licet ex vi mutui nō liceat expectare citra simoniam, licebit tamē expectare beneficium, vel aliud spirituale, puta administrationē Sacramentorum ratione gratitudinis, & amicitiæ.

Ad secundū, quod vera amicitia non potest haberi pecunia, quia pendet ex voluntate, quæ est libera, tamen potest aliquis pro illa dare pecuniam mutuo, vel dono.

3. Tertio quæritur. An liceat alicui mutuare hoc pacto, vt cesset ab actione iniusta iniuriarum? Respondeo, quod mutuare pacto quod mutuatarius cesset ab actione iniusta in iuriarum est vsura, quia iam de iure tenetur cessare à tali actione iniusta; sed dubium est de actione iusta, Caet. 2 2 quæst 78. ar. 2. Medina q. 1. Conrad. q 37. dicunt hunc contractum esse vsurarium, quia hæc obligatio ciuilis est pecunia æstimabilis, at vero Sot. lib 6 de Iust. & Iur. qu. 1. ar 2 & Syluester vsura 1 § 11 dicunt quod licet pacisci de remissione iniuriæ, quia hoc est reconciliare amicitiam, non autem licet pacisci de cessando à lite iusta, quia hoc potest esse in damnum mutuatarij, & in magnum lucrum mutuantis, & hoc nihil pertinet ad amicitiam.

4. Quarto quæritur. An petulans iuuenis si cōueniat cū meretrice ex mutuo de illicita actione cōmittat vsurā? Respondeo affirmatiue, quia illa obligatio est ciuilis, ac proinde pecunia æstimabilis; ita Sotus lib. 6. de Iust. & Iur. q. 1 ar. 2. secus esset si mutuaret sine tali pacto cum intentione acquirendi amicitiam, & beneuolentiam, vt deinde ex tali beneuolentia meretrix consentiat in actū illicitū; nā tunc mutuatio esset quidē peccatū fornicationis mētalis, sed nō vsura; & quādo est obligatio, propter talem obligationem oritur vsura,

bonorum. Demum alia sunt bona profectitia, idest quæ proficiscuntur ex bonis patris, & de his etiam non potest disponere filius familias absque licentia patris.

Quinto non possunt donare illi, qui non habeat proprium, vt sunt serui, monachi, qui non habent liberam administrationem, aut licentiam à superiore.

Sexto. Beneficiati quantum ad bona immobilia, & fructus multi momẽti nõ possũt donare, tales enim si sunt superflui statui suo, cedunt in vtilitatem Ecclesiæ vel pauperum; & propterea peccaret Beneficiatus si illa daret alijs.

Septimo ille, cuius bona sunt confiscata non potest donare.

Octauo vxor quæ nõ habet aliud præter dotem.

Sunt & alij qui non possunt donare, quia impediuntur à Iure, quos videre possumus apud Syluestrum verbo donatio. §. 4. Sed hic est dubitatio vtrum vxor possit facere eleemosynas de bonis mariti absque facultate ipsius mariti? Respondeo quod non regulariter.

5. Excipiuntur tamen aliqui casus, quos ponit Nau. in Man. cap. 17. nu. 155. & infra.

Primus est quando pauper, cui danda est eleemosyna, est in extrema necessitate, cauendum enim est ne ob talem eleemosynam ipse maritus inducatur in extremam necessitatem.

Secundus casus est quando in aliqua regione est consuetudo quod vxores elargiantur eleemosynam panis & vini, quod intelligendum est nisi marito displiceat, nam si crederet maritum nolle, non posset.

Tertius casus est quando aliquod magnum malum marito imminet quod potest euitari per eleemosynam, vt fecit Abigail 1. Reg. 21. & hoc intelligendũ est etiam si damnum quod imminet est spirituale.

Quartus casus si maritus est amens.

Quintus est quando maritus est absens, nisi prohibuisset ante quam discederet; nam si non prohibuit, potest elargiri tantum quantum solebat ipse maritus.

Sextus casus quando maritus pro victu eius deputat ei certum quid, & ipsa viuit parcius, poterit superflui dare pauperibus.

Septimus casus si habet aliqua bona de quibus liberè disponere potest.

Vltimus casus est si dedit marito dotem super sufficientem ad sustentandum onera matrimonij, & tamen cum possit non suere, vel texere, & tamen vult suere, vel texere, & aliquid lucretur pauperibus.

6. Vltimo quæritur vtrum pater possit donare filio? Respondeo ex Nau. in Man. cap. 17. nu. 145. quod cum pater & filius sint tanquam vna persona, vel reputentur vna persona, regulariter pater nihil potest donare filio.

Excipiuntur tamen aliqui casus.

Primus si donatio fiat filiæ pro dote.

Secundus casus est si pater donet aliqua bona mobilia filio vt proficiscatur ad bellum, illa enim non sunt diuidenda inter alios fratres mortuo patre, similiter & pater potest donare filio studenti libros & eos non tenetur filius diuidere inter fratres post mortem patris.

Tertius casus est, quod potest donare filio vsumfructum, quem habet in bonis aduentitijs filij.

Quartus, quando pater donat filio pro seruitijs eius etiam quantum potest dare alicui extraneo ob similia seruitia.

Quintus est, si detur casus in quo possit donare vxori, nam propter eam causam ob quam maritus potest donare vxori, propter eandem potest & donare filio, & tuta regula est, quod post matrimonium maritus potest donare vxori ipso viuente nisi donatio sit causa mortis. Multa alia dicunt Doctores de donatione, quæ ad legistas pertinent, & quæ consulto ommitto, cum parum faciant ad nostrum propositum.

CA-

CAPVT TERTIVM DE VSVRA.

HOc caput diuiditur in decem membra. In quorum.
Primò dicetur quid significet nomen vsuræ, quid sit vsura, quomodo sit prohibita, & non permitti possit.

In secundo dicetur de multis casibus. An sint vsurarij, & an sit vsura sperando ex mutuo vltra sortem res pecunia non extimabiles, vt amicitia.

In tertio dicetur de vsura, quæ consistit in emptione, & venditione.

In quarto dicetur de varijs contractibus. An sint vsurarij, & an sit vsura, si accipiantur fructus pignoris dati propter mutuum; item an sit vsura accipere aliquid à socero, vel ab alijs, qui vicem soceri gerant pro dilatione dotis.

In quinto dicetur de contractu societatis, quando sit vsurarius, & quando non.

In ſexto dicetur de Monte pietatis an ſit vſurarius.

In ſeptimo agetur de vſura, quę eſt in contractu aſſicurationis, & fideiuſſionis.

In octauo oſtendentur cauſæ ob quas licet aliquando accipere aliquid ex mutuo vltra ſortem abſque periculo vſuræ.

In nono dicetur de reſtitutione bonorum quę quis acquiſiuit ex vſura.

In vltimo dicetur an ſemper peccet ille, qui quærit mutuum ſub vſura.

MEMBRVM PRIMVM.

Quid significet nomen vsuræ; quid sit vsura; quomodo sit prohibita; & an permitti possit.

1 Vsura nomine quid veniat.
2 Vsura quid sit.
3 Lucrum aliud formale, aliud virtuale.
4 Spes lucri ex mutuo quomodo sit vsura.
5 Vsura an sit prohibita lege naturali.
6 Vsura contra quas virtutes sit.
7 Accipere ad vsuram, an sit peccatum.
8 Vsura an sit prohibita in testamento veteri.
9 Vsura an sit prohibita in lege noua.
10 An prohibita per legẽ Canonicam.
11 An item per legem ciuilem.
12 Tanę imposita vsurarijs manifestis.
13 An liceat potestati Ecclesiasticæ, vel laicæ tolerare vsuras.

1 IN hoc membro primo quæritur quid significet nomen vsuræ? Respondeo quod nomen vsuræ quamuis prima sua significatione significet vsum cuiuslibet rei, iuxta illud Ciceronis, vsura huius lucis frui, tamen iuxta significationem quam in hac materia de qua agimus communiter habet, nomen vsuræ significat lucrum prouenìens ex contractu mutui; quod lucrum dicitur etiã fœnus, quasi pecuniæ fœtus.

Notandum tamen est quod aliquando fœnus significat mutuum simplex, non vsurarium. Vnde Deuteronomij 28. dicitur fœneraberis multis gentibus, & ipse à nullo fœnus accipies, idest mutuabis multis gentibus. Ecclesiastici 29. fœnerare proximo in tempore necessitatis eius; sed plura de nomine vsuræ videte apud Nau. in Man. cap. 27. nu. 206.

2. Secundo quæritur quid sit vsura? Respondeo quod variè à varijs diffinitur, sed ommissis multis aliorum deffinitionibus hanc tanquam meliorem eligo, idest. Vsura est lucrum ex mutuo principaliter intentum, & hæc deffinitio est bona magistralis communior, & ponitur à Iuristis in Cod. de vsuris, & à Canonistis, in titulo de vsuris. Hæc deffinitio habet tres particulas, quarum prima est, lucrum, intelligimus autem hic per lucrum pecuniam, quæ datur vltra sortem idest vltra capitale, & similiter omne pecunia extimabile datum vltra sortem, vt explicant omnes Doctores.

3. Duplex autem est lucrum, vnum formale idest realis acquisitio pecuniæ, seu alicuius pecuniæ æstimabilis; alterum virtuale, scilicet euitatio damni, quod poterat iuste inferri, vt si ego alicui mutuarem ne iuste me accusaret. Secunda particula est, ex mutuo. Mutuũ duplex est, vt dictum est, in capite antecedenti parte tertia Membro Tertio,

quæsito tertio: Vnum formale vt cũ mutuo datur pecunia; vel virtuale, seu interpretatiuum, aut palliatum, vel velatum, & est id quod secundum suã formam apertam, & verba cõtrahentiũ est alterius contractus, quam mutui secundum formam latentem, & mentem cõtrahentium veram, vel præsumptam est mutuum, & in hoc fundatur vsura, quæ dicitur interpretatiua, virtualis, velata, vel palliata, qualis est omnis contractus distinctus à mutuo, quo quis minoris iusto pretio infimo acquirit aliquid propter anticipatam solutionem; vel è contra, quo quis dat alicui aliquid pretio minori iusto supremo propter dilatam solutionem, qui enim emit rem valentem decem ad minus pretio infimo pro octo ob anticipatam solutionẽ, in effectu videtur mutuare pretium, quod dat, & illud maius quod dare deberet, accipere pro vsura, qui vero è cõtra vendit rem valentem ad summum pretio rigoroso octo pro decem ob dilatam solutionem, videtur mutuari pretium rei, quam vendit accipiendo illud plus iusto pretio, pro vsuris. Tertia particula est, principaliter intentum, circa quam particulam est controuersia inter Doctores, quomodo intelligenda sit.

Prima expositio est Glosæ, & Innocentij in capitulo consuluit de vsuris, & Nauarri in Man. cap. 27. nu. 20. quam dicit esse communem Theologis, & Canonistis omnibus, quod mutuare principaliter propter mutuum est vsura, non tamẽ mutuare secundario propter lucrum; sicut Ecclesiasticus si principaliter propter lucrũ celebrat Missã, vel cantat horas Canonicas cõmittit Simoniã, non tamẽ si secũdario; quare secũdũ hãc expositionem dictio, principaliter, respicit vocabulum sequens, idest intentum, non autem antecedens, idest ex mutuo. Sed contra hanc expositionem est, quod si licet sperare lucrum ex mutuo secundario, licebit etiã deducere in pactum lucrum, sicuti non peccat Canonicus si paciscitur de distributionibus, vt canter horas Canonicas, & tamen secundum omnes si lucrum deduceretur in pactum ex mutuo esset vsura pactionalis; deinde Lucæ 6. Dominus absolute dicit mutuum date nihil inde sperantes.

Secunda expositio est nonnullorum aliorum, & videtur elici ex capitulo cõsuluit, idest si alias non mutuaret quis, sperare lucrum vsura est; sed contra ait Caet. secunda secundæ. q. 88. ar. 1. & in opusc. 8. qu. 2. Nau. in Man. nu. cit. Primo quia ex communi Iudicio excusatur nollens mutuare ei, quem credit fore ingratum. Secundo licet sperare beneuolentiam ex mutuo, ergo & consequenter gratuitam recompensationẽ, & remunerationem prouenientem ex tali beneuolentia, quia si licet sperare radicem, licebit etiam sperare radicis fructum. Tertio secundum omnes, cantans matutinas horas propter quotidianas distributiones, alias non cantaturus non est simoniacus; ergo & similiter nollens mutuare sine spe alicuius lucri non peccat, nec est vsurarius nisi principaliter ex mutuo intendat tale lucrum.

Tertia expositio est Medinæ, videlicet si causa finalis mutui est lucrum vsura est, secus si tantum est impulsiua; sed contra est quod si per causam finalem intelligitur principalis, per impulsiuã vero secundaria, vel sine qua non, tunc hæc expositio incidit cum prima, vel secunda, quæ ambæ confutatæ sunt.

Quarta expositio & vera est Caet. opusculo 8. q. 2. & 2. 2. q. 78. ar. 1 & Dom. Soti lib. 6. de Iust. & Iur. q. 1. & D. Th. q. de malo ar. 13 qui dicunt quod sperare aliquid ex mutuo vltra sortem, idest, propter mutuum est vsura, sed sperare aliquid ex beneuolentia orta ex mutuo, non est vsura, neque peccatum; & probat hoc Caet. nam si mutuans acciperet aliquid vltra sortem à mutuatario ex gratitudine, & amicitia tanquam donũ non esset vsurarius; ergo neque esset vsurarius si aliquid desideraret ex mutuo tanquam gratuitum donum propter amicitiam ortam ex mutuo, quare vt breuioribus verbis, id quod multis dicit Caet. locis citatis comprehendimus, si quis sperat lucrum ex mutuo principaliter idest tanquam debitum ex obligatione ciuili, vsura est; si vero vt gratuitum absque obligatione ciuili præ-

præstandum, non est vsura. Alij alijs verbis exponunt id spectare lucrum ex mutuo principaliter, idest immediate ex mutuo est vsura, mediate vero ratione gratitudinis ortæ ex mutuo, non est vsura.

Sed dicet aliquis, si licet sperare aliquid ex amicitia orta ex mutuo, ergo & licebit illud deducere in pactum, ac hoc modo secundum omnes esset vsura pactionalis? Respondeo quod non licebit deducere in pactum, quia illud lucrum non datur ex iustitia, sed ex gratitudine, & si mutuatarius nihil daret nō diceretur iniustus, sed tantum ingratus, de inde debitum gratitudinis infinitis modis potest solui, vt reddendo ei honoré, dando donum, dando beneficium &c.

5. Tertio quæritur vtrum vsura sit prohibita lege naturali? Et Respondeo affirmatiue primo quia Philosophi Ethnici, qui tantum ducebantur lumine naturali dixerunt vsuram esse contra Iustitiam, vt videre est apud Aristotelem in primo Politicorum multis in locis, apud Ciceronem lib. 2. de finibus, & plures alios.

Secundo probatur hac ratione, quæ est D Thomæ, 2. 2. qu. 78. ar. 1. quia qui committit vsuram vel bis vendit eandē rem, vel vendit id quod non est, & propter hoc manifesta inæqualitas constituitur, quæ contrariatur Iustitiæ; ad euidentiam autem huius rationis recolendum est id quod supra diximus de mutuo in capitulo antecedenti, quod in rebus quæ consumuntur vnico vsu non debet seorsim computari vsus rei à re ipsa, sed cuicunque conceditur vsus, eo ipso conceditur res, non enim possumus concedere alicui vsum vini, idest vt bibat vinum, nisi & concedatur vinum ipsum; si quis ergo seorsim vellet vendere vinum, & seorsim vellet vendere vsum vini, venderet eandē rem bis, vel venderet semel id, quod nō est, vnde manifeste committeret iniustitiā, quæ contrariatur Iuri naturali; similiter iniustitiam committit ille, qui mutuat vinum, aut triticum petens duas recompēsationes, vnam, quæ est restitutio capitalis, & aliam, quæ est lucrum vltra capitale pro pretio vsus rei, cum bis solueretur illi pro eadem re, vel semel pro re, quæ nō est, nec fuit.

Tertio probatur vsuram esse prohibitam à iure naturali, quia vsura fuit prohibita in Testamento veteri, & in Testamento nouo, vt postea probabitur; sed omne quod fuit prohibitum in testamento veteri, & in testamento nouo est contra legem naturalem, ergo vsura est contra legem naturalem; & quidē quod omne quod fuit prohibitum in testamēto veteri, & in testamento nouo sit contra legem naturalem probatur, quia in testamento veteri triplicis generis erāt præcepta, videlicet iudicialia, ceremonialia, & moralia; præcepta primi & secundi generis adueniente Christo fuerunt euacuata; ita vt illa obseruare tanquam obligantia sit Iudaizare, & proinde peccatum; præceptū vero de non danda vsura permanet in testamento nouo, ergo eius prohibitio connumeranda est inter præcepta tertij generis, idest naturalia.

Sed hic sunt nonnullæ dubitationes. Prima est si vsura est prohibita lege naturali, vel est quia est contra charitatem Dei, vel quia est contra charitatem proximi, non est contra charitatem proximi, quia aliquando contingit, quod mutuatio etiam vsuraria sit vtilis vtrique, scilicet danti, & accipienti, vt si ex centum aureis mutuatis mihi ego lucrarer viginti, & darem mutuanti quinque; Neque est contra charitatem Dei, quia si vsura esset contra Deum, id esset quia esset contra proximum? Respondeo Ad hoc, quod mutuatario vsuraria potest considerari duobus modis, nempe vel vt mutuatario est, vel vt vsuraria est, primo modo non contra charitatem proximi, sed est vtilis proximo. Secundo modo non est vtilis proximo, sed contra charitatem proximi. Vnde quod ego lucratus sim viginti ex centum mihi mutuatis fuit propter mutuum quod est bonum, & mihi vtile, quod vero dem illi quinque, est mihi damnosum, & contra charitatem, & Iustitiam.

Secun-

7. Secunda Dubitatio, si dare ad vsuram est peccatum, ergo & accipere ad vsuram est peccatum, quia accipiens communicat cum dante in peccato, & communicans cum alio in peccato, vt ipse peccat? Respondeo negando subsequentiam, idest quod sit peccatum accipere ad vsuram, qui sit peccatum dare ad vsuram, quia Martyrem percutere est peccatum, sed percussionem pati in tali casu est admodum meritoria.

Ad rationem dico quod communicatio accipientis est in re mutuata non in peccato vsuræ, quia accipiens vellet quidem sibi mutuare pecuniam, non autem vellet vsuram.

Tertia dubitatio, si vsura esset contra legem naturalem esset contra aliquod præceptum Decalogi? Respondeo quod est contra præceptum, Non furaberis, in eo enim prohibetur omnis illicita rei alienæ acceptio.

8. Quarto quæritur vtrū vsura fuerit prohibita in testamento veteri. Respōdeo affirmatiue, nam Ezechielis ca. 18. inter cetera necessaria ad vtilitatem animæ ponitur non dare ad vsuram. Ps. 64. Dauid connumerans peccata cuiusdam vrbis, non defecit de plateis eius vsura & dolus Ps. 14. inter cætera ad habitandum in tabernaculo Dei, idest in Ecclesia militante, & ad eundum ad montem, idest Cęlum, ponitur qui pecuniam suam non dedit ad vsuram; & denique sunt plurima alia loca in Testamento veteri prohibentia vsuram; sed videtur esse difficultas in illis verbis Deuteronomij cap. 23. non fœneraberis fratri tuo ad vsuram, sed alij; in quibus verbis videtur concedi vsura Hæbræis.

Ad hoc respondent aliqui primo quod Deus concessit Hæbreis in testamento veteri vt possent dare ad vsurā alienigenis habitātibus prope Hębreos, quoniam Deus concesserat Hæbreis terras loca & bona dictorum alienigenarum, sed quoniam non poterant dicta bona accipere per bellum, vel alia via, cōcessum est illis vt ea acciperēt mediante mutuo vltra sortem mutui, quod quidem vt postea dicam in membro sequenti non est proprie fœnerari, sed est redimere vexationem suam.

Secundo respondent alij vt D. Thomas secunda secundæ, qu. 78. ar. 1. in responsione ad secundum argumentum dicens quod per supradictis verbis Deuteronomij non fuit concessa vsura Iudeis, sed tantum fuit illis permissa ad euitandum maius malum, vt si vellent dare ad vsuram, eam darent externis, & non fratribus, & expositio est etiam Catechismi Romani in præcepto, non furabetis.

9. Quinto quæritur vtrum vsura sit prohibita in lege noua? Respondeo affirmatiue, quia Lucæ 6. dicitur mutuum date nihil inde sperantes, quo loco vtitur Catechismus Romanus & Vrbanus Papa capitulo consuluit de vsuris, ad improbandas vsuras.

Sed dicet hic aliquis Mathæi 25. Reprehenditur seruus non dans talentum, quia Dominus, qui est Christus exegisset vsuras, ergo licitæ sunt vsuræ? Respondeo quod in Parabolis respitiēdus est finis Parabolæ non Parabola ipsa, nam in parabolis multa illicita ponuntur ad significandum aliquid spiritualiter licitum, sicut de villico, qui inscio Domino diminuit credita Domini, & tamen laudatur à Christo.

10. Sexto quæritur vtrum vsura prohibita sit per legem Canonicam? Respondeo affirmatiue, vt videre est per multos Canones in tit. de vsuris; immo in Clementina vnica de usuris determinatur eum esse Hæreticum, qui negauerit vsuras esse prohibitas.

Sed dicet hic aliquis 14. & q. 4. capit. ab illo, dicitur ex D. Ambr. ab illo exige vsuras cui merito nocere desideras; ergo vsura est licita per Canones saltē aliquando.

Ad hoc respondent primo Glosa super illo capitulo, & Dom. Sot. lib. 6. de Iust & Iure qu. 1. hoc modo, nemini merito nocendum est ita nemini dandum est dandum ad vsuram.

2. Respondent Conradus q. 4. Alex. Al. 3. p. qu. 66. & Gabr. in 4. d. 15. q. 11. Hunc testum esse inertum ab aliquo Hæretico, non autem esse D. Ambrosij in-

in cōmentarijs supra Hieremiam Prophetam; sed melius est vt dicamus eum Couar.li.2. variarum resolutionum c.1. nu 6. quod licet mutuare ad vsuram hostibus contra quos est iustum bellum ob recompensationem damni, si tamen id fieri potest sine scandalo, & tunc non esse vere vsuram, sed improprie.

11. Septimo quæritur vtrum vsura sit prohibita per legem ciuilem, affirmat Nau.in Man. cap. 17. vsuram esse prohibitam lege ciuili, Iure Authenticorū Iustiniani Imperatoris forte quia Iustinianus approbauit consilia Generalia in quibus manifeste prohibita est vsura D.Thomas secunda secundæ q. 68. ar.primum ad tertium argumētū Dom. Sot.lib.6. de Iust. & Iure. qu.1. ar.1. dicunt usuras esse permissas lege ciuili. Couar. li.2. variarum resolutionum ca. 2. nu.6. dicūt vsuras esse concessas aliquando à Iure ciuili, vt patet Cod. de vsuris l.3. sed tamen dictas leges fuisse correctas per ius Canonicum.

12. Octauo quæritur quæ pena sit imposita vsurarijs manifestis? Ad hoc dico primo, quod secundum legem diuinā est imposita pœna inferni sicut & alijs peccantibus mortaliter.

Dico secundo quod secundum legem Canonicam vsurarij manifesti non possunt admitti ad Sacramentum Pænitentiæ, vel ad quodlibet aliud nisi prius data sufficienti cautione, quod nō amplius exercebunt vsuras, vt habetur capitulo, quamquam de vsuris lib.6. & licet cautio sufficiens communiter sit promissio, tamen in hoc casu est pignus vel fideiussio, vel si hæc haberi non possunt, iusiurandum, vt dicit Glosa in dicto capitulo.

Dico tertio ab vsurarijs non potest accipi obligatio, & qui eas receperint sunt suspendendi ab officio, vt habetur capitulo, quia in omnibus de vsuris, & hoc intelligendum est quando oblatio fit de vsuris & hoc dicit etiā Syluester in sum. verbo vsura 4.§.4.

Dico quarto si vsurarij non satisfecerint priuantur & Ecclesiastica sepultura, vt dicunt omnes Casistæ.

Dico quinto testamenta eorum sunt nulla ipso Iure, si non satisfecerint, vt habetur capitulo supradicto quia in omnibus.

13. Vltimo quæritur. An licitum sit potestati Ecclesiastica. vel laica tolerare vsuras. Notādum hic est quod aliud est consentire, aliud est permittere, vel tolerare, consentire enim est actus illicitus complacentiæ, tolerare vero seu permittere est, non velle punire.

Dico primo quod nulla potestas Ecclesiastica, vel laica potest consentire in vsuras, quod habetur in Epistola ad Romanos cap. primo, quod digni sunt morte non tantum qui faciunt mala, sed etiam qui consentiunt.

Dico secundo quod potestas tam Ecclesiastica, quam Laica potest permittere vsuras sine peccato, non quidem propter maius lucrum Principis, vel ne patiatur damnum in temporalibus, quia cōtra charitatem, & iustitiam est permittere maius malum ad euitandum minus, sed potest permittere eas ad euitandum maius malum, vt ad euitanda furta, ad euitandam pauperum necessitatem; & quidem quod possint permitti vsuræ, ad euitandum maius malum patet, quia Deus permisit eam in testamento veteri propter hoc, vt dictum est supra, & propter hoc etiam permittitur meretritium, & semper spectat ad prudentiam permittere minus malum ad euitandum maius.

esset si sine pacto fieret restitutio, & maius commodum esset mutuatario illud restituere domi, quam in villa.

Quinto vsura est mutuare cum obligatione muneris ab obsequio, puta vt me comitetur in via, à lingua vt aduocet pro me, à manu vt pro me rescribat, quæ hæc sunt pecunia æstimabilia.

Sexto vsura est mutuare cum obligatione, vt mutuatarius det eleemosynam, vel faciat aliud opus misericordiæ mutuanti, vel eius propinquis, vel alijs; ita Sot. lib. 6. de Iust. & Iur. qu. 1. ar. 2. ac Sylu. verbo vsura 6 § 3 & videtur haberi ex capitulo sup eo de vsuris.

Septimo vsura est si Mercator mutuet centum hac lege, vt accipiantur quinquaginta in merce, quia vltra sortem expectatur lucrum venditionis illius mercis; similiter vsura est mutuare centum hac lege, vt mutuatarius ab eo emat etiam pecunia credita aliquid.

Octauo vsura est mutuare cum hoc pacto, vt mutuatarius coram te saltet, vel citharizet &c. quia hæc sunt pecunia æstimabilia.

Nono vsura non est petere fideiussionem, vel pignus, quia licet mutuatario agere ad suam securitatem.

2. Secundo quæritur, an liceat mutuare ad acquirendam beneuolentiam; Conradus q. 29. dicit duplicem esse beneuolentiam; honestam, & propter hanc mutuare non est vsurarium; & vtilem & propter hanc mutuare esse vsuram, quia ex mutuo finaliter, & principaliter intenditur lucrum. Sot. lib. 6. de Iust. & Iure qu. 1. ar. 2. dicit quod intendere lucrum principaliter ex amicitia orta ex mutuo non est vsura, quia non speratur lucrum ex mutuo principaliter, sed ex beneuolentia. Omnes dicunt quod mutuare propter beneuolentiam principaliter ex illa beneuolentia sperando lucrum non ex debito ciuili, sed gratitudinis tantum non est vsura.

Sed dicet aliquis, si non est vsura mutuare ob beneuolentiam, quia beneuolentia non est pecunia æstimabilis, ergo etiam licebit mutuare propter beneficium Ecclesiasticum, quia beneficium Ecclesiasticum non est pecunia æstimabile, cum pecunia nequaquam emi possit.

Dicet secundo aliquis. Aliquis emeret alicuius amicitiam pluris quam quodlibet aliud lucrum, ergo si non licet mutuare cum spe acquirendi lucrum; nec licet mutuare spe acquirendi amicitiam.

Ad primum Respondeo quod nos loquimur de humanis non æstimabilib. pecunia, non autem de diuinis, diuina enim sunt danda omnino gratis, quia non sunt nostra, & licet ex vi mutui non liceat expectare citra simoniam, licebit tamen expectare beneficium, vel aliud spirituale, puta administrationem Sacramentorum ratione gratitudinis, & amicitiæ.

Ad secundum, quod vera amicitia non potest haberi pecunia, quia pendet ex voluntate, quæ est libera, tamen potest aliquis pro illa dare pecuniam mutuo, vel dono.

3. Tertio quæritur. An liceat alicui mutuare hoc pacto, vt cesset ab actione iniusta iniuriarum? Respondeo, quod mutuare pacto quod mutuatarius cesset ab actione iniusta iniuriarum est vsura, quia iam de iure tenetur cessare à tali actione iniusta; sed dubium est de actione iusta, Caet. 2 2 quæst. 78. ar. 2. Medina q. 1. Conrad. q. 37. dicunt hunc contractum esse vsurarium, quia hæc obligatio ciuilis est pecunia æstimabilis, at vero Sot. lib. 6 de Iust. & Iur. qu. 1. ar. 2 & Syluester vsura 1 § 11. dicunt quod licet pacisci de remissione iniuriæ, quia hoc est reconciliare amicitiam, non autem licet pacisci de cessando à lite iusta, quia hoc potest esse in damnum mutuatarij, & in magnum lucrum mutuantis, & hoc nihil pertinet ad amicitiam.

4. Quarto quæritur. An petulans iuuenis si conueniat cum meretrice ex mutuo de illicita actione committat vsuram? Respondeo affirmatiue, quia illa obligatio est ciuilis, ac proinde pecunia æstimabilis; ita Sotus lib. 6. de Iust. & Iur. q. 1 ar. 2. secus esset si mutuaret sine tali pacto cum intentione acquirendi amicitiam, & beneuolentiam, vt deinde ex tali beneuolentia meretrix consentiat in actum illicitum; nam tunc mutuatio esset quidem peccatum fornicationis mentalis, sed non vsura; & quando est obligatio, propter talem obligationem oritur vsura,

siue deinde illa illicita actio proueniat ex amore, siue non.

Quinto quæritur. An liceat mutuare cum pacto remutuandi. Angelus in summa verbo vsura, dicit mutuare cum tali pacto non esse vsuram; opposita sententia est cōmunis D. Thomæ, & Caer. secunda secundæ qu. 78 ar. 2. Adriani in 4. vbi de vsura, Conradi q. 36 Glosæ 14. q. 3 cap. si fœneratis, Syluestri verbo vsura 8 §. 2. Dom. Sot. lib. 6. de Iust. & Iur. q. 1. ar. 2. & ratio est quia illa obligatio ciuilis remutuandi est pecunia æstimabilis, & hoc patet quia vt dicam infra fideiussor potest aliquid accipere à debitore propter fideiussionem, quæ nihil aliud est quam obligatio ad mutuandum; cum enim fideiussor soluit pro debitore, idem est ac mutuare pecuniam debitori; atque hinc patet, quod dare mutuo tibi nunc, cum pacto vt remutues mihi quando indigebo est vsura. Medina dicit non esse vsuram, si obligo mutuatarium ad remutuandum in necessitate mea extrema, quia mutuatarius ad hoc alias tenetur; sed hoc est falsum, quia prior obligatio erat obligatio charitatis, quæ non est pecunia æstimabilis, hæc vero posterior est obligatio ciuilis, & Iustitiæ, quæ est pecunia æstimabilis.

6. Sexto quæritur, an sit vsura mutuare cum pacto, quod mutuatarius obliger se ciuiliter per syngrapham ad restituendum alterum debitum, de quo non constabat ciuiliter. Communis opinio est, quod non, Sot. & Medina afferunt hanc rationem, quia illud erat alias debitum. Conradus q. 20. affert hanc rationem, quia ex mutuo nullum oritur lucrum mutuanti in hoc casu.

Sed hic sunt dubitationes circa hunc casum, quarum prima est, quod illa obligatio ciuilis videtur noua, & est pecunia æstimabilis.

Secunda dubitatio quia si ego ministrarem Sacramenta alicui cum pacto, vt mihi restitueret alias debitum, esset Simonia.

Tertia mutuare alicui cum pacto, vt remutuet mihi cum sim in casu necessitatis, vt dictum est esset vsura, tamen tenebatur mutuatarius mutuare.

Ad primam dubitationem Respondeo quod illa obligatio non est noua, sed prius erat, non tamen tam manifesta. Item respondetur, quod illa obligatio esset de re alias debita.

Ad secundam dubitationem Respondeo, quod diuina debent dari sine vlla obligatione, quia non sunt nostra, sed Dei. Humana vero cum sint nostra possunt dari cum aliqua obligatione, puta vt des mihi pignus, vel redimendo vexationem vt in prædicto casu.

Ad tertiam dubitationem Respondeo triplex esse debitum, primum honestatis, & ad hoc non potest esse obligatio ciuilis, quia potest satisfieri multis modis. Secundum charitatis, vt mutuandi in extrema necessitate. Tertium Iustitiæ, vt in casu proposito, & hoc nō potest deduci in pactum sine vsura.

7. Septimo quæritur de hoc casu, an sit licitus, Tobias Hæbreus mutuauit Paulo sub vsura centum ducatos, Ioannes petit à Paulo hos centum ducatos, potest ne Paulus eos dare Ioanni hoc pacto, quod ipse Ioannes soluat illam vsuram Tobiæ? Laurentius de Ridolfis cap. consuluit de vsuris dicit non licere nisi positis duabus conditionibus.

Prima conditio est quod Paulus, vt se liberaret à damno vsuræ esset paratus Tobiæ restituere.

Secunda conditio est quod etiam Tobias esset paratus recipere, quia forsitā conuentio erat de duobus annis, & Paulus volebat restituere in medio, vel in fine primi anni. Dic cum Conrado. qu. 41. etiam licere si Paulus propter mutuationem actiuam incurrit aliquod interesse lucri cessantis, vel dāni emergentis, puta quia Paulus ex illis centum erat lucraturus duodecim.

8. Octauo quæritur, an sit vsura si mutuator adueniente termino solutionis nolit eum prorogare nisi accepta pecunia, aut aliqua re pecunia æstimabile vltra sortem? Respondeo cum Syluestro verbo vsura 1 §. 25. quod talis est vsurarius, vt habetur capitulo cōsuluit de vsuris, si hoc agit solū ratione termini prorogati, & non ad euitandum aliquid suū

dam-

damnum; sed si hoc agit ad sui indemnitatem, puta quia oportet eum ad vsurã accipere, aut rem propriam vilius iusto pretio distrahere, non est vsura illud dãnum à debitore exigere, & idem dicendum est secundum Petrum de Ancarano super Clementinam ex graui de vsuris, si hoc facit ratione lucri cessantis si erat mercator, qui cum pecunijs consueuit negotiari, & idem si non erat mercator, tamen intendebat exponere eam pecuniam negotiatori, vel alio modo in lucrum, secus si erat talis, qui pecuniam posuisset in Arca, & idem videtur sentire D.Thomas secunda secundæ; qu. 62. ar. 4. cum hac tamen moderatione quod mutuans nõ possit exigere totum lucrũ, quod sperabatur, quia poterat impediri, sed tantum quantum illud lucrum valebat in illo dubio iuxta iuditium boni, & prudentis viri.

9. Nono quæritur. An qui pecuniam argenteam mutuat cum pacto, vt aurea reddatur, vel è contra, committat vsuram? Respondeo cum Ostiensi in sum. tit. de vsura. §. an aliquo sub finem, affirmatiue, & idem affirmat Nau. in Man. cap. 17. nu. 226. secus autem esset si quis auream pecuniam pro argẽte: emeret, vel venderet, & aliquod lucrum moderatum accipiendo, vt habet Caet. in summa verbo vsura, quia sic nõ esset lucrum ex mutuo, sed ex emptione, vel venditione, seu potius permutatione, aut cambio.

10. Decimo quæritur vtrum sit vsura si Petrus daret pecuniam Paulo ad ostẽtationem diuitiarum, vel ad faciendam medicinam in Iure cum aliquo lucro? Respondeo quod non, quia ad eiusmodi fines pecunia non mutuatur, sed commodatur, vt dicit Sot. & alij in 4 sent. d. 15. & tunc non transfertur dominium illius pecuniæ quare si perit, danti perit, modo non sit culpa in accipiente.

Vndecimo quæritur de hoc casu An sit licitus; Ioannes habens pecuniam quã credit, vel scit debere banniri, vel diminui de pretio mutuat eam Petro, qui antequam banniatur est illam expensurus, vt postmodum Ioannes accipiat pecuniam currentem? Respondeo quod non mutuat, vt plus habeat, sed vt damnum suum euitare possit sine damno proximi; idem esset si quis alicui daret mutuo vinum in Kalend. Ianuarij de quo periculum euidens esset, quod in Kal. Maij marcesseret, ei qui interim consumpturus est illud; secus esset si accipiens vinum non erat illud bibiturus ante Kalendas Maij. Ita Syluester verbo vsura 1. §. 15. & Angelus in summa verbo vsura.

MEMBRVM TERTIVM

De vsura, quæ paliatur per contractum emptionis, & venditionis.

1 *An liceat emere annuum redditũ, maxime si de nouo constituatur.*
2 *Conditiones requisitæ ad censum in Bulla Pij V.*
3 *An committatur vsura emendo censum pecuniaiem.*
4 *Pretium iustum annui census quale sit.*
5 *Emptio, & venditio cum pacto gratiæ quomodo constituenda.*
6 *Quomodo in hoc pacto possit accidere vsura.*
7 *Emens domum ab eo qui eam non habet, & eam locat eidem pro annuo censu, an committat vsuram.*
8 *Emens a Ciuitate angustiata peste, vel bello minori pretio id, quod post magis valet, an id licitè faciat.*
9 *Emens rem quæ nunc minus valet, modo magis, an possit eam eodem pretio retinere.*
10 *De eo, qui suas merces alio portat*

vendendas.

11 *Ob anticipatam solutionem, an liceat minus debito soluere.*

12 *Aliqui casus, in quibus interuenit vsura paliata.*

13 *Mutuans triticum cum pacto vt sibi detur pretium eo tempore, quo magis valiturum creditur, an vsuram committat.*

14 *Consimiles casus practici in venditione frumenti expectata, aut dilata solutione.*

15 *Quid iuris in contractibus, qui regulariter fiunt mutuando pecuniam Ciuitatibus.*

16 *Deponens pecuniam apud aliquem cum intentione exigendi aliquid vltra sortem, an committat vsuram.*

1 IN hoc membro primo quæritur vtrum liceat emere annuũ redditũ, maxime si de nouo instituatur? Ad hoc dico primo quod exẽplũ huius rei est, si Petrus indigens pecunia vẽdit Ioãni annuũ redditũ vigintiquinq; aureorũ sup aliqua domo, seu aliquo fũdo ꝓtio cõpetẽti, puta quatuor cẽtũ aureis nummis.

Dico secũdo quod Innocẽtius sup capitulũ in ciuitate de vsura, dicit quod si talis reddit^9 iã est institutus, siue sit redditus certus, puta vigintiquinq; modiorum tritici, vel vigintiquinq; aureorũ, siue incertus, puta quarta pars fictũ domus, vel frumenti de fundo, siue census sit perpetuus, puta quia extẽditur ad hæredes emẽtes, siue sit ad vitã hominis, q dicitur vitalicius, siue ad certum tẽpus puta ad decem annos, est licitus; si vero redditus non est adhuc constitutus, sed de nouo constituitur, Innocentius dubitat, & dicit secundũ aliquos contractũ esse illicitum, quia ibi non videtur esse vera venditio, cum id, quod vẽditur nõ videatur esse adhuc in rerũ natura; sed Syl. in sum. verbo vsura 2. §. 12. dicit cõtractum esse licitum, & si redditus non erat cõstitutus, sed de nouo cõstituatur, sicut licite possunt emi fructus prouẽturi ex agro, & partus pecudis, & iactus retis per Põtificiam determinationem, vt postea dicam. Hoc idẽ quod dicit Sylueſter, dicit etiã Ric. in 4. sent. & multi Canonistæ super dicto capitulo in ciuitate, & oẽs moderni Doctores post Bullã Pij V. de qua infra; & re vera mihi videtur res clara, quia non video differentiam inter redditum, seu affictum nouum, & antiquum quantum ad hoc, tũ quia non directẽ emitur affictus, siue redditus, sed ius percipiendi affictum, seu redditũ, tũ quia si affictus antiquus quẽ secundũ omnes licet emere, fuit licitẽ institutus, quare non potest etiam nunc alius institui, & vendi; si vero fuit illicite institutus, quasi sit res de se iniusta, certe nec nunc licitẽ emi potest, per regulã, non firmatur, de regulis iuris in 6. vbi tanquam axioma dicitur non firmatur tractu temporis id quod ab initio non subsistit Iure.

2. Quibus autẽ cõditionibus ornatus debeat esse cõtractus, quo emitur cẽsus annuus, vide in Bulla Pij V. quæ impressa est in Man. Nau. cap. 17. nu. 234. vbi Pius V. non negat, immo affirmat licite posse emi annuũ redditũ, etiã si de nouo instituatur, & affert conditiones quibus institui debeat, vt quod vendens possit quotiescunque voluerit redimere censũ pro eodem pretio quo vendidit admonito emẽte per duos, vel tres menses ante rẽdẽptionẽ; quod non possit cogi vẽdens vnquã ad redimẽdũ; quod possit vẽdere fundũ, vel domũ super qua constitutus sit census, cũ onere tamen, vt emẽs teneatur soluere censum &c. Quas vos videte in eadem bulla.

3. Dubitatio est, an si census ematur, qui sit pecunialis, an committatur vsura? Petrus de Ancarano, quem citat Syluester ad hoc propositum in sum. verbo vsura. 2. §. 12. dicit quod est vsura propter affinitatẽ, quã habet hic contractus cum mutuo; sed hoc videtur esse aliquãdo per præsumptionem, non autem secundum veritatem, est enim magna differentia inter istam solutionẽ & mutuũ, quia mutuum, idest id quod mutuatur necessario est restituendũ, non autẽ pretium quo emitur annuus census, licet aliquando possit restitui, secus esset si vendens teneretur redimere censum, seu re-

stitue-

stituere pretium census.

Rursus dicet aliquis esset ne vsura si hic census constitueretur supra rem quæ non posset reddere totum censum, vt si centum aureis ematur affictus septem aureorum super domum, quæ non locatur nisi pro quatuor. Respondeo quod saltem esset contractus fraudulentus, & illicitus, damnatus à Pio V. in prædicta Bulla immo esset dicendum quod illud plus, quod acciperetur sit obnoxium restitutioni.

Demum dicet quis, quid sit pretium iustum annui census? Respondeo, quod Pius V. in Bulla supradicta de hoc nihil determinauit, forte quia pretium iustū annui census non est æquale in omnibus regionibus, sicut nec pretium iustū aliarum rerum in aliquibus regionibus, vt Bononiæ dantur octo pro centum; Romæ centū pro pretio annui census qui sit decem, Mediolani pro septē, quare dicēdum est, quod vbi non est certa regula standum est laudabili consuetudini regionis, vel iuditio prudentis viri.

5. Secundo. Quæritur quid iuris de emptione, & venditione cū pacto de retrouendendo? Respondeo, qd̄ est licita, si emptio fiat iusto pretio etiāsi emptor locat venditori id quod venditur, vel det ad liuellum pro certo affictu iusto; nam etiam talis locatio, vel datio ad liuellum erit licita, quia rem suam potest quisque sicut illi, ita & isti puta venditori locare; ita Syluest. in sum. ver. vsura, § 15. & Nau. in Man cap. 17. nu. 247. cum multis alijs Doctoribus citatis à Syluestro.

Ad huius autem pleniorem intelligētiam notandum est, quod hic contractus fit hoc modo. Petrus emit ab Henrico fundum pretio iusto, v.g. mille libris, & spondet se eidem reuenditurum intra certum tempus, puta intra decem, vel quinque annos, vel in perpetuum, interim autē Petrus percipit fructus ex fundo; vel dat Henrico fundum ad affictū pensione iusta, & æqua.

Secundò fit hoc modo, Petrus emit dimidium fundi ab Henrico quingentis libris pro indiuiso vt det Henrico ad affictum pensione iusta, & æqua.

Notādū est secūdo quod licet hiccōtractus de sua natura sit licitus, ut dictū est, potest tamen multis modis uitiari.

Primo si ex pacto periculum, & incōmodum rei uenditæ pertineret ad uenditorem, quia id est contra naturā emptionis, cum rei emptæ commodum, uel incommodum non ad emptorem pertineat, ut habetur lege illud, ff. de periculo, & commodo rei uenditæ, nisi affictus esset ita modicus, quod uenditor releuaretur in eo in quo grauatur contra naturam contractus.

Secundo si emptor emit minoris iusto pretio dempta tamē ea parte pretij, quam pactum de retrouendēdo minuit, nam tale pactum est pecunia æstimabile, quia est obligatio ciuilis, & aliquando uenditur gratia redimendi, ac proinde pactum dicti pretij est computandū cum sorte, seu cum capitali.

Tertio, si ille qui emit cum pacto retrouendendi emit simulate cum animo magis mutuandi, quam emendi, uel si fiat pactum, ut redemptio fiat maiori pretio quam facta sit emptio.

Quartò, secundum aliquos si apponatur clausula, quod non possit redimi ante certum tempus, ut ante tres annos, &c. ut tenet Ioannes Andreas, & Ostiēsis, quos citat Syluester loco supra cit. quod tamen non est verum, ut dicit Syluester loco cit. Nauar. loco supra citato, & Sotus li. 5. de iust. & iur; quia re uera tale pactum non est illicitum, si fieret bona fide, ut quia uult emptor facere aliqua melioramenta, puta plantare uites, & similia, ex quibus uult p aliquos annos colligere fructus, nec etiam est necesse regulariter quod aliqui dicunt ne pactum fiat, quod ultra certum tempus id quod uenditur redimi nō possit.

Dixi regulariter, quia post extrauagātem Pij V. supra de censibus relatā à Nauarro ubi supra in prædicto quæsito in emptione annui census, censeo illud nō licere.

6. Tertio quæritur an si uendatur domus, uel fundū, uel aliud, & nō soluatur pretium tpe venditionis, sit vsura, si uenditor donec soluatur pretium, acci-

accipiat fictum domus, vel fundi, vel tot pro centanario pretij. De hoc multi multa dicūt, verius tamē est id quod dicit Syluester verbo vsura § 11. quod si fiat actualis venditio, post dictam venditionem non potest venditor donec soluatur pretium rei venditæ accipere fictum, seu fructus illius rei, nec aliquid propter dilatam solutionem; quia res vendita non est amplius venditoris, et nullus debet accipere fructus rei alienę, nec aliquid propter dilationem solutionis, nisi esset ratione interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, vel ob pœnam à lege statutam post moram culpabilem, vel ob pœnam deductam in pactū post moram culpabilem, de quo lucro cessante, damno emergente, & de qua mora, seu pœna dicam infra quando excusent venditorem, vel mutuatorem accipientem aliquid vltra sortem à peccato vsuræ.

Secus esset si fieret venditio conditionata, idest si statueretur pretiū, quod venditor promittit se venditurum domum, vel fundum, vel aliud fructiferū, quotiescunque emptor exhibebit pecuniam, ita vt non intelligatur facta actualis venditio nisi in actu quo exhibebitur pecunia, & interim donec exhibeatur pecunia venditor remaneat Dominus rei, quam vult, & promittit vendere, ita vt domus, vel fundi periculum maneat apud eum, vt si casu rueret, vel à flumine raperetur domus, vel fundum esset venditoris; quod si dimidia pars pretij, vel tertia exhibeatur in principio, poterit tunc fieri actualis venditio dimidiæ, vel tertiæ partis rei vendendæ cum promissione vendendi aliam partem, ita vt venditio illius partis censeatur facta tempore exhibitionis pecuniæ, & interim emptor poterit habere fructus illius partis, quam emit actualiter, venditor vero alterius partis; si nullius partis fiat actualis venditio in principio quando soluitur pars pretij, omnes fructus erunt vendentis donec fiat actualis venditio, quia ipse solus est vere dominus donec facta sit actualis venditio, & hoc modo intelligi debent omnes Doctores Legistæ quos citat Syluester loco supra citato, alioquin dictum est eos in hoc errare. Cosmus Philiarcus lib. 5. de Officio Sacerdotis cap. 26. dicit posse excusari vendentem etiam si faciat actualem venditionem si recipiat fructus rei venditæ, donec soluatur totum pretiū, quia censetur voluisse transferre dominium rei, reseruando sibi vsū fructum donec soluatur pretium; sed hoc est id quod quæritur vtrum possit quis vendere rem fructiferam credita pecunia pretio iusto reseruando sibi vsumfructum, & sine dubio hoc non est licitum; quia si computetur vsus fructus cum pretio iusto erit iniustitia; nam tūc pretium excedet iustum; secus esset si vsusfructus computaretur in sortem.

7. Quarto quæritur. An qui emit domum ab eo, qui eam non habet, & locat eidem pro annuo censu, committat vsuram; similiter, & an committat vsuram ille, qui emit censum super aliquā rem, quam venditor non habet? Respondeo cum summa Angelica verbo vsura § 71. quod si emptor sciebat venditorem non habere agrum, vel domū dictam, est vsura, & tenetur emptor ad restituendum censum, seu fictum, quod accepit ex domo, vel agro qui non erat.

Secus autem, si emptor probabiliter credebat venditorem habere illam domum, seu agrum, & bona fide emit nec tenetur restituere censum, seu fictum quem accepit bona fide, & consumpsit, immo neque illum, quem non consumpsit, & quo factus est ditior si quando talem domum emit, vel agrum volebat emere talia, idest vnum agrum, vel vnā domum, & ab illo emit, quia ea obtulit vendenda, alioquin ab alio emisset, & ita pro suo interesse lucri cessantis potest censum retinere iuxta sum. Angelicam, vbi supra, & Nauarrum in Man. ca. 17. nu. 229. & Maiorem in 4. d. 15.

8. Quinto quæritur, an hic casus sit vsurarius. Est aliquis, qui emit modico pretio redditus à ciuitate angustiata à peste, vel bello, & facta sanitate, vel pace lucratur decem pro vno? Respondeo cum Syluestro verbo vsura 2 § 3. Quod non, ratione dubij, idem dicunt

Osten-

Ostiensis & Archidiaconus, sed hoc esset consilium.

9. Sexto quæritur hic casus an sit vsurarius, Petrus vendit nunc equum valentem viginti pro triginta ob dilatā solutionem, qui equus postea in tempore solutionis, quia mortui sunt equi valet triginta? Respondeo quod est vsurarius, & tenetur Petrus restituere decem si accepit triginta, ita Nau. in Man. nu. 246. & Maior in 4. d. 25.

10. Septimo quæritur, est aliquis, qui suas merces eo portat vbi sperat se lucraturum, & dilata solutione vendit pluris iusto pretio etiam summo, eo quod aliorum accessu adeo decreuit, quod nō solum non lucraretur, sed etiam perderetur, si præsenti pecunia etiam summo pretio venderet? Respondeo cum Nau. in Man. cap. 17. nu. 243. quod talis committit vsuram, & ratio patet per supradicta, quia videlicet vendit charius iusto pretio etiam rigoroso propter dilatam solutionem; nam pretium est considerandum prout potest vendi res & solet vendi in tali tempore, & tali loco in quo res venditur.

11. Octauo quæritur. An qui tenetur hinc ad annum soluere centum, & soluit nunc dando tantum nonaginta ratione anticipationis, committat vsuram? Respondeo cum Gabriele in 4. d. 15. qu. 11. ar. 3. dub. 4. D. Antonino secunda parte tit. 1. cap 8. num. 3. & 4. & Caet. in summa verbo vsura, quod est vsura, quia est mutuum implicitum, & ex eo lucrum habetur, secus si id faceret eo quod debitum non erat liquidum, vel ille qui soluit habebat eam pecuniā destinatam negotiationi, vel emptioni frugiferorum, ex qua verisimiliter existimabat se lucraturum illud min᷑, quod alij alteri soluit; ita Medina Cod. de restitutione.

12. Nono quæritur de hoc casu, an sit vsurarius, Petrus indigens centum aureis petit à Ioanne, vt ei mutuet, Ioānes dicit quod non vult mutuare, sed quod vendet ei tot pannos valentes centum aureis cum obligatione, seu intentione quod reuendat dictos pannos eidem Ioanni pro nonaginta, quos tūc de præsenti dat ipsi Petro, restituat autem ducatos centum, quod est pretium pannorum hinc ad quinque, vel sex menses? Respondeo quod hic contractus est vsurarius, vt bene dicit Caet. in verbo vsura implicite, quia ibi est obligatio quod reuendat, vel saltem intentio lucri ex mutuo implicito, idē quod dicit Caet. verum esset si per interpositam personam fieret, vt magis pallietur contractus mutui, vt ait Nauarrus in Man. cap. 17. nu. 243.

Secus esset si simpliciter Ioannes vendidit dictos pannos Petro pretio iusto quamuis summo, & postea quia emptor vult reuendere, & non inuenit alium qui emat, venditor iterum iusto pretio quamuis infimo eos reciperet.

13. Decimo quæritur, an qui mutuat triticum, aut aliud mutuabile, vt sibi reddatur eo tempore, quo uerisimiliter creditur eius pretiū auctū iri, & ipse vsque ad illud tempus nō erat seruaturus cōmittat vsurā? Resp. cū Nau. in Man. cap. 17. nu. 219. quod committit vsurā, & habetur in capitulo in ciuitate, & capitulo nauiganti de vsuris. Secus autē esset, vt dicit Nauarrus ibidem si verisimiliter dubitabat, an tunc pluris, vel minoris esset valiturum, secus item esset, si ad illud tempus erat seruaturus; ita Nauarrus etiā loco citato, & Angelus verbo vsura 1. §. 36.

14. Vndecimo quæritur. An sit vsura tempore ciuitatis annonæ alicui mutuare frumētum æstimatum pretio, quo venditur tunc cum pacto, vt tempore solutionis reddatur frumentum pretio quo tunc valebit? Respondeo cum Nauarro cap. 17. nu. 225. quod non, quia in effectu est vendere triticum, & dilationem solutionis concedere, & hoc est iuxta mentem omnium Canonistarum capitulo in Ciuitate de vsuris, & ita tenet D. Antoninus, secunda parte ca. 17. §. 13. pari modo non esset vsura, si quis mutuaret triticum vetus cum pacto vt sibi reddatur deinde plus tritici recentis quam datum est, modo verisimiliter non valeat plus illud recens restituendum quam vetus cū mutuatur, quia in

hoc

hoc qui mutuat nihil lucratur ex mutuo.

Duodecimo quæritur, an vsuram cõmittat, si quis vendit frumentum nunc pro pretio nunc currente, soluendum Kal. Maij cum pacto, quod si illo tempore intermedio plus valebit, plus soluat, non tamen minus soluat, si minus valebit? Respondeo affirmatiuè, & habetur ex Canone in ciuitate de vsuris, vt dicit Nau. in Man. cap. 17. nu. 243. secus esset inquit Nau. si pactum fieret soluendi pretium medium inter summum, & infimum, quod fuit in illo intermedio temporis.

15. Decimo tertio quæritur. Petrus mutuat ciuitati irreuocabiliter mille ducatos; vel sponte, vel ab ea coactus (potest enim ciuitas aliquando aliquos ciues cogere, vt sibi mutuo dent) ciuitas super suis bonis assignat singulis annis sex per centenario, ne mutuans patiatur damnum, & non tenetur soluere sortem ipsa ciuitas nisi quando voluerit. Hic contractus multipliciter nominatur; nam apud Florentinos dicitur præstantia montis; apud Genuenses dicitur sortes loco rum; apud Venetos dicitur sortes im præstationis; ratio difficultatis est quia in tali casu pro mutuo habetur lucrum, & ideo videtur vsura.

Gregorius de Arimino, Sanctus Bernardus, & alij quos citat Conradus q. 44 & 45. dicunt esse casum vsurarium, nisi Ciuitas gratis donet illud emolumentum, vel nisi mutuans patiatur illud interesse.

Dicendum est absolute, quod hic cõtractus nullo modo est vsurarius, quia hic non est mutuum, sed vera emptio census; & probatur quia de ratione mutui est, quod mutuatarius teneatur restituere sortem, in hoc casu autem diximus Petrum irreuocabiliter mutuare Ciuitati.

Secundo quia si quid obstaret certe illud esset nomen imprestiti, quod tamẽ non obstat, quia non est spectandum nomen, sed spectandus contractus in sẽ; nam etiam vsurarij palliant suas vsuras nomine contractus liciti.

16. Vltimo quæritur vtrum ille qui deponit pecuniam apud aliquem mercatorem, aut nummularium cum intentione, vt aliquod lucrum mẽstruum, vel annuum ei soluatur, salua sorte, committat vsuram? Respondeo quod committat vsuram, & tenet acceptum restituere etiam si non interueniret pactum; nec ignorantia excusat saltem à restitutione, nec periculum perdendi illam, eo quod mercator, aut fugere, aut decoquere potest, quia illud lucrum non ob periculum, sed ob mutuum palliatum contractu depositi accipitur: secus tamen est inquit Nau. in Man. cap. 17. nu. 245 si deponens acciperet aliquid à depositario gratis donante aliquid ob gratitudinem eo quod ex pecunia deposita fuerit lucratus.

MEMBRVM QVARTVM.

De fructibus pignoris, quod datur mutuanti pro assicuratione restitutionis mutui.

1 *An fructus pignoris dati pro assicuratione mutuantis sint in sortem computandi.*

2 *Fructus feudi oppignorati domino directo, an sint computandi in sortem.*

3 *Omnes fructus pignoris dati pro dote an debeant computari in sortem.*

4 *Loco pignoris, & fructuum an possit gener paciscí de certa pecunia, puta sex, vel septem pro centenario.*

5 *Quanta pecunia possit deduci in pactum.*

– *ctum.*

6 *Mulier facto diuortio, aut vidua facta, an possit vti beneficio Capituli Salubriter, dum non soluitur dos ab hæredibus mariti.*

7 *Si quis mutuaret genero summam debitam pro dote, & acciperet ab eo possessionem, quam habet in pignus, an posset non computare in sortem fructus illius possessionis; sicuti gener faciebat.*

1 IN hoc membro primo quæritur, an fructus pignoris dati pro assicuratione mutuantis sint in sortem computandi? Respondeo quod hoc decisũ est à Summo Pontifice c. 1. & 2. de vsuris. Item Codice de distractione pignorum, vbi dicitur quod fructus pignoris debent computari in sortem, quod intellige deductis impẽsis legitimis, quas mutuans facit inseruiẽndo pignore; Quæ deductio est in causa, quod vsuram non committat ille, qui tantum in pignore impendit, quantum vtilitatis de pignore percipit; vt si quis equum paruæ vtilitatis in pignus accepit, cum onere alendi eum, vel si quis in pignus accepit domum egentem tanta impensa reffectionis, quanti valet eius pensio; an vero verum sit illud Soti lib. 6. de Iustitia, & Iure quæst. 1. art. 2. quod non tenetur mutuans accipere in partem solutionis fructus collectos ex pignore, quos debitor nec colligebat, nec colligere cogitabat, cuius contrarium dicit Nau. in Man. cap. 17. nu. 216. est dubium.

Ex altera enim parte videtur falsum, tum quia illi fructus sũt bonorum debitoris, tum quia dicendum est creditorem, qui sua solerti industria ter tantos fructus colligeret, quam debitor colligebat, vel colligere cogitabat, non teneri ad restituendum illud, quod amplius collegisset.

Ex altera vero parte daretur occasio mutuanti, vt esset negligens in colligẽdis fructibus, qui colligi possent ex pignore sibi dato; sed ad hanc dubitationem respondimus in capitulo antecedenti; vbi de pignore.

2. Verum circa prædicta oriuntur duo non parua dubia, vnum ex canone conquestus de vsuris, & Canone primo de fœudis, vbi dicitur quod fructus fœudi oppignorati Domino directo, non sunt computandi in sortem. Alterum est, ex capitulo salubriter de vsuris, vbi habetur quod fructus pignoris dati pro dote non sunt computandi in sortem. Et quidem quantum ad primum, Glosa dicto capitulo conquestus, dicit hoc fuisse statutum in fauorem Ecclesiæ, quia in illo capitulo tantum fit mentio de fœudo opignorato Ecclesiæ, seu cuidam Monasterio, quod Monasterii erat dominus directus illius; sed contra primo quia secundum omnes Doctores illa resolutio Pontificis procedit etiam in fœudis Laicorum; secundo quia fauores Ecclesiæ non possunt facere de vsura non vsuram, nec Summus Pontifex potest facere, vt vsura sit licita quia est contra legem naturalem, & diuinam; neque potest facere vt contractus, qui de sua natura est vsurarius, non sit vsurarius, nisi mutetur in alium. Medina q. 2. Sot. lib. 6. de Iust. & Iur. q. 1. ar. 2. ad secundum argumentum, Conradus q. 32. Panorm. dicto capitulo conquestus, Angelus, & Syluester verbo fœudum, & communiter Doctores dicunt hoc licere ex natura fœudi, quia fœudum opignoratum Domino directo facit, vt Dominus directus acquirat dominium vtile. Sed contra est quia dominium vtile manet apud fœudatarium, alioquin non est opignoratio, vt bene dicit Coar. lib. 3. variarum resolutionum cap. 1. num. 4. sed esset elienatio fœudi, cum enim quis dat aliquid alicui in pignus, non addicat à se dominium illius pignoris, nec opignoratarius ipse fit dominus pignoris, quia per opignorationem, vt omnes dicunt, non transfertur dominiũ, neque enim opignoratio connumeratur inter contractus, in quibus transfertur dominium.

Dicendum igitur est cum Adriano in 4. vbi de vsuris, Innocentio capitulo primo de fœudis, & Couaruuio, vbi supra, quod communiter fœudi fructus

 sunt

sunt pares seruitijs, ad quæ tenetur feudatarius habēs dominium vtile; & quia tempore pignoris relaxatur feudatarius à seruitijs debitis ex feudo, ideo fructus feudi illi non debentur; Hinc ergo collige, quod si feudatarius sua diligentia bonificauit feudum, non potest dominus directus percipere fructus meliorationis, sed debet eos computare in sortē, vel suplere per aliquid aliud, vt bene notauit Medina, quod etiam elicitur ex Nau. cap. 12 Man. nu 218.

Colligetur secundo, quod errat Angelus in sum. verbo vsura § 12. & Pan. capitulo conquestus de vsuris, dicens idem esse de proprietario accipiente fundum in pignus ab vsufructuario, videlicet quod illi fructus non debeāt cōputari in sortem, quia est alia ratio feudi vt dictum est, & in hunc errorem videtur incidisse Nau. loco citato.

Tertio hinc & colligi potest quod si feudatarius iusto pretio emisset feudū à Domino directo, quod dominus directus non posset licitè computare in sortem fructus feudi sibi opignorati, quia cessaret prædicta ratio, & hoc absque dubio dixit Nau. loco supra citato.

3. Quantum ad secundum, an videlicet fructus pignoris dati pro dote debeant computari in sortem. Respondeo quod immo Innocentius Papa capitulo salubriter de vsuris decidit non esse computendos in sortem propter onera Matrimonij; idem habetur l. pater. ff. de dotis exceptionibus. Sed hæc decisio Pontificia, & Imperatoria est difficilis quia ex vna parte videtur vsura accipere lucrum ex mutuo, quod videtur latere sub oppignoratione, quę fit propter dilationem dotis.

Ex altera vero parte certissimum esse debet, quod licet Imperatoria Maiestas possit errare, Pontificia tamen non potest errare circa mores, & ideo multi sunt modi respondendi ad prædictam difficultatem apud Doctores, & Catholicos, qui cum capitulo citato conantur deffendere non esse vsuram non computare in sortem fructus pignoris dati pro dote. Caet. secunda secundæ.qu.78. & Panor. dicto capitulo salubriter dicunt hoc licere ob onera Matrimonij sustentanda, vt dicit Sum Pontifex in dicto capitulo. Sed contra.

Primo quia res de sua natura mala non fit bona, & recta propter bonum finem; vt furtum, quia de sua natura malum est, non fit bonum eo quod fiat ad dandum eleemosynam pauperibus. Sed lucrum ex mutuo de sua natura est vsurarium, ergo non desinit esse vsurarium si fiat ad onera Matrimonij sustentanda.

Secundo contra. Quia si verum esset id, quod dicunt prædicti Doctores, sequeretur, quod loco dotis plus, vel minus esset dandum, prout maiora, vel minora sunt onera matrimonij.

Tertio contra, quia ille, qui publice legit tenetur ad onera Cathedræ suæ; Miles tenetur ad onera militiæ; tamen fructus pignoris dati propter dilationē sui salarij, seu stipendij debent computari in sortem, ergo & pariter in casu prædicto.

Ideo Sotus lib 6 de Iust. & Iur. q. 1. ar. 2. ad secundum exponit sic, hæc onera Matrimonij esse alere vxorem de ipsa dote salua dote, ita vt facto diuortio, vel moriente marito dos integra reddatur vxori; sed hoc non tollit difficultatē, quia dato, quod maritus statueret tenere dotem otiosam in arca, quæro quomodo maritus potest pro dote virtualiter mutuata accipere fructus, cum hic non sit ratio damni emergentis, vel lucri cessantis.

Secundus modus dicendi in hac difficultate est Nau. cap. 17. Man. num. 213. qui dicit licere Genero accipere fructus pignoris dati pro dote, non computando eos in sortem propter tacitam donationem Soceri; sed hoc profecto nihil est, quia pauci inueniuntur Soceri, qui vellent dare generi tales fructus nisi teneantur, & secundum hoc sequeretur, quod si constaret quod socer nollet donare, non liceret accipere fructus.

Tertius modus dicendi est Baldi codice de vsuris, qui dicit hoc esse priuilegium factum à Papa genero; sed neque hoc est aliquid dicere, quia certum est quod si illa fructuum acceptio esset vsu-

raria, priuilegium esset nullum, quia priuilegium contra legem naturæ ipso iure naturæ irritum est.

Quartus modus dicendi est Butrij dicto capitulo salubriter, Almayni in 4. d. 15. q. de vsura, & Angeli in summa, qui dicunt quod si erat conuentio de statim soluenda dote, & non soluitur, quia socer est in mora, tunc habet locum capitulum salubriter, si vero ex pacto generi cum Socero solutio dotis differtur; capitulum salubriter non habet locum; & propterea non licebit tunc accipere fructus pignoris non computando eos in sortem. Sed hoc est contra communem opinionem, & contra communem modum procedendi de hoc, & re vera contra primũ membrum distinctionis fieri potest, quod socer non sit in mora culpabili solutionis, & Gener nullum patiatur damnum propter dilationem solutionis dotis, puta si putauit tenere dotem otiosam in area.

Quintus modus nonnullorum, qui dicunt quod si ex pacto differtur solutio dotis cum pacto percipiendi fructus, interim licet, si nullum est pactum, non licet, quia sicut Gener poterat accipere vxorem sine dote, & tenetur eam alere, vt habetur capitulo prouentus de Donatione inter virum & vxorem; ita potest ducere cum dote sic dilata; sed oppositum est multo verius, idest quod capitulum salubriter intendat, quod fructus possit percipi pro dilatione dotis, etiam si nullum efficiatur pactum, vt bene dicit Medina, quia nullo expresso pacto intelligitur res currere secundum Iuris constitutionem.

Secus esset si pactum fuisset factum contra constitutionem iuris, idest vt fructus non sint computandi in sortem si dos differtur vsque ad certum tempus, puta ad annum.

Potest etiam esse sextus modus, quod videlicet in pœnam dilatæ solutionis dotis dicti fructus percipiantur; sed contra, quia pœna non debet esse, nisi sit culpa, & hæc dilatio solutionis potest esse sine culpa, puta si fieret ex conuentione Soceri cum Genero.

Potest etiam esse septimus modus, quod dicisio capituli salubriter procedat ex præsumptione probabili in foro exteriori, qua cessante cessat etiam ipsa concessio capituli, præsumptio autẽ iuris exterioris in hoc primo potest esse, quod capitulum loquatur de donatione præsumpta fructuum facta à Socero. Secundo potest esse, quia communiter omnis Gener ponit dotem ad fructificandum, quia salua dote de ea debet nutrire vxorem, & sic ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, puta cõsumpti capitalis marito licebit vti concessione capituli. Vbi vero cessat hæc præsumptio non licebit illi vti concessione capituli.

Octauus modus dicendi est communis, quod videlicet licet vti concessione prædicti capituli ratione interesse, quod patitur maritus, vel lucri cessantis, vel damni emergentis; lucri cessantis, quia maritus erat inuestiturus dotem in re fructifera, damni emergentis, quia consumit suum capitale in vxore nutriciẽda.

Hic modus dicendi est Ioannis Andreæ, Abbatis capitulo salubriter, Bartoli L. in insula. ff. [soluto matrimonio. Adriani & Maioris in 4. Conradi. q.35. Medinę q.2. de vsura, & dicunt hanc esse communem Medina loco citato, & Baldus in Nouella de dote, & ideo dicunt ij, quod tantum potest Gener percipere quantum est interesse, quod patitur; sed contra hunc modum dicendi facit.

Primò, quod si Gener statuisset tenere dotem otiosam non potest percipere fructus pignoris, quia nullum pateretur interesse.

Secundo quia sunt iura municipalia ponentia determinatos fructus, puta sex vel septem pro centum donec soluatur dos; sed certe non esset tutum sequi talia iura, si verum esset id quod dicunt prædicti Doctores, sed tamen oporteret videre quantum esset interesse, quod patitur Gener ex dilatione solutionis.

Tertio percipere fructus pignoris ratione interesse est commune in omni mutuo; Papa autem in capitulo salubriter, aliquid speciale videtur intende-

re, dum dicit, ad sustentanda onera Matrimonij.

Pro decisione huius arduæ difficultatis mihi occurrunt isti modi dicendi.

Primus ponitur à Fortunio lib. de vltimo fine, & est talis, recipere fructus pignoris computando eos in sortem est particulare genero respectu soceri, quia socer tenetur dare vel dotem, vel alimẽta vxoris, ergo dum non dat dotem, debet dare alimenta, fructus autem pignoris habent vicem alimentorum, quod autem debeat solui vel dos, vel alimenta, habetur Cod. de dotis promissione l. vltima.

Secundus modus dicendi est, quia dos ex natura sua in manu generi, vel vbicunque sit debet fructificare, quia gener tenetur ex dote salua sorte dotis alere vxorem, & ideo socer dum non soluit dotem debet aliquid soluere pro fructibus dotis.

Tertius modus dicendi est, quod quia communiter loquendo gener prout exigit prudentia inuestit dotem, vt fructificaret, ideo potestas publica ad euitanda dissidia facit legem generalem, vt pro interesse currenti detur tantum donec soluatur dos; & hæc lex quia est propter bonum commune facit iustam acceptionem fructuum dotis transferendo. Atque hæc de hoc primo quæsito.

4. Secundo quæritur, an loco pignoris, & fructuum possit gener pacisci de certa pecunia, puta sex, vel septem pro centenario in anno. Negat Ioannes de Legnano, & Ioannes Andreas super dicto capitulo salubriter, D. Antoninus secunda parte primo capitulo secundo, & Laurentius de Ridolfis propter duas rationes. Primo quia Papa consultus super hoc respondit de pignore, & non de pecunia, & lex tantum valet quantum sonat. Secundo quia pecunia de se non fructificat, cum sit sterilis. Sed opposita sententia est communis Nau. Ancarani, Abbatis dicto capitulo salubriter, Conradi q. 35. Coaruuiæ variarum resolutionum cap. 1. nu. 3. Gabrielis, Maioris, Almaini in 4. d. 15. Decij capitulo cum venerabilis, de exceptionibus, Caetani, Soti, & Medinæ; & ratio est quia in vtroque est par ratio, nã si ob onera matrimonij licet accipere fructus pignoris, cur etiam non licebit accipere aliquid loco fructuum.

Ad primam rationem allatam in contrariũ patet responsio ex dictis, videlicet, quod sit par ratio in vtroque.

Ad secundam rationem, respondeo quod pecunia sufficiat hominis industria vel inuestita, cum enim manducet & vestiatur necesse est ex pecunia emere possessionem, vel ex ea negotiari, vt habeat vnde viuat, vel vt socer subleuet damnum.

5. Tertio quæritur quanta possit esse pecunia. Angelus in sum. verbo vsura dicit, quod tanta debet esse, quanta requirunt onera matrimonij, & consequenter secundum quantitatem dotis, quia vbi maior est dos, ibi est plus expendendum pro vxore; Coar. & Medina dicunt quod gener tantum pecuniæ potest accipere quantum est interesse, quod patitur ob dilationem dotis; Nau. in Man. ca. 17. nu. 250. dicit quod potest accipere tantum quantum concedunt statuta municipalia, & hoc, vt dixit, ad vitandas contentiones potest determinare Resp. dantur sex, vel septem pro centenario, hic Mediolani dantur sex libræ Imperiales trexdecim asses, & quatuor denarij pro centum libris imperialibus, quia sic quindecim annis duplicatur dos.

Ex dictis collige primo quod si pater nutrit filiam ex eo quia differt solutionẽ dotis, non potest gener aliquid accipere pro dilatione dotis.

Collige secundo quod id, quod dictũ est de socero intelligi etiam debet de quocunque alio, qui tenetur soluere dotem alicuius, vt si est Auunculus Patru*. Tutor vxoris, vel quilibet alius, & hoc propter dictas rationes, quæ tam militant in quocunque alio, qui teneatur soluere dotem, quam in socero.

Collige tertio, quod si gener antequam sustineat onera matrimonij percipiat fructus pignoris illi sunt computandi in sortem.

Quarto quæritur, an mulier secuto diuortio, vel facta vidua possit vti concessione capituli salubriter, interim dum

non

non soluitur dos ab hæredibus mariti, vel à marito.

Nota quod non tenentur hæredes mariti mortui intra annum soluere dotem viduæ, sed interim debent viduam alere, si ipsa sit pauper, & id habetur codice de re vxoris l. 1. Innocentius capitulo salubriter, quem omnes Doctores sequuntur, vt refert ibi Panor. negat licere, quia cessat causa quæ exprimitur in capitulo salubriter, item dicit Ioannes de Legnano ibidem; Sotus lib. 6 de Iust. & Iur. q. 1. ar. 2. dicit contrarium, & ratio huius est, quia maritus, vel hæredes mariti tenentur dare viduæ dotem integram, vel eam alere donec dent dotem. Alij dicunt quod potest recipere fructus tantum ratione interesse damni emergentis, vel lucri cessantis. Syluester in summa verbo vsura 3. §. 7. dicit licere positis duabus conditionibus. Prima est si mulier non habet vnde aliter viuat. Secunda est si non potest habere dotem, quia hæredes nolunt eam dare, vel non possunt.

Ego dicerem secundum tres modos prædictos in primo quæsito huius mẽbri, videlicet quod liceret accipere fructus pignoris in hoc casu, & eos non cõputare in sortem propter ea, quæ ibi dicta sunt.

7. Vltimo quæritur, an si quis mutuaret genero summam debitam pro dote, & acciperet ab eo possessionem, quam habet in pignus, posset non computare in sortem fructus illius possessionis, sicu ei gener faciebat. Baldus in rubrica codice de vsuris dicit quod non, & ratio eius est, quia mutata persona mutatur priuilegium, quoties persona est immediata causa priuilegij. Sed hæc non est bona ratio, quia hoc non est priuilegiũ, vt dictum est, sed est ius commune; ratio ergo est quia cum iste mutuans mutuet propter lucrum, est vsurarius. Secus esset si fructus illius possessionis acciperet pro interesse lucri cessantis, vel damni emergentis.

MEMBRVM QVINTVM.

De vsura, quæ contingit in contractu societatis.

1 *Cuius periculo debeat stare capitale positum in societate.*

2 *An in contractu societatis liceat assecurare capitale.*

3 *Aliquorum casuum occurrentium in societate discussio.*

4 *Quid iuris de societate in animalibus.*

5 *An pro mercede custodiæ animalium liceat accipere eorum fructus.*

6 *Discussio aliquot casuum in societate animalium occurrentium.*

1 IN hoc membro primo quæritur cuius periculo debeat stare capitale positum in societate. Dicendum est cum communi sententia, quod capitale perit ei qui illud ponit; ita D. Thomas secunda secundæ qu. 78. ar. 2. & Caetanus ibidem, & Sotus lib. 6. de Iust. & Iure, quæst. 6. artic. 1. Nauarrus in Man. cap. 17. numero 252. Glosa l. si nõ fuerit. ff. pro Socio, Bartolus & Baldus libro primo. Cod. pro socio, & probatur.

Primo quia dominium capitalis remanet penes ponentem illud, ergo si perit, illi

illi eidem perit, res enim quæ pereunt dicunt domino petire.

Secundo probatur, quia alias non esset æqualitas, quæ maxime est spectanda in fotietate, nam alteri focio sufficit perditio operarium.

Tertio probatur, quia si tota pecunia est salua, redit ad illum, qui eam posuit, ergo pari ratione si tota perit, debet perire ei, qui illam posuit.

2. Secundo quæritur, an in contractu societatis liceat assicurare capitale hoc modo, do mille aureos in societatem mercaturæ, quæ communiter reddit centum quinquaginta pro lucro; tu per operis accipis quinquaginta, ego pro nummis accipio centum, licet ne facere, vt tu assicures mihi capitale datis alijs quinquaginta sibi, ita vt mihi remaneant tantum quinquaginta pro lucro?

Hic sunt tres contractus. Primus societatis, dando mille ad societatem ad commune lucrum, quod communiter est quindecim pro centum. Secundus contractus est assicurationis capitalis. Tertius solutio lucri certi minoris per maiori incerto, vnde mihi remanebunt quinque pro centum, & hoc communiter fit, vt dicit Nauarrus ad tollendas suspiciones, & molestias rationum.

Ostiensis in sum. dicit hoc licere faciendo pactum si capitale pereat in negotiatione in fortuna, sed hoc nihil est. Ioannes Andreas capitulo per vestras, de donatione inter virum, & vxorem, dicit hoc licere in fauorem pupillorũ, viduarum, & Ecclesiæ; sed contra est, quia si iste contractus de sua natura est vsurarius, per quoscunque fiat, semper erit vsurarius. Dom. Sot. lib. 6. de Iust. & Iur. q. 6. ar. 2. dicit hunc contractum esse vsurarium, quia per contractum assicurationis alter solus fit dominus rei meæ, & hoc probatur quia post contractum assicurationis poterit socius vti pecunia, quam ego posui in societatem, prout vult, & ita erit lucrum ex mutuo.

Secus autem dicit, quod est, si contractus assicurationis fieret cum alio tertio; idem dicit Dom. Bannes de Iust. & Iur. q. 78. sed hæc ratio Soti est nulla, quia non est verum, quod propter hoc transferatur dominium capitalis; deinde quia possum obligare socium, vt expenderet pecuniam in mercatura & in tali mercatura ex vi societatis.

Rursus ipse viderit in qua re expendat; nam intentio mea erit, vt expendat eam in tali mercatura, & ipse tenebitur expendere eam in tali Mercatura, prout exigit contractus societatis, quod si nõ faciat tenebitur mihi dare illud interesse ratione damni dicti. Caet. in opusc. decem & septem responsionum. q. 3 dicit totum hoc licere, si seorsim fiant diuersis temporibus omnes tres contractus, primus Societatis, secundus assicurationis, & tertius determinationis lucri.

Alia opinio verior est quæ dicit posse fieri vnum tantum contractum æquiualentem his tribus, verbigratia do tibi mille in societatem cum assicuratione capitalis, & determinatione lucri; ita vt habeam quinque pro centum, & capitale securum sit; ita dicit, Maior in 4. d. 15 q. 49. Coar. lib. 3. variarum resolutionũ cap. 2. nu. 4 & Nau. in Man cap. 17. nu. 154. & tribus alijs sequentibus, & probatur.

Primo ratione Maioris, quæ valet cõtra Sotum, quia si possunt hos tres contractus facere cum diuersis, quare non possunt facere cum eodem.

Secundo probatur ratione Nauarri, quæ facit contra Caetanum, quia si licitum est facere hos tres contractus seorsim, quare non licebit etiam facere cõtractum tantum æqualentem his tribus.

Tertio probatur, quia vt dicit Nauarrus de hoc est Lex Imperialis in Germania, in Gallia, & in Italia sunt multi cõtractus similes præsertim Genuæ, idem ait Syluester in sum. verbo societas 1. §. 2. & Armilla in summa. Intelligi autem debet hæc determinatio cessante omni fraude, & simulatione, & vt corã Deo formaliter, aut æqualenter tres præ dicti contractus.

Sed dices, Sixtus V. in extrauaganti, quæ incipit detestabilis auaritiæ, damnat hanc assicurationem capitalis in societate. Respondeo quod meo Iuditio

Sixtus

Sixtus V. tantum damnat eam assicurationem, qua fit contra naturam societatis absque eo, quod detur socio pretium assicurationis, & clici potest ex principio ipsius Bullæ; licet melius esset hunc contractum assicurationis non admittere, & ita consulendum est illis, qui volunt ponere pecunias in societatem; nam est res periculosissima, & Bulla Sum. Pontificis videtur esse generalis, & generaliter loqui, & in conscientia consulendum est, id quod est tutius.

3. Tertio quæritur de hoc casu, an sit licitus; est aliquis, qui dat pecuniam in societatem, quæ scit nō positurum in negotiationem cum tribus prædictis contractibus, vt si daret Militi, aut Clerico indigentibus? Respondeo quod esset vsura, quia non esset vera sed simulata societas, qua mutuum palliatur.

Quarto quæritur. Ponit aliquis pecuniam cum pacto, vt sit communis cū socio ponente operas, & vtrque subsset periculo capitalis? Respondeo quod hic casus est licitus secundum omnes Doctores, & habetur ex Nau. in Man. cap. 17. nu. 253. & de hoc non est dubium.

Quinto quæritur. An sit licitus hic casus; aliquis, qui negotiatur pecunia aliena facit pactū vt omne lucrum quod fit in merce detur illi, qui posuit pecuniam, & ipse accipiat aliquid liberum ab omni periculo pro suo labore, & sua industria? Respondeo cum Nau. capit. citato nu. 258. affirmatiuè, quia huiusmodi contractus non est proprie societatis, sed locationis operarum.

Sexto quæritur, an hic casus sit licitus. Petrus legat Beneficiato alicuius Ecclesiæ Mille aureos nummos, vt perpetuo singulis annis tot Missæ celebrentur, quot ex lucro illorum nummorum ad rationem quinque pro centum dici poterunt? Respondeo legatum esse licitum, & debet legatarius ex ea pecunia emere censum perpetuum redimibilem, vel potius si fieri potest irredimibilem ad ratione vnius pro viginti, vel alia prædia, quæ reddant saltē quinque pro centum.

Septimo quæritur, an hic casus sit licitus. Petrus vere coram Deo contulit pecuniam in societatem in com... e lucrum, & damnum, sed à socio p... cam mutui scripturam accepit, vt diligentior esset socius in negotiatione? Respondeo quod est illicitus hic casus, quia in eo mentitur, Petrus posset voluntatem mutare, & reposcere pecuniā mutuatam, si periret etiam casu fortuito. Quare huiusmodi scripturam debet rescindere, si vult participare de lucro; ita Nauarrus in Man. cap. 17. nu. 25.. quod etiam debet facere, quia posset mori, & hæredes eius possent illam pecuniam reposcere, si sit amissa in negotiatione sine culpa socij.

4. Octauo quæritur, quid iuris de societate in animalibus? Ad hoc responsum est in antecedenti cap. quod breui regula deffiniri possunt omnes quæstiones in hac materia iuxta Syluestrum, in verbo societas 2. quæ regula est, quod si capitale non fieret in toto, nec in parte periculo accipientis, nisi interueniat contractus assicurationis, non potest ibi esse vsura, & si neutra pars arbitrio boni viri nimiū grauetur omnibus circūstantijs consideratis non poterit esse iniustitia; sed tantum pro rudioribus de tribus casibus quæritur.

5 Quæritur igitur primo, an hic casus sit licitus, Petrus dat sua animalia Ioanni ad custodiam pro mercede, & accipit eius fructus? Respondeo quod hic casus est licitus, sicut licitus est casus, si Ioannes conduceret ipse animalia, soluendo certum quid singulis mensibus, vt habeat hoc & fructus; nam similes contractus non sunt societatis, sed conductionis, vel locationis, & liciti, dummodo merces, vel pretium sit moderatum ad arbitrium boni viri, ita Syluester in summa verbo societas 2 §. tertio.

6. Secundo quæritur de hoc casu, an sit licitus; Petrus dat boues alicui sub aliqua pensione, puta vnius aurei nummi in mense, cum reddant quinque, vel sex, cum pacto, quod etiam si moriātur, tamen dicta pensio soluatur dicto tempore vitæ Petri, non secus ac si viuerēt. Post mortem vero Petri boues sint eius

cui

cui Petrus dedit si erunt viuæ? Respondeo secundum Ioannem de Legnano, quod hic contractus est licitus, nisi à principio contractus boues fuissent infectæ morbo aliquo, & ille cui datæ sũt non aduertisset; ita tenet Syluester in summa verbo societas 2. § 3.

Vltimo quæritur de hoc casu, an sit licitus; Petrus dat oues Francisco cum pacto, vt post annum recipiat Petrus pretium ouium, & quod superest diuidatur. Respondeo quod hic contractus est licitus, & non potest esse vsurarius, si Petrus stet periculo capitalis; & notandum est, quod contractus societatis animalium potest variari multis modis secũdum diuersam consuetudinem diuersorum locorum, secundum diuersa animalia, & secundum diuersitatem maioris, vel minoris temporis; sed si attendantur suprascripta, & regulæ, omnes casus facile poterunt solui.

† † †

§ §

MEMBRVM SEXTVM.

In quo quæritur de Monte pietatis, an sit vsurarius.

1 *Quid sit mons pietatis, & quomodo constituatur.*

2 *Doctorum opiniones contra montem pietatis.*

3 *Mons pietatis quomodo sit licitus.*

1 Mons pietatis est certa summa pecuniæ collectæ in vsum pauperum ad mutuandum eis, vt subueniatur eorum necessitati.

Hic mons potest fieri, vel per pecuniam ab vno particulari datam ad hunc effectum, vel à communitate, vel per pecuniam collectam ex multorum oblationibus.

Potest etiam fieri mons pietatis per summam vini, frumenti, milij &c. præsertim iustitiis quemadmodum fit in multis pagis in Hispania, vt dicit Sotus.

Hic mons pietatis habet hæc tria capitula, quæ describuntur à Caet. in Opusculis.

Primo deputantur à communitate aliqui, qui custodiant hanc pecuniam, & præsto sint pauperibus ad mutuandũ aliquam summam pecuniæ, puta sex aureos nummos ad summum & infra tantum, & non in plus temporis, puta intra annum restituendos, & hoc vt bonum possit fieri commune.

Secundo quod pignora ab accipientibus mutuo sumant, & suo periculo

& custodiant in domò ad hoc cōducta, & restituentibus pecuniam reddant; si intra annū nō reddatur pecunia mutuata, vēdatur pignus, & accepto capitali, quod superest dent Domino pignoris venditi, quod fit, vt mons pietatis recuperetur pro alijs pauperibus.

Tertio exigantur tot denarij, quot librae singulis mensibus, & hoc tantum pro expēsis ministrorum, qui ad hoc debent conducere domum, custodire pignora suo periculo, ita vt si culpa eorū pereant, ipsi ministri soluant pignora.

Item custodire montem, idest pecuniam scribere ingressus & egressus, & esse parati ad mutuandum.

His positis sciendū quod dubiū est de tertio capitulo; Nam de duobus primis nulla est dubitatio, quia sunt res sanctae; Caetanus in Opusculis & Sot. lib. 6. de Iust. & Iur. qu. 1. art. 6. dicunt hoc tertium capitulum esse iniustum, & propterea montem pietatis esse vsurariū si contineat tertium capitulum, quod sic exponunt ministri tria faciunt.

Primo mutuant, & reddunt pignora, & haec debent fieri gratis.

Secundo accipiunt pignus, & conseruant, & si sunt vestes excutiunt, scribunt datū & receptū, custodiunt montē idest pecuniā atq; propter haec videtur mereri stipendiū, sed hoc debet accipi à communitate, vel à dante pecuniam in montem, quia hoc est in fauorem montis, & non in fauorem pauperum.

Tertio ministri habent obligationē dandi pauperibus mutuū, cū petunt, seruandi pignus suo periculo, atque haec recedunt in fauorem pauperum, & de hoc debent ministri stipendiariā pauperibus.

2. Dicunt ergo dicti Doctores Caet. & Sotus in hoc monte esse tres iniustitias. Prima quia pauperes soluunt stipendia pro tota opera ministrorum, cū tamen debeant tantum pro parte minore, & pro maiore debeat communitas.

Secunda iniustitia est, quia non omnia pignora sunt aequalia, quaedam enim non egent excussione, vel solicitudine, tamen pro omnibus aequaliter exigitur.

Tertia iniustitia est, secundū dicta capitula tanto plus soluitur quāto diutius pignus retinetur, vsura autē est date plus pro maiori dilatione temporis: Opposita sententia est Medinae Cod. de vsuris, Nau. in Man. cap. 17. num. 213. quae sententia probatur.

Primo quia secundum omnes ministri sunt ab illis stipendiandi in quorum fauorem tota opera cedit, cedit autem in fauorem pauperum, & hoc patet, nā non cedit in fauorem dantis pecuniam, idest illam summam montis, seu communitatis, quia hoc nihil illi accrescit.

Secundo habentes officia publica, quibus ministrant priuatis personis, si non habent stipendium pro officio à Repub. possunt accipere ab illis quibus ministrant, ergo &c.

Tertio talis mons fuit approbatus à Paulo II. Sixto IV. Innocentio VIII. Alexandro VI. Iulio II. & nouissimè à Leone X. sit annuente Concilio Lateranensi, vt habetur sess. 10 e iusdem concilij, & patet ex bulla eiusdem in qua bulla conferuntur indulgentiae ijs, qui huic monti conferunt manus adiutrices, & excommunicantur excommunicatione latae sententiae illi, qui contradicunt huic monti.

Sed respondent primo Caet. ad has auctoritates Pontificū, & praecipuè ad auctoritatē concilij Lateranensis, quod Leo Papa approbat Montem pietatis cū hac conditione scilicet nisi sit cōtrarius Sacris Canonibus.

Verum haec responsio nihil valet; nā primo vel Papae fuit propositum tantū hoc, an liceat mutuare pauperibus accepto pignore, & hoc non indigebat declaratione Pontificis, quia clarissimum erat quod sic; vel proposita fuit Papae res tota cum suis capitulis, & tunc Papa approbauit rem totam.

Secundo illa conditio non est in Bulla, quod si esset intelligenda, Papa nihil deffiniuisset, quia hoc ab ipso quaerebatur, scilicet an Mons pietatis esset contra Canones, i dest an esset licitus.

Tertio expresse habet Bulla pauperes posse aggrauari de omnibus expēsis, licet melius esset tantum aggrauari pro ali-

aliqua parte.

Respondet secundo Sotus vbi supra non omnia acta illius concilij fuisse accepta, vnde & Caetanus in sum. verbo excom. dubitat de censuris illius concilij, an valeant &c. & Miranda in sum. conciliorum dicit vsu abrogatum, sed contra est quod licet censuræ vsu possint abrogari, decisiones tamen fidei, vel morum factæ à Concilio Generali sunt æternæ veritatis, & irreuocabiles.

Respondet tertio idem Sot. loco supra citato, & Caetanus vbi supra quod decidere an Mons pietatis sit licitus non pertinet ad Sum. Pontificem, vel ad concilium, sed ad Philosophiam moralem; verum hoc est temerariè dictum primo quia Papa, & Concilium Soto & Caetano sapientiora putarunt se posse id decidere. Secundo hoc pertinet ad materiam peccati mortalis, de quo decidere est Papæ, & Concilij. Tertio hoc modo ruerent omnes decisiones Iuris Canonici circa vsuras.

Dicendum est ergo in hac materia, quod melius esset si communitas stipendiaret omnes operas ministrorum, vt dicitur fieri Mediolani, Brixiæ, Veronæ, & alibi, & hoc patet quia hoc dicitur in dicta Bulla Leonis X. & per hoc colletetur tota controuersia, quæ est inter Caetanum, Sotum, & alios Doctores.

3. Dicendum est secundo, quod aliqui possunt soluere pauperes pro operibus ministrorum, quatenus Mons pietatis cedit in immediatum fauorem eorum.

Dicendum est tertio, quod aggrauare pauperes de omnibus impensis ministrorum non est iniustitia, quod probatur primo rationibus iam allatis, secundo quia licet mihi pro mutuo dato accipere pignus ad meam assicurationem, & illud pignus non teneor seruare meis expensis, si indiget opera, quia ex mutuo dato nullum debeo reportare damnum; ergo pari modo dicendū est de ministris Montis pietatis; atque hinc patet solutio iniustitiarum quas ponunt Caetanus, & Sotus.

Ad primam enim dicēdum est, quod nulla est iniustitia, quia omnes operationes ministrorum cedunt in fauorem pauperum.

Ad secundam dico quod etiam si pignora sint diuersa, æquale tamen accipitur æqualitate tamen morali, quæ in humanis habet locum.

Ad tertiam dicendum est, quod plus soluitur non ob dilationem maiorem temporis; sed quia plus merentur ministri, quando diutius seruantur pignora.

MEMBRVM SEPTIMVM.

De vsura, quæ est in contractu assicurationis, & fideiussionis.

1 *An licitum sit mutuare alicui pecuniam cum pacto, vt faciat me assicuratorem pro mercibus, quas emet, soluta aliqua pecunia pro tali assicuratione.*

2 *Quid teneatur facere assicurator in tali casu.*

3 *Assicuratio an sit licita, si fiat pro pecunia.*

4 *Assicurationis conditiones, vt licitè fiat.*

5 *Fideiussor an possit aliquid accipere pro fideiussione.*

DE assicuratione, quid est, & quotuplex sit, satis dictum est in Antecedenti Membro secundo, & propterea nunc tantum.

1. Quæritur primo vtrum licitum sit mutua-

mutuare alicui mercatori pecuniam cũ pacto, vt faciat me assicuratorem pro mercibus, quas emet, soluta aliqua pecunia pro tali assicuratione.

Respondeo quod hic casus esset vsurarius, quia vltra sortem capitalis pro mutuo, exquiro hanc obligationem ciuilem, vt mutuatarius obliget se ad faciẽdum me assicuratorem soluto pretio dictæ assicurationis, & hic casus damnatur in capitulo nauiganti de vsuris.

2. Secundo quæritur quid teneatur facere assicurator, qui assicurauit in prædicto casu? Respondeo quod debet relaxare obligationem quam habet mutuatarius aduersus eum faciendi eum assicuratorem, non tenetur tamen reddere pretium assicurationis, quia illud pretium non datur pro mutuo, sed pro assicuratione, sicuti si quis mutuauit alicui cum pacto, vt vadat ad suum Molendinum, tenetur relaxare obligationem, sed non tenetur restituere id, quod lucratus est eo quod mutuatarius iuerit ad Molendinum.

Tertio quæritur, an assicuratio sit licita, si fiat pro pecunia? Communis sententia est, quod sit licitum assicurare, & pro tali assicuratione accipere pecuniã, vel aliud pecunia æstimabile: Ita Sot. de Iust. & Iur. q. 2. Syluester in sum. verbo negotiatio, Couaruuias lib. 2. variarum resolutionum cap. 2. num. 5. & per ipsum citati, & probatur primò quia hæc obligatio, & hoc periculum est pecunia æstimabile. Secundo possunt fieri variationes pro futuro euentu incerto, ergo & pro hoc futuro euentu potest fieri variatio. Tertio hic contractus est vtilis Reipub. quia multi sic negotiantur, alias non negotiaturi.

4. Vt autem hic contractus sit licitus sunt seruandæ hæ conditiones. Primo ne fiat excessus in eo quod accipitur pro assicuratione; sed tamen accipiatur quantum vir prudens accipiendum iudicabit.

Secunda vt vere sit periculum in re assicurata, quia si nullum est periculum, illa obligatio est fere nulla, nec aliquid accipi pot, sicuti qui vad atione facit nõ potest recipere tuta conscientia, idest habere pretium victoris, si certo scit se victurum, ita vt nullum sit periculum perdendi.

Tertia vt assicurans habeat tantum, quod periculo exponat, quanti valet illa mers alioqui si est mẽdicus nihil assicurat, & propterea si lucratur videtur teneri ad restitutionem.

5. Quarto quæritur de fideiussore, an possit aliquid accipere pro fideiussione. Nau. in Man. cap. 17. num. 283. & multi alij dicunt, quod licet aliquid accipere pro fideiussione, quando est aliquod periculum quod ille pro quo fit fideiussio non soluet, aut si est periculum laboris, vel expensarum in exigenda sorte. Sanctus Bernardinus in tractatu suo de restitutione tenuit contrarium, & ratio eius fuit, quia fideiussor tantum obligat se ad mutuandum, pro mutuo autem nihil potest accipi.

Verum dicendum est quod id, quod accipitur, non accipitur pro mutuo, sed pro obligatione, quam habet fideiussor ad mutuandum, & pro periculo, quia est se fideiussorem periculosum est. Dicitur enim prouerbiorum 17. stultus homo plaudit, cum spoponderit pro amico, & cap. 22. dicitur, noli esse cum his, qui vades se offerunt pro debitis. Opinionem Nauarri habet etiam Syluester in sum. verbo vsura 7. §. 45. Caet. 2. 2. q. 78. ar. 2. ad quartum argumentum. Sot. lib. 6. de Iust. & Iure. q. 1. ar. 2.

Notandum est hic ex Nau. vbi supra, quod vsura esset si nollem tibi mutuare, nisi mihi fideiussionem paulum præstes, cum quo conueni, vt pretium fideiussionis partiatur inter me & ipsum, & ipse petet tale pretium.

MEMBRVM OCTAVVM.

In quo sunt videndæ causæ, ob quas licitum sit aliquid accipere à mutuatario vltra sortem.

1 *Causa, ob quas licitum sit accipere aliquid a mutuatario præter sortẽ.*
2 *Liceatne aliquid accipere titulo donationis.*
3 *Vsura quotuplex, & eius diuisiones.*
4 *In mutuo quomodo possit quis peccare ex intentione.*
5 *Hic contractus an sit licitus, mutua mihi centum ad annum, & ex nunc pro tunc dono tibi Decem.*
6 *In mutuo an possit accipi aliquid vltra sortem ratione damni emergentis.*
7 *Vtrum aliquid ratione lucri cessantis.*
8 *Conditiones requisitæ, vt hoc licitè fiat.*
9 *Conditiones requisitæ à Conrado in hoc contractu.*
10 *An liceat ratione pœnæ aliquid accipere in mutuo.*
11 *Pœna alia legalis, alia iudicialis, alia conuentionalis.*
12 *In mutuo an liceat accipere vltrà sortem aliquid iam debitum alio titulo.*

1 IN hoc membro primo quæritur, quot sint causæ ob quas videtur posse accipi aliquid à Mutuatario vltra sortem? Respondeo quod possunt esse quinque, idest donatio, damnũ emergẽs, lucrum cessans, pœna, & debitio ipsius, quod datur vltra sortem.

2. Secundo quæritur in particulari, an ratione donationis possit aliquis accipere aliquid vltra sortem à mutuatario.

Notandum est quod duplex est vsura, alia aperta, quæ est quando accipitur lucrum ex mutuo non palliato alio contractu; Et palliata, quæ est quando accipitur lucrum ex mutuo palliato alio contractu.

3. Rursus duplex est vsura, scilicet mentalis, & realis, mentalis est quando aliquis mutuat, cum spe recipiendi ex mutuo aliquid vltra sortem: realis est quando in effectu accipitur aliquid ex mutuo vltra sortem.

Rursus vsura realis, alia est pactionalis, alia non pactionalis; pactionalis est quando ex pacto præcedente datur aliquid vltra sortem: non pactionalis vero est quando illud non datur ex pacto.

Similiter & vsura mentalis potest esse pactionalis, & non pactionalis. Hoc notato ad quæsitum, dico quod si aliquis mutuat cum spe recipiendi aliquid non ex mutuo principaliter, sed ex amicitia, & gratitudine, non peccat, nec committit vsuram mentalẽ; & si in effectu recipit aliquid vltra sortem tanquam gratuitum donum prouenientes ex gratitudine mutuatarij, non cõmittit vsuram, nec peccat, vt dictum est in primo membro.

Verum quoniam aliquando potest contingere quod ille qui dat vltra sortem, dat ex mutuo, & ille qui accipit accipit ex gratitudine, vel e contra notanda sunt hic quatuor.

Primum est quod ille, qui dat vltra sortem, dat ex mutuo, & ille, qui accipit accipit ex mutuo, ille qui accipit est vsurarius, & peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem illius quod accipit vltra sortem.

Notandum est secundo quod ille, qui dat vltra sortem non dat ex mutuo, sed ex gratitudine, & ille, qui accipit, non accipit tanquam datum ex mutuo, sed ex gratitudine credens illud dari prout datur ex gratitudine, non est vsurarius, nec peccat, neque tenetur ad restitutionem.

4. Notandum est tertio, quod si intentio claudicat ex parte accipientis mutuum, & dantis vltra sortem, quia dat tanquam ex mutuo; mutuans autem non mutuauit intentione accipiendi aliquid vltra sortem ex mutuo, & id quod accipit vltra sortem accipit, vt munera, credens sibi ex gratitudine dari, non est vsurarius, nec peccat, ad restitutionem tamen tenetur, quando scit non libere sibi hæc esse donata, si ex illis factus esset locupletior, si vero non factus est locupletior, non tenetur ad restitutionem quia bona fide ad omnia se habuit.

Notandum est quarto quod si intentio claudicat tantum ex parte mutuantis; ita quod mutuans corrupta intentione mutuet, & accipit aliquid ex animi gratitudine, & beneuolentia ignota ipsi mutuanti, mutuans inuoluitur peccato mortali vsuræ, & non potest retinere id, quod turpiter ex parte sua accepit; sed quantum est ex parte suæ cōscientię tenetur restituere illi qui dedit. Verum si postea nouit gratiose sibi donatum potest acceptare vt donatū, nec tenetur restituere, sed pænitentiam agere de suo peccato.

5. Sed hic est dubitatio; an hic contractus sit vsurarius, mutua mihi centū ad annum, & ex nunc pro tunc dono tibi decem. Medina Cod. de vsura. q. 3. negat hunc contractum esse licitum. Primo quia non est donatio, quia fit coactè ex necessitate pecuniæ. Secundo quia mercator mutuat illa centum propter illa decem, & sic committit vsuram. Tertio illa donatio est cum obligatione mutuationis, ergo non est donatio; & ita credo dicendum esse quia id, quod datur vltra sortem videtur stipendium mutui.

6. Tertio quæritur vtrū in mutuo possit accipi aliquid vltra sortem ratione dāni emergentis? Respondeo secundū communem doctorum opinionē quod si ille, qui mutuat incurrit damnum aliquod, & deducit in pactum, vt soluatur sibi vltra sortem suum interesse, quod incurrit ex mutuo, verbigratia quia accepit sub vsuris vt mutuet illi; vel quia minoris vendit suam rem, vt habeat pecuniam quam illi mutuet, non est vsurarius, nec peccat, quia nullum ex mutuo lucrum est hic, sed sola euitatio proprij damni, non enim tenetur mutuans, ex eo quod mutuet pati aliquod damnum; similiter esset si quis haberet paratas pecunias ad reficiendam domum ne corruat, & illas mutuat; similiter si quia mutuatarius, vel alius debitor non soluit ad diem præstitum domus ruit, triticum duplo carius emit, aut res suas viliori pretio vendit, ut satisfaciat suis debitoribus, & sic de similibus.

7. Quarto quæritur vtrum ratione lucri cessantis possit mutuans accipere aliquid vltra sortem à mutuatario? Respondeo quod si quis vere habet pecuniam in promptu, & vult eam exponere in negotiatione, & dum est in promptu vt pecuniam negotiationi exponat, rogatur ab amico, vt ei eam mutuet, non est vsurarius, nec committit peccatum, si vt amico, vel proximo subueniat ei mutuat, & damnum cessantis lucri sibi persolui vltra sortem deducit in pactū. Ita Caetanus in summa verbo vsura. Medina qu. 3. Cod. de vsuris, Nau. in Man. cap. 17. nu. 212. & alij multi: Et notandum est diligenter quod vt non sit vsura in dicto casu necessario debent adesse hæ duæ conditiones.

8. Prima est quod mutuans propter hoc mutuum vere cesset à negotiatione, quam volebat exercere tunc; quod tunc non potest esse quando mutuans non habet aliam pecuniam, quam potest mutuare, quia si aliam habet non impeditur à lucro propter mutuum; Ita Caetanus loco citato. Secus tamen esset, inquit Nauarrus loco citatò, si talis mutuans habebat centum aureos nummos verbigratia in arca, quos

nole-

nolebat ponere in mercaturam, sed seruare ad fortuitas necessitates.

Secunda conditio est quod hic contractus debet fieri vno ex duobus his modis, videlicet vel confuse hoc modo; mutuo tibi hæc, quæ volebam ponere in mercaturam, & ideo dabis mihi tantum vltra sortem quantum apparebit esse lucri cessantis, si nihil nihil, si multum multum; sed addendum esset quod etiam capitale staret periculo, sicuti in mercatura stat periculo dantis; ita vt si perderet in mercatura, illud lucraretur mutuatarius.

Rursus potest fieri pactum de certa summa pecuniæ, quæ non debet æquare totum lucrum cessans, si enim fiat pactũ ante, non debet deduci in pactum totũ lucrum, quod sperabatur ex illa negotiatione, quia lucrum in potentia non est adhuc, & potest multipliciter impediri, & propter hoc non valet tantum, quantum si esset actu, vnde potest aliqua pars lucri cessantis ad arbitrium boni viri taxari, vt sit licitus contractus.

9. Conradus qu. 30. de contractibus, Syluester verbo vsura §. 19. addunt alias conditiones; quarum prima est, vt mutuans in tali casu non sit assuetus dare ad vsuram; sed hæc conditio non procedit in foro conscientiæ, in quo foro credendũ est confitenti, & non præsumptionibus.

Secunda conditio quam ponunt dicti Doctores, vt mutuatarius non egeat extremè; quæ conditio etiam non videtur necessaria, quia sufficit mutuanti, vt illi subueniat, nec tenetur illi subuenire gratis, & cum suo dãno, cũ est spes, quod ille sit prouenturus ad pinguiorem fortunam.

Tertia vt mutuans propter hoc non incurrat in infamiam vsurarij apud simplices, cum omnis speties mali sit fugiẽda, & illud lucrum habeat spetiem vsuræ; sed hæc conditio licet sit necessaria ad euitandum peccatum scandali, non est tamen necessaria ad euitandum vsuram.

Dom. Sotus addit aliam conditionem lib. 6. de Iust. & Iur. q. 1. ar. 3. videlicet, quod ille qui mutuat inuitus, puta propter metum Principis, vel quando differtur solutio debiti inuiso creditore volente pecuniam ponere in mercem; sed neque hæc conditio est necessaria, quia lucrum cessans si bene consideretur est damnum emergens, quia est amissio rei, quæ habetur in spe idest lucri, sed propter damnum emergens possumus accipere tantum quantum patimur vltra sortem ex mutuo, etiam si mutuum non fiat coactè secundum omnes Doctores, ergo & propter lucrum cessans.

10. Quinto quæritur, vtrum ratione pœnæ licitum sit accipere aliquid vltra sortem in mutuo? Ad hoc autem intelligendum notandum est quod triplex potest esse pœna, quantum ad hoc propositum attinet.

11. Prima est legalis, quia videlicet de hoc est statutum, verbigratia est lex, quod tutor ex pecunijs pupilli vel emat possessiones, vel soluat illi in pœnam quinque pro centum.

Secunda est iuditialis, vt si Iudex debitori conuicto percipiat, vt reddat debitum intra tantum tempus sub pœna quod si intra dictum tempus non soluit, det decem pro centum vltra capitale, & de his duabus pœnis nulla est dubitatio, nam sunt licitæ secundum omnes Doctores.

Tertia pœna est conuentionalis, quæ fit ex consensu partium, cum apponitur pœna mutuatario de consensu ipsius mutuatarij, quod nisi infra tale tempus restituat id quod mutuo accepit, det vltra sortem decem pro centum, & hæc pœna etiam est licita, quia mora est culpabilis, ergo digna pœna.

Notant autem hic Doctores, quod vt hæc pœna sit licita non debet apponi spe lucri, sed vt ille qui mutuo accepit timore incurrendi in illam pœnam statuto tempore soluat.

Secundò vt hæc pœna non imponatur ei qui iam à principio creditur, quod eo tempore soluere non possit.

Tertiò, vt hæc pœna non exigatur ab eo, qui sine sua culpa per impotentiam soluere non potest, quia vbi non est cul

pa

pa non debet esse pæna.

12 Vltimo. Quæritur vtrum possit aliquis in mutuo accipere aliquid vltra sortem, quando id, quod datur vltra sortem alias debetur? Respondeo affirmatiuè, & hoc potest fieri multipliciter, ut si mutuo tibi centum, cum pacto vt reddas centum, & decem, quæ decem debes mihi, quia dedi tantas merces, &c.

Secundò quando dominus directus accipit feudum in pignus, aut gener accipit possessionem in pignus dotis, vt dictum est supra Membro 4.

Tertiò si impignoretur mihi res mea fructifera iniustè à Petro detenta, cum enim sit mea tum possum accipere fructus illius.

MEMBRVM NONVM.

De restitutione vsuræ, seu bonorum ex vsura acquisitorum.

1. *An vsurarius acquirat dominiũ rei aquisitæ per vsuram.*
2. *Bona vsurarij an hyppothecata sint restitutioni.*
3. *Vsurarij bona quotuplicia sint.*
4. *Contractus vsurarij an sint validi.*
5. *Famulus vsurarij an possit à domino accipere stipendium, cum eo soluto dominus manet impotens ad soluendas vsuras.*
6. *Pupillus an possit frui bonis ex vsura tutoris aquisitis.*
7. *Hæredes vsurariorum an teneantur ad restitutionem vsurarum.*
8. *Hæres non confecto inuentario an teneatur ad restitutionem vsurarum vltra vires hæreditatis.*
9. *Cooperatores vsurarij an teneãtur ad aliquam restitutionem.*
10. *Quid de Iudice, aduocato, aut agente, quorum ministerio vsura solutæ sunt.*
11. *Quid de ministris portantibus pecuniam.*
12. *Quid de consultore.*
13. *De notario, qui scripsit instrumentum vsurarium.*
14. *De testibus horum instrumentorum.*
15. *Quid de proxenetis vsurarum.*
16. *Lucrum factum ex vsuris an sit obnoxium restitutioni.*

1 IN hoc membro primo quæritur, an vsurarius acquirat dominium rei acquisitæ per vsuram; & hoc quæritur pro fundamento eorum, quæ dicenda sunt. Et videtur quod sic, primo quia habetur in institutionibus tit. de rerum diuisione, quod nihil est tam conueniẽs naturali æquitati, quã voluntatem Domini ratam habere volentem rem suam in alium transferri; sed hoc videtur velle mutuatarius, imo fortasse exprimit verbo.

Secundo lex prohibet dare ad vsurã, non tamen videtur irritare acceptionẽ vsuræ, idest lucri ex mutuo, quemadmodum lex prohibet ei, qui vero simplici vouit castitatem, ne matrimonium contrahat, tamen si illud contrahit est validum.

Propter has & similes rationes. Glosa 14. q. 4. capitulo si quis vsuram, Henricus quodlibet 4. q. 27. Paludanus in 4. d. 15. q. 2. ar. 5. Adrianus tractatu de restitutione, & Scot. in 4. d. 15. dixerunt quod vsurarius acquirit dominium rei acquisitæ per vsuram.

Opinio negatiua est communis D. Thomæ secunda secundæ qu. 78. art. 3. Cae-

Caetani ibidem, Syluestri in sum. verbo vsura 4. vbi & dicit hanc esse opinionē communem Theologorum, & Canonistarum. Dom. Soti lib. 6. de Iust. & Iur. q. 1. ar. 4. & aliorum, & hæc est vera & probatur.

Primo si transfertur dominium in mutuantem rei acquisitæ per vsuram, hoc est vel ratione traditionis; vel ratione voluntatis dantis; vel ratione legis id concedentis: non primum quia pura traditio nunquam arguit alienationem rei nisi præcesserit iusta causa, vt habetur lege nunquam ff. de rerum dominio, sed in casu proposito nulla præcedit causa iusta, sed tantum iniusta: non secūdum scilicet ratione voluntatis dantis, quia illud non potest esse aliter, quam per donationem, sed donatio nunquam potest præsumi nisi sint manifesta signa liberalitatis.

Rursus dans vsuram non potest vsurarium facere dominum qui a vsurarius est inhabilis ad hoc per legem tum naturalem, tum diuinam, tum humanam, Canonicam, & Ciuilem; vt probatum est in primo membro huius capitis. Non tertium, quia lex facit irritam hanc dationem; secūdo prædium acceptum per vsuram restituendum est vna cum fructibus; sed hoc non videtur posse esse propter aliam causam, quam quia fructus restant prioris domini, sed fructus non possunt restare prioris domini, nisi & prædium restet prioris Domini; plures alias rationes afferunt Doctores, quas ego ne longum faciam omitto.

Ad primam rationem factam in contrarium Respondeo quod voluntas debet esse libera, alioquin donatio est irrita; sed voluntas soluentis vsuras non est libera, quia non solueret si posset.

Rursus mutuatarius qui soluit vsuras, eas soluit pro mutuo; hæc autem solutio est irrita per leges.

Ad secundam rationem Respondeo quod leges non tantum prohibent vsuram, sed etiam irritam faciunt dationē vsuræ vt dictum est.

2. Secundo quæritur, an bona vsurarij sint hipothecata restitutioni, dicendum est cum Soto lib. 6. de Iust. & Iur. q. 1. ar 4. duplicem esse obligationem, alteram videlicet realem, alteram vero personalem; realis est quando res ipsa apud quemcunque sit manet obligata ad restitutionem; personalis est quando persona ipsa manet obligata ad restitutionem, & ratione personæ res ipsa.

3 Nunc sic, triplicia possunt esse bona vsurarij, quædam sunt per vsuram acquisita, quæ non cōsumuntur vnico vsu, vt domus, ager, vestis, & similia, & hæc manent obligata soluenti vsuras, apud quemcunque sint, quia illa obligatio est realis. Secundo quædam sunt acquisita per vsuram, quæ vnico vsu consumuntur. Tertio quædam sunt patrimonialia, siue vnico vsu consumptibilia, siue non; Et hæc duo posteriora non manēt obligata per se, sed ipsa persona vsuraria, & ratione personæ manent obligata bona personæ.

4. Tertio quæritur, an contractus vsurarij sint validi. Pro solutione huius quæsiti sunt notandæ duæ regulæ generales ex Soto lib. 6. de Iust. & Iur. q. 1. ar. 4. & Medina Cod. de vsuris.

Prima regula est, bona, quæ vnico vsu consumuntur, accepta per vsuram, nullo titulo, neque gratuito, scilicet a donatione, neque oneroso, puta emptione, vel in dote, possunt alienari, sed eadem numero debent redire ad suum dominum.

Secunda regula, in rebus quæ vnico vsu consumuntur spectandum est, an vsurarius illas alienās reddatur impotens ad soluendas vsuras, & prout redditur impotens non potest eas alienare.

Dico ergo primo quod vsurarius potest alienare omnia bona vnico vsu cōsumptibilia, si tamen remaneāt alia per quæ potest restituere vsuras, & similia quidem potest in dicto casu titulo tam gratuito, quā oneroso, & ratio est, quia nō est necesse, vt hæc eadem numero restituantur.

Dico secundo quod si vsurarius nihil habet nisi acquisita per vsuram, vel si habet bona propria, quæ non excedūt debitum vsuræ, non potest ea alienare titulo gratuito donando, neque oneroso, quo ei nihil refunditur, vt dotando filiā.

Dico

Dico tertio quòd hæc eadem poteſt alienare vſurarius titulo oneroſo, ſi tantundem ei reſtituitur, puta ſi emit agrū, quia in nihilo fit inhabilis ad reſtituendum.

5. Sed hic ſunt duæ dubitationes. prima eſt an famulus vſurarij poſſit à domino accipere ſtipendium, ſi eo dato dominus manet impotens ad ſoluendas vſuras; & hic loquor de famulo qui non ſeruit in negotio vſuræ? Reſpondeo vel hic vſurarius habet bona propria, vel habet tantum bona per vſuram acquiſita; ſi ſecundum, famulus nec poteſt petere ſtipendium, nec accipere, quia illa bona ſunt aliena; ſi primum vel famulus eſt prius creditor, quam ille, qui dedit vſuram, & tunc poteſt accipere, & petere debitum; vel eſt poſteri creditor, & tunc ſunt aliqui qui dicunt quod poteſt quidem accipere ſtipendium ſed non petere, quia eſſet inducere vſurarium ad peccādum, eo quod prius ſolueret nouis creditoribus, cum non habeat vnde ſoluat omnibus.

6. Secunda dubitatio eſt ſimilis de pupillo, cuius bona tutor dedit ad vſuram, an ſcilicet poſſit pupillus illam vſuram retinere? Reſpondeo primo quod pupillus poteſt retinere illam vſuram pro damno dato à tutore, & tutor tenebitur reddere vſuras, & hoc niſi vſuræ eſſent exceſſiuæ.

Dico ſecundo bona immobilia accepta per vſuram non poſſunt retineri à pupillo, quia eadem numero vt aliena ſunt reſtituenda, & tamen tutor tenebitur ſatisfacere pupillo de dāno quod patitur propter reſtitutionem.

Dico tertio quod ſi tutor eſt impotēs ad reſtituendas vſuras, tunc tenebitur pupillus, & de hoc vide Syluestrum verbo vſura 7. §. 5.

7. Quarto quæritur quomodo teneātur ad reſtituendum hæredes vſurariorum. Certum eſt hæredes vſurarij teneri ad reſtitutionem vſurarum, vt patet in capitulo, tua nos, de vſuris. & ratio eſt, quia hæredes tenent locum defuncti & in bonis, & in oneribus.

8. Sed hic eſt dubitatio, an hæres non confecto inuentario teneatur ad ſolutionem vſurarum vltra vires hæreditatis. Panormitanus capitulo in litteris de rectoribus, putat hæredem teneri ad reſtitutionem debitorum defuncti, etiam vltra vires hæreditatis; communis ſententia eſt oppoſita. Ego quidem teneream cum Syluestro in ſumma verbo vſura, §. 10. dicto 4. videlicet quod ſi bona defuncti non ſufficiunt ad vſuras reſtituendas, hæres in foro contentioſo tenetur reſtituere de ſuo, ſi adiuit hæreditatem, non autem in foro animæ; & ratio eſt quia lex contentioſi fori fundatur etiam ſupra præſumptionem; In foro vero animæ de omnibus creditur confitenti. Atque hinc patet quod duæ dictæ opiniones poſſunt conciliari, nam Panormitanus loquitur de foro contentioſo, alij vero loquuntur de foro conſcientiæ.

9. Quinto quæritur de cooperatoribus vſurarij quomodo teneantur ad reſtitutionem. Hic ſunt regulæ generales.

Prima eſt quod ille qui participat in re, quæ eſt data vltra ſortem pro vſura mala fide, tenetur eam reſtituere; qui vero participat bona fide tenetur eam reſtituere ſi ceſſat bona fides, alioquin tātum tenebitur in eo in quo factus eſt ditior.

Secunda regula eſt, ratione iniuſtæ acceptionis, tenetur ad reſtitutionē oīs ille, qui eſt cauſa efficax acceptionis vſurarum mala fide, efficax autem cauſa eſt omnis ille ſine quo non ſolueretur vſura, & ille, qui de facto cooperatur ad vſuram etiam ſine quo alias fieret vſura; & ratio huius eſt, quia ille, qui cooperatur ad vſuram de facto dat cauſam damni mutuatario, qui autem cauſam damni dat damnum dediſſe videtur, illi autem, qui ſic cauſa ſunt continentur in his verſibus.

Iuſſio, conſilium, conſenſus, Palpo, Recurſus,
Participans, Mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Tertia regula est, ille qui bona fide fuit concausa vsuræ puta solicitando mutuatarium, vt solueret vsuras nesciēs esse vsuras, si nihil habet de illa non tenetur ad restitutionem; & ratio est quia non tenetur ratione iniustæ acceptionis, quia quantum ad se non fuit iniusta acceptio; nec ratione rei acceptæ quia eam non habet; secundum has tres regulas diffiniri possunt omnes casus de restitutione circa cooperatores vsurariorum; sed tamen pro rudioribus oportet de aliquibus specialiter quærere.

10. Quæritur ergo primo, An teneatur restituere vsuras Princeps, seu Iudex, seu Agens, siue aduocatus, qui iussit, aut procurauit vt soluerentur vsuræ? Respondeo affirmatiuè, & hoc ratione iniustæ acceptionis, non autem ratione rei acceptæ, nisi ipsi de vsuris aliquid receperint, quia tunc tenerentur etiam restituere ratione rei acceptæ; & ratio cur ipsi teneantur restituere est illa, qui causam damni dat, damnum dedisse videtur.

11. Secundo quæritur, an teneantur ministri, qui portant pecuniam? Medina affirmat, Sotus negat & bene, quia ij habent se pure materialiter, idem dicit Syluester verbo vsura 7. §. 4. peccant tamen mortaliter impendendo in hæc suas operas; Nau. in Man. cap 17. n. 267. tenet cum Medina, sed melius dicit Sotus.

12. Tertio quæritur, an teneatur cōsultor, qui suasit vsuras. Sotus vbi supra dicit quod tenetur, & bene, quia qui est causa dandi ad vsuram, est etiam causa accipiendi ad vsuram, idem dicit Panor. in 4. dist. 15.

13. Quarto quæritur, an teneatur notarius, qui scripsit instrumentum vsurarium. Sotus dicit, quod vel scripsit cum fraude, puta quod Petrus dederit centum, cum tamen dederit tantum nonaginta, & tunc tenetur ad restituendum; vel scripsit sine fraude, & tunc si ex vi instrumenti mutuatarius cogitur soluere vsuras, adhuc tenetur ad restitutionem, quia est causa. Medina vero dicit non teneri, quia illud instrumentū non cogit, cum sit vsurarium, & propterea nullum; si vero Iudex cogat ad executionem Instrumenti, tenetur. Syluester verbo vsura 7. §. 7. dicit quod iste Notarius tenetur, vbi est consuetudo cogendi ad soluendas vsuras, & ita tenendum est.

14. Quinto quæritur, an teneantur testes horum instrumentorum. Respondeo quod idem dicendum est de testibus, quod de notarijs, quia instrumentū sine testibus nihil valet.

15. Sexto quæritur, an teneantur proxenetæ. Respondeo cum Syluestro verbo vsura 7 §. 10. quod si curant vsuram dari in fauorem mutuatarij, non peccant, nec tenentur restituere, secus si curant dari in fauorem mutuantis.

16. Septimo quæritur & vltimo, An lucrum factum ex vsura sit restituendū; Per lucrum factum ex vsura intelligo lucrum factum ex re accepta per vsurā, vt ex possessione, seu ex pecunia quam posuit in negotiatione; Aliqui dicunt quod tale lucrum est restituendum, & ratio est quia dolus nemini suffragari debet, dolus autem est expendere alienam pecuniam inuito Domino, vel accipere fructus alienæ possessionis. Opposita sententia quantum ad fructus pecuniæ est communis D. Th. 2. 2. quæst. 78. ar. 3. Dom. Soti. lib. 6. de Iust. & Iure. q. 1. ar. 3 Medinæ Cod. de vsura restituenda. Dicendum ergo est quod si lucrum est in re immobili acquisita per vsuram, vt ex agro, restituendum est, quia res ipsa fert illud lucrum, & suo domino ferre debet; si vero lucrum est ex pecunia per negotiationem, vel vsurarius emit prædium ex ea, & fructus ex eo percipit, hoc non tenetur restituere, quia est lucrum acquisitum per industriam. Ad rationem positam in contrarium Respondeo quod potest aliquid suffragari Crumenæ, quod non suffragabitur conscientiæ, vt meretricium, ita & in præsenti.

MEM-

MEMBRVM VLTIMVM.

De eo, qui accipit ad vsuram.

1 *An liceat accipere ad vsuram.*
2 *In necessitate an liceat.*
3 *Pro decentibus an peccatum sit accipere ad vsuram.*

1 IN hoc membro hoc tantum quæro, an liceat accipere ad vsuram? Certissimum est secundum omnes Doctores, quod accipere ad vsuram ab eo qui non est paratus eam dare, est peccatum mortale, quia ille qui inducit aliū ad peccandum mortaliter, & ipse peccat mortaliter; sed ille, qui inducit aliquem non paratum ad dādum vsuram, inducit eum ad peccādū. Item certissimū est quod accipere ad vsuram ab eo, qui est paratus eam dare, vt succurratur necessitati suæ, vel proximi non est peccatum; tota dubitatio est an sit peccatum accipere ad vsuram sine necessitate.

2. D.Thomas 2. 2. qu. 78. art. 4. dicit quod tantum licet accipere ad vsuram, quando est sucurrendum necessitati suæ, vel proximi. Pal dicit quod accipere ad vsuram sine vlla necessitate est mortale, quia sic datur materia mortalis peccati vsurario; Dom. Sotus lib. 6. de Iust. & Iur. q. 1. ar. 5. & Syluester verbo vsura 7. §. 1. dicit non esse mortale accipere ad vsuram à parato, si saltem sit aliqua vtilitas; Posset tamen fieri, quod ex circunstantia hoc sit mortale, puta si acciperet ad fornicandum.

Dicendum etiam est quod si aliquis acciperet ad vsuram pro leui causa, vt pro torneamēto, est saltem veniale graue prodigalitatis; mortale tamen esset si esset scandalum, vel graue damnum familiæ.

3. Rursus dicendum est quod accipere ad vsuram pro decentibus, verbigratia nuptijs, non est peccatum, quia necessitas ad accipiendum mutuum sub vsura, vt excuset à peccato, non est necessarium, vt sit grauis. Atque hinc patet quid dicendum sit ad illum casum, qui communiter proponi solet à Casistis, an videlicet liceat accipere ad vsurā ad exercēdam mercaturam; D.Thomas dicitur à quibusdā respondisse cuidam Mercatori Florentino non licere. Paludanus vero dicit non licere, si sit ex cupiditate lucri, & si habet vnde licite viuat. Ego vero dico cum Soto non licere, si aliam artem sine vsura, et commode exercere potest. Atque hæc de Vsura.

Finis Tractatus de Vsura.

IO BAPTISTÆ BIZOZERI S. T. D.

Tractatus de Restitutione.

DE restitutione agunt Sotus, Paludanus, & alij scholastici in 4. sẽt. d. 15. Alex. de Ales in sua summa, D. Thomas 2. 2. qu. 62. Sot. in 4. de iustitia & iure qu. 6. & 7. Nauarrus in Manuali cap. 13. à num. 6. & infra. Caetanus, Syluester, Armilla, Tabiensis, & alij Sumistæ in suis summis verbo restitutio. Ego, vt aliquo recto ordine procedam, hunc tractatum de restitutione diuidã in decem Capita, in quorum primo dicam quid sit restitutio, & an sit necessaria ad salutem. in secundo quinam ad restitutionem teneantur. in tertio quid sit restituendum. in quarto vbi sit facienda restitutio. in quinto cui sit facienda. in Sexto quantum sit restituendum. in septimo quando sit restituẽdum. in octauo quomodo sit facienda restitutio. in nono quo ordine sit restituendum; & in decimo de

caussis,

cauſſis, quæ excuſant à peccato mortali non reſtituẽtem. Poſtquam enim cognouit Confeſſarius quid ſit reſtitutio, eamque eſſe ad ſalutem neceſſariam, in actu Pænitentiæ debet diligenter conſiderare conditiones, & circumſtantias his verbis contentas.

Quis, quid, vbi, cui, quantum, quanto, quomodo, quovè Ordine reſtituas, ſic pie lector habe.

De quibus omnibus eo meliori modo, quo poteſt dicere propoſui. Quantum autem ſit neceſſaria cognitio reſtitutionis, & eius conditio confeſſarijs facile patebit ex ijs, quæ dicam in tertio quæſito primi capitis. Eſt enim vulgatum illud D. Auguſtini, non remittitur peccatum niſi reſtituatur male ablatum. Et fieri poteſt vt confeſſarius ipſe teneatur ad reſtitutionem, quando propter eius ignorantiam pænitens non reſtituit, vel ei, cui non debet reſtituit, vt videbitur in ſecundo capite.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

Quid sit restitutio, & an sit necessaria ad salutem.

1 *Quid sit restituere, quoad quid nominis.*
2 *Quid sit restitutio quoad quid rei.*
3 *Restitutio cuius iustitia dicatur actus.*
4 *Restitutio an sit necessaria ad salutem.*
5 *Praeceptum restitutionis sitnè negatiuum, an affirmatiuum.*

1 QVæritur primo quid sit restituere quantum ad eius ethimologiam? respondetur quod restituere, vt vocabuli expositio præ se fert, est aliquem in suum statum iterum collocare, Dom. Sot. 4. de iust. & iure q. 6. ar. 1. vnde qui primo sanus erat deinde factus ægrotus, postea iterum factus sanus dicitur ad sanitatem restitutus. Et D. Th. 2. 2. q. 62. ar. 1. quātum ad hoc propositum attinet dicit quod restituere est aliquem iterum statuere in dominium, & possessionem suæ rei; & idem ait Sot. loco citato, vbi & addit quod huiusmodi vocabulorum abusiones, & ethimologiæ nō sunt vilipendendæ, quoniam vocabula sunt conceptiones animi nostri, seu conceptionum nostrarum; & propterea talia debuerunt imponi rebus cuiuslibet naturæ, ut proprietates rerum explicarentur, & qualia censetur sapientissimus Addam rebus imposuisse in principio orbis, de quo dicitur Genesis 3. omne quod vocauit Adam nomine viuentis ipsum est.

2. Secundo quæritur quid sit restitutio quantum ad rem?

Respondeo quod restitutio quantum ad rem est actus iustitiæ specialis commutatiuæ, quo redditur alteri quod suū est. Atque hæc deffinitio elicitur ex Nau. in Man. cap. 13. nu 6. ad cuius deffinitionis explicationem, prout quinq; sunt eius particulæ, ita quinque sunt notanda.

Notandum est ergo primo quod restitutio dicitur, actus, & non habitus, quoniam non est habitus quidam seu fides, spes, charitas, prudentia, temperantia, iustitia, aut fortitudo, sed est actus vnius ex hisuirtutibus.

Notandum secundo quod restitutio dicitur non quilibet actus, sed actus iustitię ad distinctionem illorum actuum, qui non sunt actus virtutum, qualis est rapina, seu furtum, qui sunt actus vitiorū, quæ contrariantur iustitiæ.

Notandum tertio quod restitutio nō dicitur actus cuiuslibet iustitiæ, sed tantum actus iustitiæ specialis, ad differentiam actuum prudentiæ, temperantiæ, & aliarum virtutum: Iustitia enim aliquando sumitur generalissime pro habitu quodam, quo diriguntur actus omniū virtutum ad debitum finem, seu pro actu cuiuslibet virtutis eo modo, quo in telle-

tellexit Christus Dominus, attendite ne iustitiam vestram faciatis etc. Vbi per iustitiam intellexit quemlibet cuiuslibet virtutis actum. Alio modo sumitur iustitia specialissimè prout est virtus quædam Cardinalis temperantiæ, fortitudinis, & prudentiæ contra distincta, & huius iustitiæ dicimus restitutionem esse actum.

3. Notandum quarto quod restitutio neque dicitur actus cuiuslibet iustitiæ specialis, sed tantum commutatiuæ, duplex enim iustitia specialis, altera, quæ dicitur distributiua, secundum quam aliquid cōmune in particulares personas distribuitur secundum merita vniuscuiusque particularis personæ; altera vero quæ dicitur commutatiua, quæ tantum respicit æqualitatem, quæ est rei ad rem; hoc est vt tantum alicui detur, quātum illi dari debetur. Restitutio non est actus primæ iustitiæ, idest distributiuæ, sed tantum commutatiuæ, vt dicit D. Thomas. 2. 2. q. 62. ar. 1.

Sed dices primo videtur quod aliquā do restitutio pertineat ad iustitiam distributiuam, nam si ille, qui communia bona in particulares personas distribuere tenetur, minus dat vni, quam dare debet, tenetur illi tanto maius restituere, quanto minus dedit secundum æqualitatem rei, quam illi debebat.

Ad hoc respondent D. Th. ar. cit. ad tertium argumentum, & Sot. 4. de Iust. & Iur. qu. 6. ar. 1. ad secundum argumētum, quod etiam in hoc casu restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ, ergo vt fiat debet haberi respectus rei ad rem, itaut fiat æqualitas inter id, quod dat ille, qui restituere debet, & id quod dari debebat illi, cui minus est datum, quam dari deberet.

Dices secundo si aliquis donauit mihi aliquid, quod ego iterum do, dicor illud illi restituere, sed hæc restitutio non pertinet ad iustitiam commutatiuam, quia de iure non teneor ego donanti dare, quod mihi donatum fuit, ergo aliqua restitutio non est actus Iustitiæ commutatiuæ?

Ad hoc respondet D. Thomas loco citato ad primum argumentum, quod quando donat alius, idest ille cui donatum fuit, rem donatam iterum dat donāti, impropriè dicitur eam restituere, nā talis datio non est restitutio, inquit D. Th. sed noua datio.

Ex ijs, quæ dicta sunt pro solutione dicti dubij antecedētis infertur à Caet. in comment. super dictum art. D. Th. & Sotus 4. de iust. & iure. q. cit. quod si aliquis princeps, qui tenebatur distribuere aliqua bona singulis annis in aliquos conscriptos ciues, & aliquot annis cessauerit à tali distributione, si postea pænitentia ductus voluerit restituere, tenebitur pro distributione, quam non fecit, non multiplicare distributiones in ciuibus præsentibus; sed distributiones, quas non fecit tenebitur dare hæredibus illorum, quibus debebat fieri restitutio, seu distributio, quando ab illa cessatum fuit.

Notandum est quinto quod restitutio dicitur actus, in quo redditur alteri, quod suum est, ad comprehendendum omnia bonorum genera, quæ alicuius esse possunt, idest bona animæ, quæ vel sūt spiritualia, vt gratia, & virtutes, quæ gratiam comitantur; vel temporalia, vt scientia, & intellectus. Bona corporis, quæ sunt vita ipsa, membra, sanitas, pulchritudo, libertas, & similia. Bona famæ, quæ est apud homines, bona existimatio; & bona fortunæ, quæ distinguuntur in mobilia, & immobilia.

4. Quæritur tertio an restitutio sit necessaria ad salutem? Sot. 4. de iust. & iure q. 6. ar. 2. ex Guidone Carmelita inter cæteras Græcorum hæreses hanc etiā dicit connumerari, quod eorum Sacerdotes pro manifesta rapina pænitentibus non iniungebant restitutionem, sed eos absoluebant imposita dumtaxat pœnitentia, vt furtorum partem ipsis darent.

Erasmus, vt refert Sot. ibid. in suis annotationibus in illud Lucæ 11. quod superest date eleemosinam, adnotauit restitutionem non esse necessariam ad salutem, sed per eleemosinam omnia nobis fieri munda; hoc dixit Erasmus in tertia & quarta impressione, sed in vltima seipsum correxit delens prædictam anno-

notat.

notationem. Verum quod restitutio non sit necessaria ad salutem non modo hæresis, sed frenesis est, & probatur.

Primo quia in Decalogo est præceptum de non furando, sed non restituere perinde est ac furari.

Secundo D. Paulus ad Rom. 13. reddite omnibus debita; cui tributum, tributũ &c. Et Christus Mat. 22. dicit reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari &c. Et Tobias senior cap. 7. suæ historiæ cum audisset vocem hædi, quem vxor sua abstulerat dixit, videte ne forte furtiuus sit, reddite eum dominis suis, quia non licet nobis de furto edere, aut contingere. Ezech. 33. dominus dicit se non remissurum peccata furibus, nisi prius restituant rapinam, & pignus.

Tertio est ab omnibus receptum illud D. August. non remittitur peccatum nisi restituatur male ablatum; & refert 14. q. 6. cap. si res aliena.

Quarto quod est contra iustitiam, & proximi charitatem.

Ex his ergo optime patet restitutionem esse necessariam ad salutem, & esse de præcepto naturali, quia præcipitur in Decalogo, cuius præcepta sunt naturalia. De præcepto diuino quia præcipitur in Sacra scriptura à Deo vt dictum est de præcepto Ecclesiæ, vt habetur cap. cit. si res aliena. Et de præcepto ciuili, nam in re ciuili datur actio contra non restituentem.

Sed dices, aliquando impossibile est restituere, vt cum aliquis occidit alium, vel mutilat &c. ergo restitutio non est necessaria ad salutem.

Ad hoc responderi debet cap. tertio, & capite vltimo.

5. Secundo dices præceptum de restit. estne affirmatiuum, vel negatiuum?

Respondeo esse affirmatiuũ quidem, sed inuoluere negatiuum, idest non detinebis rem proximi tui, propterea obligat semper, & ad semper, sed cum aliqua limitatione, vt dicetur cap. 7.

CAPVT SECVNDVM.

Qui sunt illi, qui tenentur ad restitutionem.

1 *Quot, & quæ sint radices restitutionis.*

2 *Quid veniat nomine acceptionis.*

3 *Quinam teneantur ad restitutionem ratione iniustæ acceptionis.*

4 *Quibus modis causari possit iniusta acceptio.*

5 *Quinam dicatur executor iniustæ acceptionis.*

6 *Iubens, seu præcipiens quomodo teneatur ad restitutionem.*

7 *Quomodo teneatur ad restitutionẽ consiliator.*

8 *De consentiente ad iniustam acceptionem.*

9 *De eo, qui laudat iniustam acceptionem.*

10 *De eo, qui dat recursum facientibus iniustam acceptionem.*

11 *De participante in iniusta acceptione.*

12 *An particeps teneatur ad integrã restitutionem.*

13 *De participante cum pluribus diuiduis in eadem iniusta acceptione.*

14 *De eo, qui non impedit iniustam acceptionem, cum possit.*

15 *Mutus quinam dicatur.*

16 *De non obstante iniustæ acceptioni.*

17 *De non manifestante iniustam acceptionem.*

18 *Obligatus ad manifestandum ex charitate, an teneatur ad restitutionem.*

19 Ad

19 *Ad restitutionem unius, an liberentur alij in solidum obligati.*

1 IN hoc capite primo quæritur quot, & quæ sint radices restitutionis, & hic per radices intelligo principales regulas, & principalia capita, ex quibus cognosci possunt ij, qui ad restitutionem tenentur. Et respondeo duas esse restitutionis radices, idest acceptionem rei alienæ, & rem alienam, omnis enim qui ad restitutionem tenetur, necessario ad eam tenetur, vel ratione acceptionis rei alienæ, vel ratione ipsius rei alienæ, aut ratione vtriusque; ita D. Thomas secunda secundæ qu.62. art.6. & 7. Caetanus in comentarijs quorumdam articulorum, & in summa, verbo restitutio in principio. Sot.4 de Iust. & Iur. qu. 3. ar.3. Nauarrus in Man. cap.11. & Syluester verbo restitutio multis in locis, & alij Doctores, & Domin. Sot. & Caet. loco cit. quod prædictæ radices sunt diligentissime notandæ, vt quis resoluere omnes casus restitutionis scriptos, & non scriptos vsque à primo principio possit.

2. Secundo quæritur quid hic intelligamus nomine acceptionis? Respõdeo ex Caetano in verbo restitutio in principio, quod in hac materia nomine acceptionis rei alienæ non tantum debet intelligi furtum, aut rapina, sed quælibet actio iniusta, qua alienum accipitur, vel damnificatur; quare hic accipere non est furari tantum aut rapere, sed etiam comburere, detrahere, mutilare, vulnerare, occidere, & similia; & licet duplex sit acceptio, scilicet iusta, vt quæ est mutuum, emptionẽ, comodationem, locationẽ &c. Et hic tantum habebitur sermo de acceptione, seu actione iniusta, relicta iusta, vtpote cõfessarijs nota.

3. Tertio quæritur qui sint illi, qui tenentur ad restitutionem ratione iniustæ acceptionis?

Respondeo cum communi Doctorum opinione, quod est ille, qui est caussa iniustæ acceptionis, ad restituendum tenetur; quare si vnica actio iniusta fuerit à multis eo dem, vel diuerso modo caussata; illi omnes, & singuli tenebuntur ad restitutionem insolidum, seu integrum.

4. Sed dices, quotnã sunt modi, quibus iniusta acceptio caussari potest?

Respondeo quod decem, nam primo potest caussari iniusta acceptio per eius exequutionem; deinde potest caussari nouem alijs modis, quibus potest quis executori cooperari in iniusta acceptione, & hi modi nouem continentur in his duobus versibus, quos Patres nostri; vt inquit Caetan. in summa uerbo restitutio elaborauerunt, idest.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participãs, mutus, nõ obstãs, nõ manifestãs

Quare & decem genera personarum ad restitutionem tenebuntur; idest executor, & executori cõcaussantes, qui sũt ij, qui notantur prædictis versibus, quorum septem genera dicuntur caussare in iustam acceptionem directe, idest executor, & sex, quæ continentur in versib. in principio; & tria indirecte, quæ notãtur in fiue versuum; & de ijs omnibus decem generibus personarum breuiter, & singillatim nunc est disserendum, incipiendo ab exequutore, qui non continetur in versibus prædictis, sed supponitur tamquam caussa omnino necessaria ad iniustam acceptionem, & alijs proximior ipsi acceptioni.

De executore iniustæ acceptionis.

5 QVi exequitur, seu operatur iniustã acceptionẽ, tenetur ad restitutionem in integrum, vt qui furatur, qui rapit, qui mutilat, qui occidit, qui detrahit &c. quia talis est proxima causa iniustæ acceptionis; & hoc intelligendum est, siue iniustam acceptionem caussauerit proprio motu, siue ex præcepto alterius, siue propter propriam vtilitatem, siue propter vtilitatem alterius; & hinc fit, inquit Caetanus in summa verbo restitutio, quod

quod sicut qui de præcepto alterius, vt seruus de præcepto domini, homicidiũ facit, ad restitutionem tenetur; ita & qui ad vsuram dat nomine alterius, teneatur ad restitutionem.

Item hoc intelligendum est etiamsi quod talis executor faciebat, si ipse non fecisset, alius illud fecisset, quia vt dicit Dominus in Euangelio necesse est, vt veniant scandala, væ autem homini illi, per quem scandalum venit; non enim excusatur seruus dicens, si ego talem nõ occidissem, alius occidisset.

Atque hinc infert Sot. 4. de Iust. & Iur. qu. 3. ar. 3. quod si aliquis deuastasset segetes, quas turbo, seu tempestas deuastatura esset, non ideo excusatur à restitutione, quia turbo, seu tempestas eas deuastatura esset; nam non turbo deuastauit messem, licet si alius non deuastasset, ipse deuastasset.

De eo, qui iubet iniustam acceptionem.

Ille, qui iubet, seu præcipit, tenetur ad restitutionem ratione iniustæ acceptionis, imo & principaliter, quia iubens, seu præcipiens iniustam acceptionem est principalis caussa iniustæ acceptionis, licet non ita proxima sicut exequutor; & hoc intelligendum est semper si iubens ita fuit caussa iniustæ acceptionis, vt ex sua comissione, seu iussione caussata fuerit iniusta acceptio, nam si quis diceret alicui iam promptissimo facere iniustam acceptionem, abi, & fac quod, uis nõ ideo tenetur ad restitutionẽ quia eius iussio non dicitur caussasse iniustam acceptionem.

Tu dices, si Petrus iussit seruo suo, vt occideret Franciscum, qui occidit Antonium putans Antonium esse Franciscum, teneturne Petrus de homicidio?

Respondeo affirmatiue, quia ex iussione Petri fuit caussata mors Antonij, licet Petrus non intenderet mortem Antonij, sed Francisci.

Similiter si Petrus præciperet seruo suo, vt verberaret Franciscum, seruus verberans eum occidit tenetur Petrus de homicidio quia ex sua iussione sequutum fuit homicidium.

Similiter si Petrus iussit seruo suo, vt combureret paleas rustici, ex quarum combustione deinde sequuta est conductio totius domus rustici Petrus tenebitur de tota combustione, quia ex eius iussione sequuta est tota combustio.

De eo, qui consilium dat ad patrandam iniustam acceptionem.

Consulens iniustam acceptionem tenetur ad restitutionem in integrum, si eius consilium fuit caussa iniustæ acceptionis, secus si non fuit caussa, vt si non potuit patrari iniusta acceptio, vel quia ille, qui illam est exequutus, vel propter consilium sibi datum illam executus est, sed propter aliud.

Sed dices Franciscus est paratus surripere ab Antonio centũ, sed Petrus consulit, vt accipiat tantum quinquaginta; Franciscus propter consilium Petri accepit tantum quinquaginta, tenetur ne Petrus restituere illa quinquaginta.

Respondeo quod non quia Petrus in hoc non dicitur consuluisse malum, sed bonum, nam bonum fuit surripere tantum 50. respectu furti quod fuisset centum; consulens enim minus malum ad euitandum maius non malefecit. Secus esset si Petrus consuluisset Francisco parato accipere centum ab Antonio, vt quinquaginta Marcello, nam tunc licet Petrus consuluerit minus malum, damnificauit tamen Marcellum, quia Franciscus non habebat animum surripiendi à Marcello.

De

De eo, qui consentit in iniustam acceptionem.

8 QVi consentit in iniustam acceptionem tenetur ad restitutionē in integrum, si tamen eius consensus est caussa iniustæ acceptionis; quare distinguendum est de consensu, an fuerit caussa iniustæ acceptionis, an vero tantum fuerit consensus, vt inquit Caet. in summa verbo restitutio; si tractant aliqui de iniusto bello, defertur negotium ad eos, ad quos spectat deliberatio, consentiunt ipsi, & dicunt fiat; audiunt deinde alij, ad quos non spectat deliberatio, quibus placet talis deliberatio, qui & dicunt fiat; primi tenentur ad restitutionem, non secundi, quia secundorum consensus non est caussa iniustæ acceptionis, idest iniusti belli, cum non attendatur eorum consensus, sed primi tenentur ad restitutionem, quia eorum consensus est caussa iniusti belli.

Aduertendum ergo est quantum ad restitutionem spectat circa consentientem in iniustam acceptionem, an eius consensus sit caussa iniustæ acceptionis, an tantum consensus.

Hinc infert Caet. loco citato, quod si in aliqua communitate aliqui tractent de iniusta acceptione, & deliberatio sita sit penes omnes, seu multos determinatos, ita vt certa pars suffragiorum vincat, puta si ex viginti vndecim, & postquam inuenta sunt vndecim suffragia, ex alijs, qui nondum dederunt votum suum, etiam dant suffragia, quia vident iam rem esse tamquam deliberatam; cū sit tanta pars suffragiorum, quę sufficiat; isti, qui post vndecim dant suffragia non tenentur ad restitutionem quia non sunt caussa iniustæ acceptionis, licet peccent consentiendo in iniustam acceptionem; secus tamen esset, si suffragia secreto darent, vel si ad contradictionē sequentium post vndecim speraretur mutatio tantæ partis suffragiorum, quæ data sunt, vt deliberatio mutaretur.

Sed dices, si primi, qui dant suffragia animaduertissent vndecim vltimos determinasse dare suffragia affirmatiua, & propterea & ipsi ob aliquem respectum humanum affirmatiua darent, alioquin daturi negatiua, tenerenturne ad restitutionem?

Respondeo affirmatiuè, quia suffragia primorum sunt vere caussa iniustæ acceptionis, deinde quia deliberatio, seu voluntas sequentium est humana, & propterea deambulatoria, & mutabilis, quare mutari potuissent à proposito si audissent primos contrarios. Medina dicit in similibus casibus omnes consentientes, ad quos spectat determinatio rei, teneri ad restitutionem, etiā illos qui post vndecim consentiunt; sed non bene dicit, quia ad hoc vt teneātur ad restitutionem debent esse caussa iniustæ acceptionis, sed qui in casu prædicto post vndecim dant suffragia, si bene consideretur res, non possunt dici caussa.

De eo, qui laudat iniustam acceptionem.

9 LAudans iniustam acceptionem, seu vt dicunt alij palpans, palpare enim laudare quoddam est, si ex tali laudatione, seu palpatiōne sequatur iniusta acceptio, itaut laudatio fuerit vere caussa iniustæ acceptionis, tenetur ad restitutionem in integrum.

Sed dices si laudans iniustam acceptionem, quæ deinde sequitur ex tali laudatione, laudat etiam executori iniustæ acceptionis restitutionem, satisfacietne ita vt non amplius teneatur ad restitutionem?

Respondeo quod sicut ille, qui laudat iniustam acceptionem non tenetur ad restitutionem, nisi ex tali laudatione sequatur iniusta acceptio, ita si idem laudat exequenti iniustam acceptionem restitutionem, non liberatur ab obligatione restitutionis, nisi ex sua laudatione sequatur restitutio.

De eo, qui dat recursum facientibus iniustam acceptionem.

10 DVpliciter aliquis potest teneri ad restitutioné ex eo, quod dat recursum, quantũ ad propositam materiã attinet, idest vel dando recursum ante iniustam acceptionem, vel dando recursum post iniustam acceptionem, & vtroque modo tenebitur quis ad restitutionem, si recursus est caussa iniustæ acceptionis; de primo fit exemplũ, abscõdit Petrus latrones interdiu, vt noctu possint occidere, vel furari, tenetur Petrus ad restitutionem damni caussati ex furto, vel homicidio.

Exemplum secundi est, si Petrus promisit abscondere res furatas, si quas fures furabantur, qui non furarentur nisi haberent vbi res furto acceptas absconderent.

Ex hoc infert Caetanus, & alij quod procuratores vocati, & alij, qui defendunt latrones tenentur ad restitutioné.

De participe in acceptione iniusta.

11 OMnes, qui participant in acceptione iniusta quomodolibet participẽt siue vt socius, siue mediator, siue explorator, siue vt faciens instrumẽta ad hũc finem, vt fiat iniusta acceptio, modo sit caussa verè iniustæ acceptionis, seu concaussa, & hic loquor tantum de participe in iniusta acceptione, nam de eo, qui participat in re accepta dicetur infra in altera radice restitutionis, nunc enim tantum sermo est de ijs, qui tenentur ad restitutionem ratione iniustæ acceptionis.

12. Sed hic est cõtrouersia inter Doctores vtrum ille, qui est particeps quidem iniustæ acceptionis, sed sine quo facta fuisset acceptio, teneatur ad restitutionem in integrum?

Syluester in summa verbo rest. 3. & Adr. in 4. in materia de restitutione & Nau. in Man. cap. 12. n. 18. hanc sibi habent persuasam regulam, quod illi tantũ tenentur ad restitutionem in integrum ratione iniustæ acceptionis, vt sine ipsis minime facta fuisset iniusta acceptio. Quare inquiũt prædicti Doctores quod si quatuor verbigratia parati essent aliquid simul furari, & deinde alius quintus se illis adiungeret, qui simul cum ipsis actionem eandé iniustã efficeret, idest furtum, ipse quintus nequaquã teneretur ad restitutionem in integrũ, quia sine ipso reliqui quatuor furtũ erant facturi, sed sufficeret illi restituere illã partẽ furti, quæ ad eum peruenit; Adrianus tamẽ addit vnum, quod videlicet si aliquis paratus esset operari aliquam iniustam acceptionem, sed non sine aliquo socio, ille socius, qui illi adiungitur, si sequatur iniusta acceptio, tenebitur ad restitutionem in integrum, etiamsi cum alio socio ipse patraturus erat delictum, si iste noluisset esse socius; quia licet sine hoc socio secuta fuisset iniusta acceptio, nõ tamen sine socio aliquo.

Caet. in com. supra 62. qu. D. Th. in 2. 2. & Sot. 4. de iust. & iur. q. 7. ar. 3. contrarium dicunt; nempe quod omnis ille, qui est vere caussa iniustæ acceptionis etiamsi, sine ipso facta fuisset iniusta acceptio, tenetur ad restitutioné in integrum non secus ac alij, sine quibus nõ fuisset facta iniusta acceptio; & probant primo quia supposito quod aliquis habens tres seruos diceret illis, qui vestrũ voluerit occidere talem inimicũ meũ, à me habebit tantam pecuniam, & vnusquisque illorum se exhiberet ad occidẽdũ illũ, quorũ vnus curreret vt occideret, alius verò & ipse, & alius præ cæteris præcurreret, & occideret; tertius ita fuit caussa homicidij, vt sine ipso factũ fuisset homicidium, quia vnus aliorũ occidisset, si tertius non præcurrisset, ergo si esset vera sententia Adr. & Nau. sequeretur quod tertius, qui fuit homicida, non teneretur ad restitionem, neque alij duo serui quia ipsi non occiderunt, neq; erant socij quodãmodo tertio, idest in homicidio, quia non deliberauerant simul occidere inimicũ Domini sui, sed vnusquisque solus volebat inimicum occidere, ergo in hoc casu sequeretur q̃

exe-

executor actionis iniustæ non teneretur ad restitutionem contra id, quod secundum communem opinioné Doctorum supradiximus de exequutore.

Secundo probāt ex ratione naturali, quia si duo ignes simul vniantur ad comburendum lignum, quod tamen combustum fuisset ab vno, vterque ignis vere diceretur comburens.

Tertio probant, quia in foro iudiciali ille, qui exequitur iniustam actionem, sine quo adhuc facta fuisset iniusta acceptio, non admittitur si excepit quod alius fecisset, quod ipse fecit, si illud ipse non fecisset; talis enim exceptio in iudicio nulla est.

Et ad hoc facit id, quod dicebamus supra de executore, quod necesse est vt veniant scandala, væ autem homini illi, per quem scandalum venit; & de illo, qui vastauit segetes, quas postea turbo deuastaturus erat. Opinio Caetani, & Sot. est tutior, & iudicio meo melior.

Sed dices, lege vulgaris. ff. de furto. §. qui furti, habetur quod si duo, vel tres accipiunt furto trabem, vel tignū, quod vnus solus portare non potuisset, vnusquisque illorum tenetur ad restitutioné in integrum, ergo à contrario sensu videtur sequi quod si vnusquisque illorum potuisset portare trabem, non omnes tenerentur ad restitutionem in integrum, sed vnusquisque pro rata . . . . .

Sed respondet Sot. loco citato, quod ex lege dicta contrarium elicitur, poterat enim aliquis obijcere legislatori, quod si multi surripuissent rem, quorum vnus solus eam surripere non poterat, teneréturne omnes in solidū ad restitutioné.

Respondet legislator quod tenentur, & dat exemplum de trabe, vel tigno, quod non potuit portari ab vno, & propterea ex lege data si est argumentādū, si quando vnus non potest solus exercere furtum, sed adhibet socios vt possit cū alijs, quod ipse solus non poterat, ipse, & singuli omnes tenentur ad restitutioné in integrū, ergo & multo magis si ipse solus, vel ipsi soli potuissent exercere, & comittere furtum.

23. Secūdo dices, quod si ex pluribus vnusquisque ab aliquo ærario acciperet aliquem nūmum, puta aureum, itaut omnes, sed nō simul expilarent ærariū, tenerenturne singuli illorum ad restitutionem in integrum?

Ad hoc respondet Sot. quod non,
21 quia non fuit vnum furtum ab vno caussatū, sed fuerunt diuersa furta à diuersis caussata, & propterea vnusquisq; tenetur pro ea parte damni, quam caussauit.

Ex his infertur primo, quod si plurimi puta milites in bello iniusto vnam domum deprædantur, simul tenētur vnusquisque illorum ad restitutionem in integrū, etiamsi singuli per se id facerent, imo etiam si mallet vnusquisque solus domum aggredi, vel duo, vel tres, quia non indigent pluribus auxiliatoribus; neq; contraria opinio tuta videtur.

Infertur secundo quod illi, qui non sunt simul vna caussa, sed disiunctim magnum alicui damnum inferunt, vnusquisq; eorum tenētur ad restitutioné tātū pro damno facto ab vnoquoq; illorū.

Sed dices, si multi disiunctim adeo minutatim fuissent furati, vt nulla eorum actio fuisset peccatum mortale, tenētur ne omnes simul saltem ad restitutioné? Exempli gratia multi, & singuli transeuntium diuersis diebus prope aliquam vineam acceperunt duos, aut tres racemos vuæ, & tandem totam vineam illo modo vindemiauerunt? Sotus 4. de iust. & iur. q. 7. ar. 3. dicit quod talia furta cū fuerint paruæ rei, non fuerunt peccata mortalia, licet simul vnita magnū damnum intulerint: & propterea nulli transeuntium tenentur ad restitutionem, neque pro rata, neque in solidum.

Secundo si dicas, quod si damnificatus procuraret comminationem excomunicationis contra eos, qui ei notabile dānū intulerunt, puta vindemiationis vineæ, teneréturne illi, qui ita minutatim vuas surripuerunt ad restitutioné? Ad hoc respondet Sotus loco citato, quod vnusquisque illorum teneretur in tali casu ad euitādam excōmunicationé ad restitutionem eius partis vuæ, quam accepit.

Tertio si dicas, excommunicatio non potest esse iusta, si feratur propter id, quod non est peccatū mortale, sed in dicto casu propter paruitaté rei nemo peccauit mortaliter nō restituēdo. Ad hoc re-

respondet Sotus loco citato quod licet regulariter sine peccato mortali, vel vbi non est peccatū mortale ratione culpæ, non possit ferri excommunicatio, per accidens tamen ratione magni damni potest ferri, &c.

De muto id est de eo, qui cum clamore, vel alia via verbis potest, & debet impedire actionem iniustam, & non facit.

14 HIc antequam ad singularia descendamus, in communi notādum est quantum ad præsens negotium spectat, quod tria requiruntur ad hoc, quod mutus, aut non obstans, vel non manifestans ad restitutionem teneatur.

Primo vt vere mutus verbis non obstet, non obstans eo modo, quo potest non obstet; & non manifestans non manifestet.

Secundo quod clamore possit clamare, aut manifestare.

Tertio quod ex officio, siue de iustitia teneatur obstare, loqui, manifestare, nisi enim tria hæc concurrant non possunt tales dici causa iniustæ acceptionis etiam per accidens, vt docuit D. Thomas 1.2 q.6. ar.3. adhec enim quod alterius actio alicui imputetur requiritur quod cum debeat impedire non impediat; nauis enim gubernator dum potest gubernare nauim, quæ sub sua cura est, & eam non gubernat, dicitur caussa submersionis eiusdem nauis; sed si altera, quæ sibi comissa non erat submergatur, licet ei potuisset succurrere, non censetur caussa naufragij, etiamsi teneretur ex charitate ad eam conseruandam, quæ non est sub sua cura; requiritur enim vt obligatus sit ad id ex iustitia, nam solū charitatis præceptum ad restitutionem quæ est actus iustitiæ non obligat.

De muto in particulari.

15 DIco quod mutus, hoc est ille, qui potest, & tenetur loqui consulendo, reprehendendo, recipiendo, clamando &c. & tamen tacet tenetur ad restitutionem, talis enim cum nō sit caussa directe, sed indirecte iniustæ acceptionis, tenetur ad restitutionem si verbis poterat, & debebat impedire iniustam acceptionem; Imo si aliquis, ad quem non spectat ex iustitia clamare, à fure accipiat aliquid, vt taceat, nō tenetur ad restitutionem accepti saltē illi, cui factum fuit furtum, si tamen id, quod accepit, non erat res furtiua. Quod autem ille, qui nō impedit actionem iniustam cum possit, sed non tenetur de iustitia non teneatur ad restitutionem, neque illi imputetur iniusta actio, patet ex hoc, inquit Sot. loco citato, quod Deus potest obuiare cuilibet peccato hominis, sed quia non tenetur, non ei imputatur peccatum.

De non obstante.

16 NOn obstans, id est non præbens auxilium impeditiuum actionis iniustæ si potest, & tenetur ex officio, tenetur ad restitutionem, & propterea domini temporales, qui non obstant Latrocinijs, quę fiunt in terris suis, tenentur ad restitutionem.

Similiter Camparij, quibus datur munus custodiendi vineas, & eas non custodiunt.

Similiter illi, quibus datur munus custodiēdi apothecas, & eas nō custodiūt.

Item illi, qui in consilio non obstant iniustis decretis.

Similiter tutores, qui pupillorum facultatum curam non habent.

Et iudices, qui non cogunt debitores ad soluendum.

Sed dices, teneturne ille, cui ex officio incumbit obstare, impedire in iniustam acceptionem, siue clamando, siue manifestando, siue alio modo obstando

cum

cum periculo vitæ suæ?

Ad hoc respondet Dom. Sot. in 4. de iust. & iure, q. 7. ar. 3. quod pensandum est damnum, quod potest sequi, & conferendũ est cũ periculo, non enim semper tenetur verbigratia Dux satellitum, Lege prætor quocunque casu obijcere se periculo mortis, sed tantum vbi detrimentum Reip. id exposcit, & ipse iustum recipit stipendium; & vbi citra temeritatem potest obsistere.

De non manifestante.

17 Non manifestans, itaut eius non manifestatio sit caussa indirecta iniustę acceptionis, seu detentionis, tenetur ad restitutionem, & hoc verum est quando non manifestans potest, & debet manifestare ex iustitia; secus si nõ tenetur ex iustitia, vnde fit quod aliquis interrogatus priuatim, puta post actionem iniustam ab eo, qui damnum accepit, an latrones audiuerit, viderit, aut cognouerit, si non respondet non tenebitur ad restitutionem, quia de iustitia non tenetur respondere interroganti priuatim; secus esset si interrogaretur à Iudice secundum ordinem iuris; & propterea testis non manifestans, quod potest cum ex officio ei incumbat manifestare tenetur ad restitutionem eius damni, quod patitur aliquis ex ipsius nõ manifestatione.

Hic adiungunt casistæ, vt Nau. quod confessor tenetur ad restitutionem quando ex ignorantia crassa, vel alia de caussa non manifestat pænitenti obligationem, quam habet ad restitutionem, & propterea pænitens non restituit; cũ enim confessarius, qui est iudex, ex officio teneatur pænitenti id manifestare, ipse tenetur restituere, si pænitens non restituit ex eo, quod confessarius non dixit teneri eum ad restitutionem.

18. Sed hic est dubitatio vtrum aliquando ille, qui tantum tenetur ex charitate obstare, aut manifestare, & non obstat, vel non manifestat, teneatur ad restitutionem?

Caetanus affirmat, quando est casus extremæ necessitatis, idest si ex non manifestatione absque dubio sequitur hominis mors.

Aliqui alij dicunt opinionem Caet. esse veram, quando non obstans, vel non manifestans tacet, vel non manifestat ex odio; secus si ex negligentia.

Sotus in 4. de Iust. & iure dicit quod neque ille, qui non manifestat, vel non obstat, tenetur ad restitutionem nisi ad id teneatur ex iustitia, siue quod idem est ex officio, vt supra nos diximus; & hæc est communis opinio, numquam enim sola contaminata charitas, nisi iustitia violetur, necessitatem restitutionis inducit. Atque hæc de ijs, qui tenentur ad restitutionem ratione acceptionis; de quibus in generali.

Notandæ sunt duæ regulæ, quarum prima est quod quilibet supradictorum decem debet intelligi obligatus ad restitutionem tantum si effectus est subsecutus, idest iniusta acceptio inferens dãnum proximo; nam si acceptio iniusta non est secuta, aut si non damnificasset proximum, nullus teneretur ad restitutionem, quia restitutio non est necessaria, vt inquit D. Thomas qu. 67. art. vltimo, nisi alterius damnum recompensetur.

Secunda regula est, quod quilibet supradictorum tenetur ad restitutionem insolidum, hoc est ad restituendum totum damnum, quod ipse caussauit, seu concaussauit; & dicitur insolidum, hoc est in integrum, quia secundum Iuristas solidum accipitur pro aliqua tota re. Vnde cum dicunt aliquem esse hæredẽ insolidum, intelligunt omnis hæreditatis; & quadrantis quartæ partis; & in semisse, idest mediæ partis.

11. Verum hic est dubitatio maxima, an vno prædictorum integre restituente, alij, qui etiam insolidum tenebantur ad restitutionem, teneantur de necessitate salutis ad iterum restituendum domino rei; vel illi, qui restituit, & ad quantum quisque teneatur; & quidem quod vno integre restituente, alij non tenentur restituere eidẽ domino, cui ipse semel est facta restitutio ab aliquo, nulla est dubitatio, quia si dominus rei habuit semel

semel quod illi debebatur, nõ est cur iterũ eidẽ fiat restitutio; an autem alij, qui etiam in solidum tenebantur ad restitutionẽ, teneantur de necessitate salutis ad restituendum illi, qui iam restituit, est magnum dubium, & ratio dubij est quod omnis, qui tenetur restituere, vt su prądiximus, vel eidem tenetur restituere ratione rei acceptæ, vel ratione acceptionis; sed postquam vnus restituit, reliqui eius complices non videntur teneri ad restitutionem ei, qui iam restituit ratione rei acceptæ, quia nihil eius habent, vel habuerunt; neque ratione acceptionis, quia nihil acceperunt.

Ad hanc difficultatem multa dicunt Caet. in com. supra 62. quæst. D. Thomæ ar. 6. in 2. 2. & Dominicus Sot. 4. de iust. & iur. qu. 7. ar. 3. iuxta quorum doctrinam dicendum est quod in hac materia est aliquid clarum, & manifestum; aliquid verbo obscurũ, & quod magna inquisitione dignum vt dilucidetur.

Notandum igitur est quod casus prædictus potest contingere triplici modo; primo rebus acceptis existentibus apud eos, qui acceperunt. Secundo rebus acceptis consumptis ab eisdem. Tertio quod nulla fuerit acceptio lucrosa alicui, sed solum damnificatoria; vt in destructione domus, incendio, conculcatione seminum, & huiusmodi; & in primo & secundo casu clarum est quod alij tenentur refundere ei, qui restituit tamquam substituto domino illarum rerum tantum quantum habent, vel habuerunt; ex eo namque quod vnus restituit precium totius, factus est Dominus rerum extantium apud alios; & est subrogatus in iuribus illius, cui precium rerum consumptarum debebatur ab ijs, qui consumpserant. Et hoc patet quia ista refusio debet fieri ratione rei acceptæ extantis, vel consumptæ mala fide quantum sit illi, qui succedit dominio, vel in dominio respectu extantium rerum, vel in iuribus respectu consumptarum.

In tertio casu quando ad nullum portio aliqua deuenit, obscurum est quando alij teneantur refundere; ad hoc autem discernendum oportet perspicere an ille vnus, qui integre restituit, fuerit inductus ab inducens, aut æque spontaneus ad damnificationem; quia si fuit inductus, tenentur alij, qui ipsum ad maleficium induxerunt, ad refundendum ei saltem æquis portionibus, quoniam inductus ad maleficium ex hoc ipso quod inductus est ad damnificandum alium, consequenter ductus est ad statum, in quo tenetur ad satisfaciendum in solidum, ac per hoc ab inducentibus passus est per viam sequelæ hoc damnum.

Si vero fuit inductor aliorum ad maleficium ille, qui integre restituit, non tenentur inducti ad refundendum eidẽ, quia illi non damnificauerunt deducendo ipsum ad statum, in quo teneatur ad restitutionem in solidum, sed è contra. Si autem æquè spontaneus fuit ille, qui integre restituit, ita quod nec induxit, nec inductus fuit, tunc iterum est distinguendum, aut ille sine alijs non iuisset ad maleficium perpetrandum, puta quia periculosa aggressio; vel sine socijs non fuisset ausus, vel huiusmodi; & sic cum par sit de omnibus huiusmodi ratio, quilibet alius prædicto modo indirecte dãnificauit, quoniam quilibet posuit socium in statu restituendi in solidum; ac per hoc æquis saltem portionibus tenentur refundere ei, qui restituit, imo & gratias illi agere, quod eripuit eos ab onere restituendi in solidum, aut qui libet sine alijs iuisset, sed tamen simul iuere, & tunc inquit Caet. locis citatis quod de rigore iuris non videt quod alij teneantur refundere ei, qui restituit, quia nullus alium damnificauit, quamuis de æquitate deberent refundere ei; æquum quippe est vt socij in damno inferendo sint etiam socij in damno sustinendo.

Sed hic demum restat dubium vtrum duobus, qui furtum commiserunt, obligatis ad restitutionem in solidum possit dominus alteri remittere, & ab altero totum exigere?

Ad hoc respondet Caetanus, & Sot. locis citatis, quod non, quia hoc esset in præiudicium alterius, si enim totum ab vno extorquet non potest facere quin alter teneatur restituenti pro rata, modo

iam

iam expôsito; si autem alterutri donare voluit, seu remittere, debuit tanto minus ab altero extrahere, quantum alteri condonauit. atque hæc sufficiant quantum ad primam radicem restitutionis. Nunc pergemus ac tractandum de ijs, qui tenentur ad restitutionem ratione rei acceptæ.

De his, qui tenentur ad restitutionem ratione rei acceptæ.

1 *Secunda radix restitutionis est res accepta.*

2 *Res aliena potest haberi vel bona, vel mala fide.*

3 *Quinam dicatur habere bonam fidem.*

4 *Qui emit rem bona, & eam vendidit bona fide, quid teneatur restituere secundo emptori si pretium restituendum sit.*

5 *Emens rem alienam a non domino, postea certior de hoc factus, an possit eam reddere venditori, & recuperare suam pecuniam.*

1 Altera radix restitutionis est res aliena, secundum quam statuitur hæc propositio quod quilibet habens rem alienam tenetur eam restituere; Et in promptu caussa est quia videlicet res illa non est ipsius, sed alterius; & propter hoc non detinenda, sed danda illi, cuius est; nam si non redderetur illi minus haberet de suo, & damnum pateretur, quod constat esse iniquum.

2. Aduertendum tamen est circa hoc quod res aliena dupliciter haberi potest, idest vel bona, vel mala fide; & rursus vel in seipsa, vel in aliqua re, seu effectu loco illius rei, puta quia habetur illius precium, vel habetur res propria conseruata, quæ consumpta fuisset, nisi fuisset vsus re aliena.

Et si mala fide res aliena ab aliquo habeatur, quomodolibet habeatur, tenetur eam restituere.

Si autem bona fide habeatur in seipsa tenetur ipsam restituere; quia aliena est, & hinc fit vt qui bona fide emit rem alienam, quam putabat esse vendentis, teneatur eam restituere domino rei absque aliquo precio, quia restitutio illa oritur ex re aliena, & non ex culpa acceptionis.

Si vero bona fide habetur non in seipsa, sed in suo, vel precio, vel effectu; vel quocumque alio simili modo, tenetur restituere id, in quo factus est ex re illa locupletior, & non plus; & si in nullo factus est locupletior, ad nullã tenetur restitutionem.

Et hinc fit primo quod si aliquis bona fide emit equum viginti aureis à latrone bona fide, quem vendidit triginta, teneatur restituere tantum decem, quia tantum in decem factus est ditior.

Secundo quod si quis bona fide rem alienam sibi dono datam vendidit, teneatur restituere precium, quia factus ex re aliena ditior in illo precio.

Tertio fit vt si quis rem alienam emisset, & vendidisset bona fide absque lucro, ad nullam teneretur restitutionem.

Quarto fit quod si quis vsus est equo sibi à latrone donato non in necessarijs casibus, ad quos equum vel emisset, vel conduxisset, nihil tenetur restituere; secus autem si eius operas locasset, quibus factus esset ditior.

Quinto hinc fit, vt si quis bona fide inuitatus ad cœnam de alieno vitulo comedit, & consuetos sumptus fecit, quos pro sua cœna fecisset, non tenetur ad restitutionem, quia non est factus ex vsu rei alienæ locupletior; si vero propter conuiuium pepercit sumptui, quem fecisset pro cœna propria tenetur ad restitutionem non tantum quantum

valent comesta in conuiuio, sed quantum factus est locupletior ex vsu alieno. Atque hæc ideo sint specialiter dicta; vt ex his similia possint iudicare aduertendum quod nulla est quoad restitutionem differētia inter rem alienam, & fructus rei alienæ, quia fructus ipse est res aliena, si fructus est rei alienæ; vt vindemiasti vineam, quam putabas esse tuam, cognouisti deinde non esse tuam, debes restituere, & vineam, seu vinum, & vuas, quia vuæ erant res alienæ; secus autem si essent fructus acquisiti ex industria ex re aliena; vt si aliquis ex pecunia aliena lucratus fuisset.

Atque ex his rebus, & exemplis reliqua omnia iudicari possunt de restitutione, quæ consurgit ex parte rei, sicut ex ante dictis possunt iudicari omnia pertinentia ad restitutionem quæ consurgit ex partibus acceptionis iniustæ, sed pro maiori iustitia tantum sunt soluendæ tres dubitationes.

3. Prima dubitatio est quinam dicatur habere bonam fidem in hac materia?

Respondeo ex Nau. in Man. cap. 17. nu. 10 quod ille, qui probabiliter credit rem esse suam, aut esse eius, qui sibi eam dedit; aut eum, qui eam dedit habuisse ius eam dandi.

4. Secunda dubitatio verum ille, qui emit rem bona fide, & deinde eam vendidit bona fide eodem, vel minori precio, quo emerat si postea secundus emptor cogatur semper restituere teneatur ad restituendum precium eidem secundo emptori.

Ea, quæ hactenus diximus de restitutione ratione rei acceptæ, habētur apud Doctores nec est de eis controuersia; & de eis dicit Caet. in Man. verbo restitutio, ita Sot. in 4. l. de iustitia & iure. q. 7. ar. 3. vbi & ponit omnia fere exempla post Caet. Ita & alij omnes.

Sed de hac dubitatione nunc proposita est controuersia inter omnes Doctores, Nauarrus enim loco citato nu. 8. dicit quod primus emptor tantum tenetur cedere secundo emptori actionem de euictione, quam habet contra eum, à quo bona fide emit, quia in ea actione tantum factus est locupletior?

Sotus vero l. 4. de iust. & iur. q. 7. ar. 2. contrariam dicit, nempe primum emptorem teneri seruare secundum emptorem indemnem.

Et probat primo quia cum primus emptor sciat se non transtulisse aliquod dominium rei in secundum emptorem, debet putare se periclitari iure restituendi, & propterea etiam cogitur eidem restituere suum precium.

Secundo probat quia si quis à latrone vitrum pro pretiosa gemma magno pretio emisset, eodemque pretio rursus bona fide venderet, sciens postea rei falsitatem, teneretur contractum rescindere.

Tertio quia ille, qui pecuniam adulterinam ab alio bona fide receptam tertio tradit, posteaquam id resciuerit, tenetur eam comutare in legitimam, vt ipsemet Nauarrus ait cap. cit. nu. 167. ergo simili modo, & in casu proposito tenebitur primus emptor reddere secundo emptori precium.

Ex his sequitur, inquit Sot. quod si emptor ille secundus non compareat, neque vllus sit metus quod sit ab illo exigenda res illa; tunc ille, qui bona fide illi vendiderat, licet tunc sciat fuisse alienam, ad nullam tenetur restitutionem, quia à domino rei liber est, postquam nec rem habet, nec factus est per eam ditior, & alteri nullum dedit damnum.

5. Tertia dubitatio an ille, qui bona fide emit rem alienam à non domino, de hoc postea certior factus possit illā reddere venditori, & recuperare suam pecuniam?

Nauarrus loco citato n. 9. credit quod sic, & citat in suam sententiam Alex. de Ales in 4 p. & Gab. in 4. sent. & probat quia emptor plus tenetur sibi prouidere, quam domino rei, & reddendo rem non domino recuperato pretio sibi prouidet, faciendo actum iustum.

Et licet per accidens ex hoc contingat damnum domino rei, quia forsitan venditor eam rem non restituet, id non est imputandum emptori quia reponit rem alienam penes eum, à quo eam accepit.

Sotus loco citato contrariam dicit,

primo

primo quia exponere rem periculo vt in manus domini non veniat, non est licitum; sed reddere rem alienam latroni, qui vendidit, est exponere eam periculo, vt in manus Domini non veniat.

Secundo quia res aliena in cuiuscunque potestate sit facit eum obligatum ad reddendum illam legitimo domino, & si hoc non faciat, obligatur ad tantundem restituendum, ergo in præsenti casu emptor non debet restituere rem latroni venditori, sed Domino.

Tertio quia si latro disparuisset, itaut nesciretur vbi est, tunc qui rem emit ab eo debitor esset domino, & in foro iudiciali compelleretur eidem domino rem exhibere etiam cum iactura pretij; sed hoc signum est apertum illum teneri de iustitia. Ob id autem quod latro reperiri potest, idem dominus nullum ius amittit, ergo etiã si reperiatur latro, tenebitur emptor restituere rem domino rei, non autem latroni.

Quarto & vltimo quia si in foro iudiciali compertum esset, illum emptorẽ, postquam certo sciuit rem esse alterius domini, tradidisse latroni, conuinceretur domino soluere.

Sotus ait ex hoc quod licet quidem emptori, si fieri potest latronem conuenire, & capere vt ab eo pretium extorqueat; non autem licet illi rem alienam reddere.

Sunt aliqui Doctores qui dicũt quod si aliquis à latrone bona fide habuit rẽ alienam titulo oneroso, poterit eandem rem restituere latroni, vt possit recuperare suum pretium; non autem posset tuta conscientia eandem rem restituere latroni, si eam ab eo habuisset titulo gratuito; sed mihi magis placet sententia Soti, atque hæc de hoc capite dicta sufficiant.

CAPVT TERTIVM.

Quid sit restituendum.

1 *Quotuplicia bona supposita restitutioni.*

2 *Bona animæ triplicis generis.*

3 *Quomodo contingat aliquem inducere ad peccandum.*

4 *Quomodo peccet quis inducens aliũ ad peccandum.*

5 *Inducens alium ad peccandum sine intentione nocendi, an grauiter peccet.*

6 *Inducens alium ad peccandum, an semper obligetur ad restitutionem.*

7 *Inducens alium ad peccandum vi, vel fraude, qualiter teneatur ad restitutionem.*

8 *Remouens, aut dissuadens aliquem à religione ad quid teneatur.*

9 *Si quis bona intentione dissuasit cuiquam propositum religionis, nil tenetur restituere religioni.*

10 *Si dissuadeat mala intentione, modo id faciat sine vi, & fraude, ad quid teneatur.*

11 *Quid si id faciat cum vi, vel fraude.*

12 *Aut si subtraxit aliquem à religione sine vi, & fraude, an teneatur ipse ingredi religionem.*

13 *Damnificans aliquod cœnobium, vel monasterium in bonis temporalibus ad quid teneatur.*

14 *Distrahens aliquem à studio litterarum, aut artium, an teneatur ad restitutionem.*

15 Qui præstigijs aliquem dementauit, ad quid teneatur.

1 CAetanus in summa verbo restitutionis effectus, dicit distinguendum esse, vt sciamus quid restituendum sit, an videlicet restituendum sint res alienæ, an vero damna; Et si quidem restituendæ sint res alienæ illæ restitui debent, si potest fieri, si vero nõ possint restitui, quia non extant, vel propter aliquem alium casum, restituendũ est æquiualens; verum damna vitæ, mẽbrorum, sanitatis, famæ, fructuum, seminum, damni emergentis, vel lucri cessantis, & similia restituenda sunt, vt possibile est in bonis aliquibus loco dãnorum, prout arbitrio boni viri iudicabitur; Et non plura dicit Caetanus in summa circa hoc quæsitum quid restituendum sit, quæ quidem vera sunt, sed nimis generaliter dicta; & propterea in particulari de vnoquoque genere bonorum, quæ possunt esse obnoxia restitutioni est singillatim aliquid discernendum.

Quattuor enim sunt bonorum genera; quæ sub obligatione restitutionis cadere possunt, vt diximus in primo capite, idest bona animæ, corporis, famæ, & fortunæ, de quibus specialiter aliquid dicam; & primo de restitutione bonorum animæ.

De restitutione bonorum animæ.

2 BOna animę sunt triplicis generis, nam vel sunt spiritualia, vt gratia diuina, & virtutes quæ eam sequuntur, vel sunt acquisita temporalia, vt scientia; vel sunt naturalia temporalia, vt intellectus.

Et vt à spiritualibus initiũ capiamus quæritur an ille, qui est alteri caussa peccati, ipsũ scilicet inducẽdo in peccatũ, & consequenter priuando eũ gratia, teneatur eo meliori modo, quo potest eũ reuocare in gratiam diuinam, suadendo ei vt resipiscat, & pænitentiam agat, & orando pro eo?

Scotus in 4. sent. dist. quinctadecima q. 3. ar. 1. Ricc. eadem dist. 15 ar. 4. qu. 2. quem sequitur Palud ibidem, & Adrianus in materia de restitutione tenẽt partem affirmatiuam, & ratio eorum est quia qui nocet in bonis temporalibus aliquem, tenetur ad restitutionem eidẽ, ergo multo magis & qui nocet in bonis spiritualibus, quæ bona spiritualia tanto pretiosiora sunt bonis temporalibus quanto pretiosior est anima illis; imo gratia Dei est pretiosior vniuerso orbe, vndè dicit D. Gregorius, vt fertur 6. q. prima cap. ex merito quod deteriores sunt illi, qui mores bonorum corrũpunt, illis, qui eorum prædia diripiunt.

Sed partem negatiuam contra prædictos Doctores defendunt Syluester in sum. verbo restitutio tertio in prine. Dom. Sot. 4. de iust. & iute. q 6. at. 3. & Nau. in Manuali. cap. 17.

Sed pro solutione huius dubij, notandum est primo quod circa hanc materiam, vel possumus loqui de grauitate peccati, vel de restitutione facienda, quia in hac materia potest fieri, vt quis grauissime peccet, & tamen non teneatur ad restitutionem.

3. Secundo notandum est quod inducere aliquem ad peccandum potest dupliciter contingere, primo in intentione nocendi, Secundo non intentione nocendi, sed tantum satisfaciendi suæ voluptati.

Tertio notandum est adhuc quod inducere aliquem ad peccandum, siue intentione nocendi, siue tantum satisfaciendi suæ voluptati dupliciter accidere potest, vno modo contra iustitiam, & alio modo contra charitatem tantũ; Cognoscitur autem huiusmodi inductio esse contra iustitiam si fiat per fraudem, vt si quis induceret aliquem ad peccandum dicendo talem actionem non esse peccatum; vel si id faciat per violentiam, & minas, vt si quis induceret fœminam ad peccandum comminando mortem nisi consentiat.

4. His notatis dico primo quod si quis inducit alium ad peccandũ inten tione nocẽdi illi in bonis spiritualibus, (itaut eius finis sit nocere in bonis spiri-

tuali-

tualibus) multo magis peccat, quam si priuaret eũ omnibus bonis tẽporalib., quia id est magnum damnum, mala intentio, imo pessima, & maxime contra charitatem; & hoc est, quod dicit D. Gregorius loco citato.

Dico secundo quod quando aliquis inducit aliquem ad peccandum non intentione nocendi, sed tantum assequendi proprium commodũ, vel explendi propriam voluptatẽ, non ita grauiter peccat, ac si damnificaret tũ in tẽporalibus, licẽt grauius noceat, ita Sot. loco citato; Quis enim asserat eũ, qui mulier culã corruptã absque vlla vi, & fraude sollicitat, sed tantũ prece, vel pretio, tã graui crimine complicari, quam si omnia bona sua diriperet, aut eam occideret? reuera nulla esset in tali assertione apparẽtia rationis. Fallax ergo est argumentũ, plus nocet ergo grauius peccat.

6. Dico tertio quod ille, qui inducit aliquẽ ad peccandum non semper obligatur ad restitutionem, etiamsi id faciat animo nocendi in bonis spiritualibus, modo sine, vi & fraude illũ inducat ad peccandũ, nã inducens vbi non est vis, & fraus, ad summum tenebitur ad seruã dum generale præceptum fraternæ correctionis circa inductum, sicut & tale præceptum tenetur seruare circa eos, quos ipse non induxit ad peccandum, sed ab alijs fuerunt inducti.

Istud dictũ duas continet in se partes, quarum prima est, quod inducens cessante vi, & fraude non tenetur ad restitutionẽ inducto ad peccandum, quæ probatur quia inducẽs si cessat vis, et fraus, nõ peccat contra iustitiam, sed tantum cõtra charitatem. Secundo quia inducens nihil ab inducto aufert, nam nemo dicitur auferre quicquam ab aliquo, quod teneatur restituere, nisi ab inuito, qui autem & sciens, & prudens peccat, quantumuis precibus alterius succumbat, id quod facit nõ facit inuitus, alioquin non peccaret; peccatum enim, vt dicit D. Augustinus libro de vera Religione, non est peccatum nisi sit voluntarium. Tertio probatur nemo tenetur ei restituere, qui non vult quod sibi ablatum est, sed ille, qui non vult resipiscere à peccato non vult gratiam Dei, quæ ab eo ablata est, in sua enim potestate est per Dei auxilium diuinam gratiam recuperare, quam si non recuperat, id est ex sua culpa, & alter remanet à debito liberatus; etenim si ego furatus sum alteri auri pondus, quod expositum est, & manifestum relinquo domino, vt quando ei libuerit illud eripiat, si ipse renuerit illud recipere, liberatus sum ab obligatione restitutionis, non enim teneor eum hortari, vt quod suum est recipiat.

Posterior pars idest quod inducens teneatur ex correctione fraterna corrigere patet, quia corrigere alios, quos non induxit ad peccandum tenetur; magis tenetur quos ipse induxit ad peccandũ corrigere. atque hæc satis non vt habenas hominibus perditis laxem; est enim enorme scelus alienos mores veluti dæmonis ministros deprauare; sed tantum ad demonstrandũ quousque pertingat obligatio restitutionis in hac materia.

7. Dico quarto quod si aliquis induxit aliquem ad peccandum vi, vel fraude; tenetur facere quicquid potest ex iustitia, vt quem seducit, veritatem doceat, vel liberum relinquat, vt possit resipiscere si vult, vt si alicui forte dixisti aliquem contractum non esse vsurariũ, qui tamen erat; ob quam deceptionem ille exercet talem contractum, in tali casu ex iustitia tenetur fallax ille homo docere veritatem, ne falsus male agat; quapropter hæresiarca, qui hæresies seminauit tenetur recantare palinodiam, & quantum in se fuerit conuellere iniqua semina. Similiter si aliquis induxit aliquam fœminam ad fornicationem per deceptionem dicendo non esse peccatum, tenetur ei dicere verum, & ostendere dixisse falsum, & hæc satis.

8. Dubitatio secunda an ille, qui remouit aliquem à proposito religionis, seu extraxit à monastica vita, teneatur ad restitutionem?

Palud. in 4. talẽ teneri ad restitutionẽ in integrũ dicit, nẽpe vel persuadere, vt iterum in religionẽ ingrediatur, aut substituere alium similem eius loco, aut ipse intrare, idem dicit D. Antonius. 2. p. tit. 2. cap. 2. & Adrianus ac Man. in 4. dist.

dist.15.q.23. Et Paludan. refert exemplum Raymondi celeberrimi generalis ordinis prædicatorum, qui dicta de causa induit habitum dicti ordinis. Et probant isti suam sententiam primo quia cap. si seruus dist.14. dicitur de Episcopo quod si scienter ordinauerit seruum insciente eius domino debebit duplum precium serui restituere; ergo & pari modo, si quis abduxerit aliquē à proposito religionis, seu à via monastica, tenebitur religioni tantundem restituere.

Secundo quia qui damnum dat alicui religioni tenetur illud resarcire, sed potest fieri quod quis à religione distractus esset vtilis religioni in temporalibus, ergo abstrahens tenebitur abstracto resarcire damnum.

Tertio qui damnificat aliquem in aliquibus bonis tenetur ei restituere; sed qui abstrahit a religione damnificat eū in omni genere bonorum, ergo tenetur eidem restituere, & resarcire damnum.

Contrariam sententiam tenent Sot. q.6. ar.3.& alij, pro solutione huius difficultatis.

9. Dico primo quod si quis bona intentione dissuasit alicui propositum religionis, non tenetur quicquam restituere religioni, & probatur primo quia cū ille nondum esset religiosus, religio nondum acquisierat ius in eum, & ideo qui dissuasit ei propositum religionis, non sustulit aliquid, quod est religionis.

Secundo quia licet religio sit consilium euangelicum, quod vero hic & nunc ingrediatur talē religionē potest cadere in consultationem absque iniuria religionis & eius, qui vult fieri religiosus, vt si quis haberet parentes pauperes, infirmos, & senes, haberet propositum religionis, posset illi dissuaderi tale propositum, vt in sæculo manens auxiliaretur parentibus in temporalibus eos alendo, & cætera huiusmodi.

Item si alicui inconstanti esset propositum ingrediēdi religionem, posset illi dissuaderi tale propositum, si postea eū discessurum cum infamia à religione timeretur.

Item si in religione viuerent nimis laxe, & aliquis vellet eam ingredi, posset quis dissuadere ne ingrederetur in damnnm vitæ suæ.

10. Dico secundo quod si quis dissuadet alteri propositum religionis etiam mala intentione modo id faciat sine vi, & fraude; non tenetur ad restitutionem quicquam de iustitia ei, qui suo cōsilio etiam malo non ingreditur religionem, neque tenetur restituere religioni, neque ipsi; Quod autem non teneatur restituere abstracto à religione, probatur quia volenti non fit iniuria, sed ille, cui persuasum est ne ingrederetur religionem sponte mutauit voluntatem, & voluntariè, licet ex persuasione alterius, ergo nihil est ei restituendum. Secundo quia talis potest si vult ingredi religionem, ergo non est cur ille, qui dissuaserat propositum religionis, teneatur restituere illi aliquid.

Quod autem qui dissuasit propositū alicui religionis nō teneatur restituere quicquam religioni probatur, quia religio nondum habebat ius in eum, cui dissuasum est propositum religionis; neque vrget id, quod Palud. & alij afferunt de episcopo ordinando seruum, nam monachus in religione non est sicuti seruus sub potestate Domini; Dominus enim vtitur seruo, seu mancipio eo modo, quo vtitur equo suo, & potest eum vendere sicuti eum emit, non ita monachus in religione est veluti seruus prælati, nec manet in religione ad vtilitatem prælati, sed ad vtilitatem suam spiritualem.

11. Dico tertio quod si quis vi, fraude, seu deceptione distraxit aliūm à vita monastica, tenetur eidem restituere remouendo vim vt possit in religionem ingredi, & docendo veritatem, si ex eo, quod dixerit falsum non est ingressus in religionē, & tenetur facere quicquid potest, vt distractus à religione per vim, & fraudem, recipiatur in religionē. Vt si quis in cubiculum aliquod inclusit aliū quia volebat fieri religiosus, tenetur de iustitia eum reddere liberum, vt possit, si vult ingredi religionem. Similiter si quis detrusit aliquem in carcerem, ne fieret religiosus tenetur eum liberare,

re, vt possit, si vult fieri religiosus; pari modo si ne talis filius tuus fieret monachus in tali religione, dixisti in tali religione non seruari regulas, & ideo non conducere animæ statum illorum religiosorum, teneris iterum docere veritatem.

Item si ne talis fieret religiosus falsum dixisti superioribus illius religionis, eum esse hominem prauum, non idoneum religioni, & ideo noluerunt eum, teneris dicere veritatem superiori, vt talis possit recipi.

12. Dico quarto quod ille, qui subtraxit aliquem à religione professum, vel non professum sine vi, & fraude non tenetur ipse ingredi religionẽ ex iustitia, neque alium loco subtracti substituere. Hoc dicit Sot. loco citato, & probat quia ingressus in religionem, & professio debent fieri omnimoda libertate; Et propterea Sancta Mater Ecclesia instituit, vt volentibus in religione profiteri detur annus integer probationis, in quo possit videre ille, qui ingressus est, an sibi placeat religio, & modus in ea uiuendi, & si non placuerit possit discedere: neque vnquã auditum, quod Sum. Pontifex, aut alius ex prælatis coegerit aliquam propter aliquod delictum ad emittendum votum religionis, licet aliquando propter aliquod delictum aliqui condemnentur, vt perpetuo degant in aliquo monasterio, non tamen tenentur emittere votum professionis in illo Monasterio.

13. Dico quinto quod si aliquis damnificauit aliquod cœnobium, vel monasterium in bonis temporalibus, eo quod subtraxerit aliquem ex tali monasterio, vel religione, tenetur illi monasterio tẽporale damnum resarcire; & de hoc nulla est dubitatio inter Doctores, si enim quis ex religione subtraxit lectorem; & propterea religio patitur damnum stipendij, quod dat extraneo lectori, tenetur qui lectorem extraxit ex religione satisfacere religioni pro damno dato.

Ad illud, quod afferebatur de Raymundo respondeo Raymundum ex consilio non de iustitia ingressum esse religionem, eo quod alium à religione subtraxerat.

Ad primam rationem de seruo ordinato responsum est in secundo dicto. ad secundum in vltimo dicto. & ad tertiũ in primo, secundo, & tertio dicto.

14. Tertio quæritur circa restitutionẽ bonorũ temporalium, & acquisitorum animæ, vtrum ille, qui distraxit aliquem à studio litterarum, seu ab instructione alicuius artis, teneatur ad restitutionem.

Ad hoc respondeo iuxta supradicta, primo quod si sine vi, & fraude eum subtraxit à studio litterarum; sed tantum persuasionibus, atque illecebris, non tenetur ad restitutionem, quia volenti nõ fit iniuria, cum enim iste voluerit subtrahi, ego de iustitia, qui eum subtraxi non teneor ad restitutionem.

Respondeo secundo quod si aliquis subtrahat aliquem à studio litterarum, vel alicuius alterius artis vi, vel fraude, tenetur ad restitutionem docendo veritatem, relinquendo eum liberum vt possit studere, & satisfacere ei, si ex cessatione studij patitur aliquod malum temporale, vt si non lucratur propter vim, quæ subtraxit illum à studio litterarum.

15. Quarto quæritur circa restitutionem bonorum naturalium animæ, vtrum teneatur ad restitutionem ille, qui præstigijs aliquem dementarit?

Respondeo affirmatiuè, tenetur enim eum sanare si potest; & ad omnia damna, quæ patitur ex eo, quod factus sit amens. Atque hæc de restitutione bonorum animæ.

De

De restitutione bonorum corporis.

1 *Bona corporis quæ enumerentur.*
2 *Occidens aliquem quid, & cui teneatur restituere.*
3 *Mutilans aliquem ad quid teneatur.*
4 *Quis dicatur homicida, mutilans, & deformator.*
5 *Pro vita ablata, vel membris abscissis, vel illorũ deformitate quid sit restituendum.*
6 *An contra homicidam valeat pœna talionis.*
7 *Occidens aliquem, aut percutiens, si puniatur à Iudice, an teneatur soluere damnum parti læsæ.*

1 INter bona corporis potest connumerari vita; possunt connumerari membra, item habilitas membrorũ, sanitas, libertas, & formositas, seu pulchritudo.

Notandum est quod hic possumus loqui, vel de restitutione bonorum corporalium, in quibus quis patitur, aut sui hæredes ex priuatione vitæ, ex mutilatione, ex amissione libertatis, ex priuatione sanitatis, aut ex deformitate; vel de restitutione aliqua facienda pro vita ipsa, pro membro inciso, vel debilato. Hoc supposito.

Dico primo quantum ad damna corporalia, quæ sequuntur ex his caussis, quod qui occidit aliquem tenetur restituere filijs, seu eius hæredibus damna, quæ patiuntur ex occisione, non semper in integrum, sed ad iudicium prudentis viri, quando non possunt, vel debẽt talia damna integre restitui; vt si aliquis sutor occidit aliquem, qui pascebat suos filios, tenetur alere filios; sed ad iudicium prudentis viri; nam si ille, qui occidit, erat sutor qui parum lucratur, & cui occisus est erat pharmacopola, qui multum lucrabatur, non tenetur Sutor restituere omnia damna, quia non potest; imo non tenetur restituere omne quod lucratur, nam debet seruare pro se tantum, quantum sufficit ad misere viuendum, nam, inquit Sot. in 4. de iust. & iur. q. 3. ar. 3. recurrendum est ad iudicium prudentis viri, seu ad Theologum, qui prudens vir in suo arbitramẽto debebit multa considerare, vt ex parte occidentis, an sit diues, an pauper, an multum, an vero parum lucretur; nã si est diues, magis ad æqualitatem poterit restituere; item ex parte occisi debet considerare, an esset homo frugi, an aleret suam familiam; ex parte hæredum, vt filiorum occisi, an sint pauperes, an multũ emolumenti habeant, vel habebant ex occiso quando viuebat; item modum occidendi, an homicida occiderit prouocatus, an vero delibe rata voluntate per fraudem, & similia. Item considerare quod lucrum in spe non tantum valet quantum in re, poterat enim occisus cito mori, vel diutius viuere.

Et notandum est hic quod restitutio non est facienda omnibus, quos alebat occisus, sed tantum illis, quos alebat de iure vt filijs. Sed si habebat socios, quos alebat non tenetur restituere, tenetur item homicida soluere impensas factas in medicinis, si quæ factæ sunt antequã moreretur. ita Nau. in Man. cap. 15. n. 20 Palud. in 4. dist. 15. q. 3 Adrian in 4. in materia de restitutione quæst. vltima ita Io. Maiorag. in 4 q. 15 Sot. in 4. de iustitia & iure q. 6. ar 3. D. Thomas & Caetanus 2. 2. q. 62. Syluester & alij summistæ in verbo restitutio, seu in verbo mutilatio. Addit Nauarrus loco citato quod homicida tenetur ad impensas funeris, quæ fieri solent hominibus eiusdem conditionis pro loco & tempore, in quo sepultus fuit; verũ iste mortuus fuisset semel, & impensæ factæ fuissent.

Ex

Ex his, quæ diximus de homicida colligere possumus primo quid de mutilatore, aut debilitatore, quantum ad restitutionem damnorum ex mutilatione, seu debilitatione secutorum dicendum sit, qui enim aliquem mutilauit, seu debilitauit tenetur eidem restituere impensas factas in medicis, & medicinis si quæ factæ sunt, & resarcire damnum cessans si aliquid cessat propter mutilationem, seu debilitationem, & omne damnum, quod inde emergit iuxta arbitrium prudentis viri.

Infertur item quod ille, qui aliquem deformauit, si ex tali deformitate sequitur aliquod incommodum temporale, tenetur resarcire eidem omne, quod patitur ex tali incommodo, vt si fœmina pulchra potuisset contrahere propter suam formositatem cum ditiore, & facta deformis non potest cum eo contrahere, cum quo poterat, & volebat, tenetur ille, qui eam deformauit ad resarciendum hoc damnum, puta ad dandum tanto plus pecuniæ, quanta sufficit ad contrahendum cum simili.

Sequitur item quod si aliquis aliquem incarcerauit, aut condemnauit ad triremes, tenetur facere quicquid potest vt talis liberetur, & expendere pecunias opportunas ad talem liberationem; Item tenetur ad resarciendum eidem omnia damna temporalia, quæ passus est propter talem incarcerationem, vel condemnationem.

Demum sequitur quid dicendū sit de eo, qui reddidit aliquem infirmum, seu fuit caussa infirmitatis alterius, tenetur enim eidem restituere omnes impensas factas propter infirmitatem, & resarcire damna ex tali infirmitate sequuta.

4. Notanda autem hic sunt tria, quorum primum est quod cū dicimus homicidam, mutilatorem &c. intelligimus omnem illum, per homicidam, teneri ad restitutionem qui fuit causa homicidij, aut mutilationis, vel exequendo, vel iubendo &c. eo modo, quo in antecedenti capite exposuimus.

Notandum est secundo quod hic per homicidam &c. intelligimus tantum eum, qui iniuste occidit, mutilat &c. nam si quis iuste occidit, mutilat &c. seu est caussa mutilationis &c. non tenetur ad restitutionem, neque ad resarciendum damna, quæ ex occisione, seu mutilatione accidere possunt; si enim prætor condemnat aliquem ad mortem, non tenetur alere familiam, quam condemnatus alebat; & ita omnes Doctores.

Similiter si aliquis occidit &c. ad suam defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, non tenetur ad restitutionem, nec ad resarciendum damna, quæ ex tali occisione sequuntur; ita omnes Doctores, cum enim non fiat contra iustitiam non est locus restitutioni.

Notandum est tertio ex Nauarro in Manuali c.15. nu.23. quod confessarius non debet absoluere iniuste occidentem &c. nisi prius restituerit pro damnis ex occisione, seu mutilatione sequutis, aut nisi firmum habeat propositum restituendi statim si potest, vel tempore conuenienti.

5. Dico secundo quod pro vita ablata, vel membris abscissis, vel deformitate illorum &c. non tenetur homicida, mutilator &c. aliquid restituere iuxta opinionem Nauarri in Manuali capitulo 15. numero 19. contra Scotum, Paludanum Io. Mai. Adrianum locis supra citatis, & contra Sotum in 4. de iustitia & iure qu. 6. artic. 3 & ratio est quia vita hominis non potest restitui, neque membra, neque pro vita, & membris danda est aliqua pecunia, quoniam vita hominis liberi, & membra non sunt pecunia æstimabilia; Ecquis enim esset tam plebeius, qui oculum vellet vendere centum aureis? propterea si aliquis eruisset oculum alteri; si

si teneretur dare pecuniam pro oculo, quamuis diues sit, vt magis restitutio fieret ad æqualitatem, teneretur omnia bona sua temporalia dare, quia etiam omnibus bonis datis non esset facta restitutio vltra æqualitatem, imo infra æqualitatem.

Scotus, & alij loco citato dicunt absurdum videri quod aliquis teneatur restituere si occidat bouem proximi, non autem si occidat proximum ipsum. Nauarrus numero citato dicit id non esse absurdum, quia bos est pecunia æstimabilis, non autem hominis liberi vita. Et citat Nauarrus ibidem multas leges ciuiles, in quibus dicitur quod vita hominis liberi non est pecunia æstimabilis, sicut & membra non sunt pecunia æstimabilia. Et est lex, quam citat Nauarrus loco citato, quod si aliquis transiens per viam ab aliquo vase cadente de fenestra vulneretur, tenetur ille, qui fuit caussa vt incaute caderet vas, satisfacere vulnerato pro medicina & damnis temporalibus, nõ autem pro membro si debilitatum est, aut pro cicatrice si qua remanet.

Secundo dicit Scotus quod homicida, seu mutilator vbi est lex talionis tenetur eam patienter sufferre, quod si intelligat Scotus, postquam homicida est captus, & condemnatus, benedixit; si vero intelligit quod homicida &c. teneatur se offerre Iudici, vt pœnam talionis patiatur, id est falsum, & contra legem naturæ; esset enim seipsum occidere, nec vllus tenetur esse actor, & reus in foro exteriori.

6. Tertio dicit Scotus, quod homicida si non patitur pœnam talionis, tenetur saltem reliquum vitæ suæ contra infideles consumare pro anima occisi; sed neque hoc verum est, vt bene dicit Syluester in verbo restitutio 4. ff. secundo, quia ex eo quod homicida agat contra infideles, non recuperatur vita occisi.

Quarto dicit Scotus quod tenetur homicida orare pro occiso; quod neque verum est si intelligatur de iustitia, vt dicit Nauarrus loco citato & Sotus loco citato, nam si pro charitate deberet orare pro anima occisi, non tamen peccat contra iustitiam si non facit. atque hæc de quæsito dicta sufficiant.

7. Sed est dubitatio vtrum ille, qui alium occidit, seu percussit, si puniatur à Iudice, teneatur etiam ad soluendum damnum illatum parti læsæ?

Ad hoc respondeo cum Nauarro in Man. cap. 15. nu. 22. ex doctrina D. Th. prima secundæ qu. 64. art. 5. quod qui hominem iniuste occidit, mutilat, &c. facit iniuriam Deo, Reip., & parti læsæ; & propterea tripliciter remanet obligatus, videlicèt Deo, cui satisfacere debet per pœnitentiã pro peccato commisso; Reip., cui satisfacere debet sustinendo pœnam publicam; Et parti læsæ, cui satisfacere debet restituendo damnum; vnde sequitur, quod si committens homicidium decolletur à Iudice, hæredes decollati tenentur satisfacere damnum illatum à delinquente parti læsæ, sicut tenentur ad alia debita decollati; Similiter si propter furtum suspendatur fur, tenentur hæredes furis restituere res furtiuas, seu tandundem illis, à quibus surreptæ fuerunt. atque hec de restitutione bonorum corporis.

De

De restitutione famæ.

1 PRimo quæritur quid sit fama? Respondeo ex communi Doctorũ opinione, quod est bona existimatio de homine publicitus habita; & hæc est maioris existimationis, quam sint bona fortunæ, vt habetur Prou. ca. 22 & Ecclesiastici cap. 41. bonum enim nomen melius est, quam diuitiæ multæ, & tollitur fama ab aliquo maxime per detractionem.

2. Secundo quæritur, vtrum qui infamat aliquem, idest eius famam tollit, vel diminuit iustè teneatur ad restitutionem famæ?

Respondeo quod non secundum cõmunem Doctorum opinionem. Et probatur primo, quia vt ex dictis patet nõ datur locus restitutioni, vbi non fit contra iustitiam.

Secundo quia qui iuste aliquem occidit, non tenetur ad restitutionem, ergo etiam qui iuste infamat; quare iudex, qui secundum ordinem iuris aliquem condemnat ad mortem, licet inde sequatur infamia non tenetur ad restitu-

tionem. Similiter testis, qui iuste interrogatus à Iudice competenti contra aliquem deponit, etiamsi ex tali depositione sequatur infamia, non tenetur ad restitutionem, & sic de similibus.

3. Hinc sequitur quod licet aliquando peccatum sit contra charitatem aliquem infamare, modo tamen non sit contra iustitiam, non fundatur obligatio restitutionis, vt si iudex condemnaret ad mortem ex odio aliquem, qui secundum allegata, & probata mortem meretur; tunc enim sicuti non non tenetur Iudex ad resarciendum damna hæredibus sequuta ex morte condemnati, ita non tenetur ad restitutionem famæ, quæ fuit ablata per condemnationem ab eo, qui condemnatus fuit; Et sic de similibus.

4. Secundo hinc sequitur quod potest aliquando, vt dicit Sotus 4. de iustitia, & iure quæstione 6. arr. 3. iustus iuste infamari, quia fit secundum iustitiam, & non contra charitatem, vt si iudex secundum allegata, & probata condemnaret innocentem, ex qua condemnatione sequeretur infamia condemnati, tunc enim iudex quantum ad iustitiam iuste infamauit, quia faceret secundum ordinem iuris, nequo peccaret contra charitatem secundum opinionem D. Thomæ, quia iudex tenetur iudicare secundum allegata, & probata.

5. Tertio quæritur an ille, qui infamat aliquem iniustè teneatur ad restitutionem?

Ad hoc respondēt communiter Doctores affirmatiue, quia si est restituenda pecunia iniuste ablata, quæ est minoris æstimationis, multo magis est restituenda fama iniuste ablata, quæ est maioris æstimationis, vt supra in primo quæsito.

Notandum autem hic est quod adhoc, vt quis iniuste infamans; teneatur ad restitutionem famæ tria requiruntur, vt videre est apud Sotum loco citato.

6. Primo quod vere aliquem infamauerit, potest enim fieri, vt aliquis peruerse de alio loquatur malum de eo dicendo, & tamen eum vere non infamat.

Primo cum malum, quod de illo dicitur, communiter non censetur infamia etiam si sit peccatum mortale, vt si de aulico quis dixerit quod seruit aulicæ fœminæ, vel quod in duellum contra aliquem descendit.

Secundo cum infamatur, idest malum dicitur de aliqua persona, quæ publicè est iam infamis, vt si quis de meretrice publica dixerit, quod admisit in domum suam, etiamsi non sit verum.

Tertio si infamatori non creditur, quia est mendax, vel propter alium casum; in his enim tribus casibus non tenetur infamator restituere famam, quia vere non tollit famam.

Secundo requiritur ad hoc quod aliquis teneatur ad restitutionem famæ, quod infamia sit de re graui.

Tertio quod diffamatus nondum recuperauerit amissam famam per aliquā viam.

7. Quarto quæritur an ille, qui infamat aliquem iniustè dicendo falsum, teneatur restituere famam etiam infamando seipsum, idest dicendo se falsum dixisse?

Ad hoc respondēt communiter Doctores affirmatiue; imò dicunt quod etiam tenetur iurare se dixisse falsum, & testes adhibere si opus est, vt illi, apud quos aliquem iste infamauit contrarium credant.

Sotus in 4. de iustitia & iure loco citato hic excipit vnum casum, quando videlicet ille, qui infamauit aliquem est persona grauis, & publica puta prælatus, & infamatus est persona plebeia; tunc enim non teneretur cum iactura suæ famæ infamatò restituere famam, non enim decet, inquit Sotus, prælato restituere subditò famam cum magna iactura suæ reputationis dicendo se esse mentitum, aut similia; tenetur tamen inquit Sotus a-

lio

lio modo infamato restituere famam, vel satisfacere illum exaltando, aliquod officium ei præstando, aut saltem pecuniam dando; Syluester tamen in summa verbo restitutio dicit famam non posse pecunia compensari; sed contrarium dicit Scotus, D. Thomas, & alij cum Soto; sed melior meo iudicio est opinio Syluestri quoniam fama est bonum altioris ordinis, quam sint pecuniæ; & si essent dandæ pecuniæ pro fama etiam diues deberet omnia bona sua pauperi infamato pro infamia dare, quia melius est bonum illius pauperis, quam pecuniæ.

8. Quinto quæritur vtrum ille, qui infamauit aliquem iniuste, sed dicendo verum, teneatur ad restitutionem?

Respondeo secundum communem omnium Doctorum opinionem affirmatiue, vt si aliquis reuelarit occultum delictum alterius, vel non seruato iuris ordine aliquem de occulto crimine accusarit; & de hoc non est controuersia.

Verum difficultas est quomodo in simili casu sit facienda restitutio, non enim, vt dicunt Doctores, infamator talis, qui infamando dicit verum, vt restituat famam, debet dicere se dixisse falsum, quia mentiretur, & damnificaret animam suam mentiendo, nullus autem tenetur restituere cum iactura animæ suæ, quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Scotus & D. Thomas aiunt in simili casu infamatorem debere dicere, se inique talem infamasse, & non debuisse talia de tali dicere. Nauarrus in Manuali cap. 18. numero 45. dicit infamatorem posse dicere quando tale delictum de tali dixi illud verum existimabam, sed adhibita postea diligentia inueni me praue locutum fuisse; alij Doctores similes afferunt modos, qui modi licet videantur apti, quia nullum in se continent mendacium, non tamen videntur tuti quando restitutio est facienda coram viris prudentibus, & doctis; quia talia dicta, seu tales modi dicendi potius confirmarent veritatem delicti manifestati, vt optime dicit Nauarrus loco citato, & Caetanus in summa verbo restitutio; quare apud prudentes, & doctos præstaret restituere famam infamato laudando sæpius infamati virtutes si quas habet nulla habita mentione delicti antea detecti.

9. Sexto quæritur an ille, qui infamauit aliquem, teneatur famam restituere cum iactura vitæ suæ.

Ad hoc communiter respondet Doctores quod non, quia vita est bonum altioris ordinis, quam sit fama; Vnde sicut, vt dicemus infra, non debemus pro restitutione bonorum fortunæ famam amittere, ita neque vitam pro fama.

Sotus vbi supra excipit vnum casum, scilicet quando aliqua illustris familia de hæresi, aut crimine læsæ maestatis ob falsum testimonium perpetuo diffamata redderetur, sed ego non credo quod in tali casu teneatur infamator ponere vitam pro fama propter rationem dictam, quia vita est altioris ordinis, quam fama; addit Sotus, aut quando ob falsum testimonium aliquis ad mortem esset condemnatus, & posset liberari propter retractationem testis falsi, & hic casus est verus; sed in tali casu non restituitur vita pro fama, sed vita pro vita, idest testis iniquus quando dicendum veritatem liberat accusatum à morte cum periculo mortis, tenetur id facere non ad liberandum accusatum ab infamia, sed à morte.

10. Septimo quæritur an ille, qui infamando damnificauit aliquem in bonis fortunæ, teneatur, si iniustè eum infamauit, etiam ad restitutionem bonorum fortunæ?

Re-

Respondeo secundum communem Doctorum opinionem affirmatiuè, vt si aliquis, qui habebat publicum officium lucrosum quia ex eo quod ego eum infamaui iniuste, fuit priuatus illo officio, teneor ego ad restituendam illi famã, & lucrum cessans ex eo quia fuit priuatus ab officio.

Similiter si aliqua virgo potuisset matrimonium contrahere cum diuite, & cum eo non fuit factus contractus, quia iniuste dixi eam non esse virginẽ, teneor ad restitutionem & famæ, & dãni dati in bonis fortunæ.

11. Octauo quæritur vtrum hæredes infamatoris teneantur restituere infamato damna temporalia sequuta ex infamatione si infamator non restituit? Ad hoc respõdeo affirmatiue, tenetur enim hæres infamati ad resarciendum damna, sicut tenetur alia debita infamatoris.

12. Nono quæritur an ille, qui in vno loco, puta Mediolani, est infamis, sed in alio loco, vt Romæ, bonum sibi acquisiuit nomen, si Romæ infametur ab eo, qui scit Mediolani esse infamatum, teneatur infamator illi restituere famam?

Çaetanus in suis opusculis opusculo 17. affirmat. Sed Adrian. col. 2. qu. 2. tenuit oppositum. Sot. in 4. de Iust. & Iur. qu. 6. art. 3. & in 5. q. 10. art. 2. hanc discordiam, quæ est inter Caetanum, & Adrian. conciliat hac distinctione, si ille, qui Mediolani infamis effectu amisit suam famam auctoritate publica in iudicio publico, nec de peccato suo est emendatus, potest sine peccato mortali, & sine obligatione restitutionis detegi, nam dum quis sua culpa in pænam delicti publico iure est fama spoliatus, data est vnicuique facultas suum scelus propalandi; sed si vita, & moribus emendatus bonum nomen alibi, vt Romæ recuperauit, peccatum esset contra charitatem illum ibi vbi pro bono habetur infamari. Si autem famam amisit non publica auctoritate, sed priuata, cum illa iure non sit priuatus, non perdidit ius famæ suæ; vnde mutatus domicilio, vbi pro bono habetur mortale peccatum esset illum detegere, & teneretur infamator ad restitutionem eo modo, quo tenetur qui peccatum secretum manifestat; & hoc intelligendum est si est emendatus, quia si esset periculum ne inficeret alios, non esset peccatum manifestare eius vitium, de primo ergo intelligendum est opinio Adrian., & de secundo opinio Caet.

13. Decimo quæritur vtrum, qui de aliquo vitio dicit se audisse talem hoc, vel illud malum fecisse, teneretur ad restitutionem?

Scot. in 4. dist. 15. q. 4. Caet. 2. 2. qu. 73. ar. 2. censent hanc non esse infamationem, quia ex natura rei hoc modo non aufertur fama; neque putant eum, qui ita loquitur teneri ad restitutionẽ; idem tenet Ar. verbo restitutio, & Syluester verbo detractio qu. 4 & verbo restitutio tertio, idem Adrian. loco citato; & ratio eorum est, quia iste ita loquẽdo non dat iustam caussam credendi; sed Sotus & optime in 4. de iustitia & iure q. 6. ar 3 dicit quod hic est pestilens modus infamandi, & tanto pestilentior quanto frequentior, nam quo alius seipsum sanctius iustificat maiorẽ sibi arrogat fidem, puta cum quis dicit hoc, aut illud audiui, ego quidem non credo, sed audita refero, & qui sic infamat, dicit Sotus, licet non teneatur dicere se mentitum esse, si id vere audiuit, tamen tenetur dicere non solum leuiter se fuisse loquutum, verum etiam operã dare vt opinionem, quam alij conceperunt illis adimat, nisi forte res sit tam publica, vt alia via serpserit, cauendũ tamen est ab his susurris.

14. Decimoprimo quæritur an ille, qui falso infamauit aliquam à multo tẽpore, puta aliquam honestam mulierẽ, dicendo se habuisse illius copiam, ex quo res forsitan data est in obliuionem, teneatur infamator pænitentia ductus facere restitutionem apud eos, apud quos talem mulierem infamauerat?

Syluester verbo detractio respondet negatiue, quia forte de hac re nõ recor-

dantur,

dantur,& si hæc non diceret, esser vulnera renouare, & de nouo infamare. Caet. vero vbi supra dicit oppositum, & eius ratio est quia non constat auditores esse oblitos; sed ij facile conciliari possunt scilicet si probabiliter probari potest auditores amplius infamiæ recordari non posse, sequenda est opinio Syluestri; si autem iudicari potest auditores non esse oblitos, sequenda est opinio Caetani; iudicium autem hoc maxime fieri potest ex longitudine temporis, conditionibus personarum, aut varietate tribulationum. Nauarrus in Manuali cap. 18. nu. 47. dicit eũ, qui infamauit aliquem à multo tempore teneri ad restitutionem bonorum tẽporalium, si infamatus ex tali infamatione in illis est passus damnum, etiamsi illæ personæ, apud quos est facta infamia, infamiæ non recordentur, & propterea non sit facienda famæ restitutio.

15. Decimosecundo quæritur, an si aliquis accusatus esset coram iudice de crimine occulto, quod probari non posset, & propterea illud negaret, & ex consequenti accusator fieret infamis, teneretur accusator ad restitutionem famæ eo quod accusautem infamauit indirecte?

Ad hoc multi multa dicunt, sed veritas est meo indicio, quod si accusatus negat veritatem, quia non interrogatur secundum ordinem iuris ex eo quod nõ præcesserit indiciũ sufficiens ad interrogationem, licet peccet dicendo mendacium, non tamẽ tenetur ad restitutionem, si accusatus ex hoc remanet infamatus, quia accusatus non facit contra iustitiam, cum de iure non teneatur respondere iudici non interroganti secundum ordinem iuris, & accusator debet sibi imputare ex eo quod imprudenter alium accusauerit absque eo, quod posset accusationem comprobare.

16. Sed hic non est prætereundum vnum dubium, scilicet quando dicatur Iudex interrogare reum secundum ordinem iuris, & quando non, vt inde sciamus quando reus teneatur veritatem dicere, & quando non teneatur dicere?

Ad quod respondet D. Thomas 2. 2. qu. 69. art. primo & secundo, & Caet. ibidem, & Nauarrus in Man. cap. 25. nu. 35. quod iudex tunc dicitur interrogare secundum Ordinem iuris, quando de illa re, de qua reus est accusatus & ipse interrogat, vel præcessit infamia, vel apparuerunt inditia, vel præcessit semiplena probatio; supposito enim vno ex his tribus iudex secundum formam iuris, si tamen est ipse iudex competens, à reo veritatem excipit, & ex consequenti reus tenetur veritatem exponere sub pœna peccati mortalis, & ratio huius est quia aliter faceret contra debitum iustitiæ; & nisi teneretur reus respondere veritatem iudici competenti quando interrogat secundum ordinem iuris, totus corrueret iustitiæ ordo, & consequẽter ipsa iustitia; Si autem illud, de quo iudex interrogat est occultum, idest neque præcessit infamia, neque inditia, neque semiplena probatio, tunc reus nõ tenetur iudici respondere, quia iudex non diceretur seruare ordinem iuris; neque propter hoc dicendum est, inquit D. Thomas, reum debere mentiri, negando veritatem, sed se præseruare nec affirmando, nec negando.

17. Et notandum est circa hæc tria, quorum vnum saltem requiritur ad hoc vt iudex possit interrogare secundum formam iuris, primo circa infamiam, quod non omnis infamia sufficit ad obligandum reum obedire iudici, sed requiritur illa, quæ est clamor, seu frequẽs vox certæ personæ infamatæ de tali delicto apud probos viros, apud quos persona illa de tali crimine rationabiliter redditur suspecta.

Et dixi frequens vox, & clamor, quia dicta paucarum personarum non faciũt talem infamem.

Dixi, certæ personæ, quia non sufficit frequens vox delicti, cuius auctor non dicitur.

Dixi, de tali delicto, quia si infamia est de alio delicto, quam de illo, de quo quis interrogatur, non tenetur responderе interroganti. Et hinc sequitur iudicem peccare inquirendo de alijs, quam de illis, de quibus reus accusatur, seu clamo-

clamores præcesserunt, vt habetur in decretali tit. de accus. c. inquisitionis, vbi leguntur hæc verba, inquisitio debet fieri solummodo super illis, de quibus clamores aliqui præcesserunt.

Dixi, apud probos viros, quia frequens vox multarum leuium personarum non facit infamiam, si quis apud probos, & graues viros sit in bona opinione.

18. Notandum est secundo quantum ad indicia, quod opus est adhoc, vt iudex propter indicia possit interrogare secundum ordinem iuris, vt indicia sint expressa, & manifesta, idest vt manifestè indicent talem personam perpetrasse tale delictum.

19. Notandum est tertio circa semiplenam probationem quod plena probatio est illa, quæ fit per duos contestes, semiplena vero est illa, quæ fit per vnũ testem vocatum ad iudicium, & productum, ac iuratum, qui integre & directe de visu cõmissionis criminis testetur, qui sit omni exceptione maior, idest nulla exceptione repellibilis, idest quod non sit consanguineus, amicus accusatoris, neque sit infamis &c.

20. Demum notandum est quod adhoc vt reus teneatur respondere iudici opus est, vt inquit D. Thomas, Caetanus, & Nauarrus vt supra, & infra, quod præcesserit, vel semiplena probatio, vel indicia sint iam posita in processu, & reo notificata, & manifesta, vt possit cognoscere se esse in tali articulo constitutum, vt obedire teneatur iudici præcipienti, alioquin cum ipse reputet se esse occultum excusatur ad obligatione dicendi veritatem, seu respondendi ad interrogata, vnde iudex debet reo manifestare processum dum ab eo extorquet veritatem, & quando hoc modo interrogatur reus, idest secundum prædictum ordiné iuris, adeo obligatur ad respõdendum, vt à Cõfessario non sit absoluendus, nisi proponat delictum confiteri cum interrogatur, vt ait, Nauarrus cap. 25. cit. num. 36.

21. Decimotertio, & vltimo quæritur an infamatus possit renunciare infamatori obligationem, quam habet restituendi infamato famam sicuti ille, cui quis furatus est potest furi remittere obligationem restituendi.

Solutio huius difficultatis dependet ab alia, quæ est an homo sit dominus suæ famæ, sicuti est dominus suarum rerum fortunæ, si enim est dominus suæ famæ, poterit renunciare obligationi, quam habet infamator renunciandi famam, secus si non est dominus.

Item si homo est dominus suæ famæ sicut est dominus rerum temporalium, absque peccato potest seipsum infamare; si non est dominus, non potest seipsũ infamare, sicuti homo absque peccato potest proijcere in mare suas pecunias, quarum est dominus; non autem eas, quarum non est dominus.

Caetanus secunda secundæ, & in alijs locis, & in summa sua, dicit hominem non esse dominum suæ famæ, & propterea non posse seipsum infamare absque peccato mortali, nec posse renunciare obligationi, quam habet infamator restituendi famam sicuti homo non est dominus vitæ suæ, aut membrorum peccaret mortaliter, si seipsum occideret, quia est membrum Reipublicæ, & sic damnificaret rem publicam.

Sotus vero in lib. de ratione tegendi, vel detegendi secreta v. primo. qu. 3. & Adrianus in 4. in materia de restitutione. qu. 35. dicit hominem esse dominum suæ famæ, & propterea non peccare si detegit propria peccata regulariter, & ex suo genere, quamuis per illud notabiliter fama lædatur, aut omnino amittatur, sicuti homo non peccat mortaliter, si spoliat se suis diuitijs, & dicit Nauarrus in Manuali capit. 18. nu. 28. quod detegere proprium peccatum non est iniustitia, sed famæ prodigalitas, quæ non est plusquam peccatũ veniale; quare secundũ Sot. poterit homo renunciare obligationi, quam habet infamator restituendi sibi famam; addit Nauarrus tamen opinionem Caetani posse defendi in quatuor casibus, idest quando ex infamia ipsius sequitur damnum animæ propriæ, vel alienæ, aut vitæ propriæ, vel alienæ, aut ho-

no.

noris alieni, aut bonorum alienorum.

Dixi primo, animæ propriæ, vt quando ille, qui indiget maxime fama ad se honeste continendum eam prodigit, vt si aliqua mulier, quæ occulte semel fornicationem commisit, à multis adamatur, qui non audent eam sollicitare, quia putant eam omnino esse castam, & si scirent eam fornicationem comisisse, adeo eam sollicitarent, vt difficillissime continere se posset.

Vel animæ alienæ, vt si quis pro insto habitus hæreses, vel alia turpissima delicta sua manifestat, propter quod probabile esset fore causam, vt alij in eandem incidant.

Dixi secundo, vitæ propriæ, vel alienæ, vt qui crimen suum aliquod manifestat, ob quod vitæ suæ, vel membri, vel vitæ alterius, aut membri iacturam mereatur.

Dixi tertio, infamiæ alienæ, vt si monachus, aut monialis se infamarent peccatis, quæ ordini, aut monasterio suo notabilem inferrent infamiam.

Dixi vltimo, bonorũ aliorũ, vt cũ is, cuius opera ad sui gubernationẽ Resp. indiget ob illam se facit ad id ineptũ. In his enim quatuor casibus peccatũ mortale est seipsum infamare, quia fit præiudicium alteri, vel sibi in ijs, quæ iure renunciari non possunt, qualis est salus animæ, vitæ &c.

Atque ex ijs infert Nauarrus cap. cit. nu. 29. quod si aliquis ob metum tormẽtorum fateretur crimen, quod non commisit, non teneretur se retractare, nisi, si non se retractaret, esset periculum amissionis vitæ, aut membri, aut animæ suæ, vel alterius, seu damni animæ, idest nisi concurrente vno ex dictis quatuor casibus.

Caetanus in summa dicit esse errorẽ asserere quod ille, qui se infamat ob metum tormentorum, nõ teneatur se retractare, sicuti & paulo ante dixerat in eadem summa esse errorem dicere quod accusatus de crimine occulto, quod nõ potest probari, non teneatur dicere se comisisse tale delictum, ne accusator remaneat infamatus; sed melius Nauarrus, procedere tãtum debere in quatuor dictis casibus; atque hæc de restitutione famæ sufficiant.

Sed tamen hic quæri potest ad quid teneatur ille, qui violauit virginem, seu rem habuit cum ea, quæ existimatur virgo?

Nauarrus in Man. cap. 16. nu. 16. & 17. tractat hãc dubitationem, & iuxta eius doctrinam.

22. Dico primo eum, qui rem habuit cum virgine, seu cum ea, quæ putabatur virgo sine dolo, & deceptione, quia videlicet illa se ad id offert, vel leuiter rogata consentit, nihil tenetur restituere in foro conscientiæ; & ratio huius est, quã supra diximus scienti, & consentienti non fit iniuria, vt habetur capitulo scienti de regulis iuris lib. 6. ita etiam Syluester in summa verbo Luxuriam. §. 5. & alij Doctores.

23. Dico secundo quod in foro exteriori huiusmodi defraudator, seu fornicator iubebitur eam dotare, in vxorẽq; sibi ducere, aut si Pater noluerit eam ei dare, vel non possit eã accipere, quia ipse est in sacris &c. tenebitur eã dotare, & si pauper est, debet fustibus cædi, ita habetur cap. 1. & 2. de adulterio; ratio autem cur in foro exteriori talis teneatur ad ea, quæ dicta sunt, est quia forum exterius, vt Nauarrus loco citato, præsumit dictam Virginem fuisse vi corruptam, vel deceptam, non enim probabile est quod virgo honesta absque dolo, fraude, & rei permittat se cognosci; quod si dicat violator talem non fuisse ab eo corruptam, quia ab alio fuerit primo communicata ipse tenebitur id probare, quia iura sẽper præsumunt eam iam antea fuisse Virginem, nisi cõtrarium probetur, & fuisse deceptam nisi contrarium probetur.

24. Dico tertio quod ille, qui falsis promissionibus sine tamen promissione eã Virginẽ ducẽdi ipsã decepit, in vtroque foro, idest interiori, & exteriori tenetur interiori q dẽ ad seruãdũ ɀmissa, idest ad dandam pecuniam, quam promisit, vel ad resarciendũ ei omne dãnũ, quod inde illi euenit, scilicet dando

tantum quanto maioris eget, vt tale adipiscatur maritum, quale adipisceretur si fuisset virgo iuxta boni viri iudicium; ita Syluester & Nauarrus loco citato in exteriori vero dicto ad id, quod diximus in secundo dicto.

Dico quarto quod si quis violauit virginem, quia promisit se ducturum eam in matrimonium siuè ex animo promiserit, siue ad decipiendum eam, obligatur ad explenda promissa si potest tam in interiori, quam in exteriori foro, & multo magis si iuramento affirmauit, vt habetur cap. primo de adulterio, nisi essent valde inæquales genere, vel diuitijs, vt si ille esset nobilis, comes, & illa agricolæ filia; eo enim casu præsumi potest illam fingere se fuisse deceptam, sed vere non fuisse deceptam, quia poterat considerare quia comes ille fingebat se ducturum illam.

Similiter si esset probabile quod ex matrimonio tali, si fieret, nasceretur aliquod grande scandalum, aut Pater nollet eam illi dare.

De restitutione bonorum fortunæ.

1 *Impediens aliquem à consecutione alicuius officij, beneficij, aut lucri, an teneatur ad restitutionem.*

2 *Episcopus qualiter peccet conferendo beneficia indignis omissis dignis.*

3 *Impediens gratuitum beneficium, puta donationem, legatum, testamentum, an teneatur ad restitutionem.*

4 *Fingens se pauperem, vt accipiat eleemosinas, an teneatur ad restitutionem eleemosynarum.*

Clarum est eum, qui habet bona aliena, vel iniuste aliquem in bonis suis damnificauit, teneri ad restitutionem. Sed vt absolutus, & perfectus sit tractatus hic.

1. Quæro vtrum ille, qui impediuit aliquem à consecutione alicuius officij, beneficij, aut lucri, teneatur ad restitutionem?

Caetanus in summa verbo restitutio titulo restitutionis casus quasi infiniti &c. distinguit hoc modo, vel ille, qui impediuit aliquem à consecutione alicuius boni, impediuit ius illius, vel impediuit gratuitum beneficium, idest vel impediuit quod alicui de iure debebatur, vel quod gratis debebat ei dari; si primo, impediens tenetur restituere, quia actio impeditiua semper terminatur ad iniustum; & hinc fit, inquit Caetanus, quod impediens clericum dignũ à consecutione Ecclesiastici beneficij, tenetur ad restitutionem damni, quia impediuit iustum distributiuum, quod de iure digno illi erat debitum. Sotus tamen in 4. de iustitia, & iure qu. 6. art. 3. dicit quod impediens aliquem dignum à consecutione Ecclesiastici beneficij, nihil tenetur restituere illi digno, quia beneficia Ecclesiastica non sunt bona, quæ distribui debent in fauorem clericorum; sed Ecclesiæ, cuius bona sunt.

2. Ego dico beneficia ecclesiastica, & esse bona distributiua, & in fauorem clericorum, & in fauorem ecclesiarum, & propterea Episcopus, qui omissis dignis indignis dat beneficia, tenetur restituere dignis, & ecclesijs quæ patiuntur ex eo, quia non habent idoneos ministros; dignis quidem tenetur restituere, vt bene dicit Caetanus dando illis alia beneficia, vel satisfaciendo ad arbitrium boni viri; Ecclesiæ vero remouendo quantum potest indignos à talibus beneficijs, vel cogendo illos ad alendos ministros, seu coadiutores idoneos; & si hoc fieri nõ potest, debet ipse Episcopus suis expensis alere idoneum ministrum in illa Ecclesia, cui dedit non idoneum. Quod dixi de Episcopo intelligendum est de

impe-

impediente dignum à consecutione beneficij, qui non proponit eque dignũ, sed indigniorem; & quando per concursum dantur, tenetur ad restitutionem si illud non confert illi, qui est dignior in moribus, & doctrina, & habilitate regendi Ecclesiam, cuius est beneficium.

3. Sed si quis impediuit gratuitum beneficium, puta donationẽ, legatum, testamentum, procurando quod donator reuocet legatum, testamentum, aut donandi voluntatem, non tenetur restituere, quamuis peccet mortaliter, si id ex odio fecit, quia actio impeditiua non terminatur ad iniustum, quia nullum ius adhuc habebat proximus, voluntate donantis, seu testantis existente ambulatoria; & vt possitis intelligere, considerate, quod si testator ipse ex odio reuocat testamentum quamuis peccet mortaliter nullum tamen ius violat, & ad nullã tenetur restitutionẽ, si igitur ipse testator ex odio reuocans testamentum non tenetur restituere, quia non tollit ius alicuius, multo minus inducens testatorem ex odio tenebitur restituere, cum sit caussa remota.

Sotus articulo citato dicit opinionẽ Caetani esse veram, si ille, qui facit mutare testamentum, seu legatum non facit id fraude, aut vi; Fraude vt si diceret legatarium esse mortuum, qui tamen non est mortuus; vi, vt si diceret si non mutas legatum, quod fecisti in fauorem Francisci, itaut sit in fauorem filij mei, ego te deferam, & sic derelictus peribis, vel alia similia.

4. Demum quæritur vtrum ille, qui fingit se pauperem, aut religiosum talis ordinis, vt habeat eleemosinas teneatur ad restitutionem eleemosynarum.

Caetanus in summa verbo restitutio, in fine dicit, quod si talis fingit se pauperem &c. vt habeat elemosinam, itaut eleemosina sit finis finctionis, tenetur ad restitutionem sicut quilibet alius acquirens ex fraude; non est tamen restituenda ei, qui eleemosinã dedit, sed Christi pauperibus, seu religiosis illius ordinis, cuius esse se fingebat, quia ex quo ille, qui dedit eleemosinam, eam principaliter dedit Christo, qui mercedem reddet iuxta illud, qui dederit calicem aquæ frigidæ alicui in nomine Discipuli non perdet mercedem suam; eam enim dedit principaliter Christo in paupere, seu religioso, iam ius quæsitum est ipsi Christo, si tamen ille, qui fingeret, religiosum, vt haberet eleemosinas esset vere pauper in grauissima calamitate, nec posset aliter habere eleemosinas, & sibi subuenire, quam fingendo se religiosum, non tenebitur meo iudicio restituere, qui id fecit, ne in periculum vitæ caderet; atque hæc de capitulo tertio dicta sufficiant.

CAPVT QVARTVM.

Vbi sit facienda restitutio.

1 *Vbi sit restituendum, cum obligatio tantum nascitur ex re aliena.*

2 *At si obligatio restitutionis nascatur ex iniusta acceptione.*

3 *Cuius impensis sit transferenda res male accepta ad dominum suum.*

4 *Quid si restituenda sit res possessa bona fide?*

Notandum est id, quod supradiximus cap. 2. quod obligatio restitutionis, vel oritur ex re aliena, vel ex illicita acceptione rei illicitæ, & hoc notato.

1. Dico primo, quod si obligatio restitutionis tantum oritur ex re aliena, ille, qui eam habet, & eam possedit bona fide in tempore præterito, nunc

sum cognoscat rem non esse suam, tantum tenetur eam restituere in eo loco, vbi ipsa res est; ita Nau. Man. cap. 17. n. 42. D. Th. & Caietanus in sum 2. 2. q. 62. ar. 5. & ratio est quia cum ille, penes quem res aliena est, non sit in aliqua culpa, quia bona fide eam habebat, non est grauandus hac pœna, vt aliquo damno in suis bonis rem alienam restituat.

2. Dico secundo quod si obligatio restitutionis oritur ex iniusta acceptione restitutio est facienda in tali loco, vt in ipso facto dominus rei seruetur ita indemnis, vt nihil patiatur ex tali acceptione; quare aliquando est facienda restitutio in eo loco, vbi res erat; aliquando in eo loco vbi dominus est; & aliquando in eo loco, ad quem dominus erat rem translaturus, vt si quis in rumore iter agentibus crumenam surripuit, non in nemore est restituenda crumena, sed vel vbi erat eam translaturus, dominus, vel vbi est dominus, vel vbi est crumena; prout potius seruari potest Dominus indēnis; & ratio huiꝰ est, quia cum ille, qui restituere debet sit in culpa, non dominus rei debet pœnam talis culpæ pati, sed ille, qui fuit in culpa.

3. Ex ijs infertur cuius inpensis sit transferenda res restituenda ad dominum suum, si enim radix restitutionis est res accepta, res erit mittenda ad dominũ impensis Domini, si vero radix est acceptio iniusta, res erit mittenda expensis illius, qui tenetur restituere ad eum locum, ad quem mitti debet; vt ser uetur dominus indemnis; si enim quis erat Papiam translaturus merces, quas latro surripuit Mediolani, tenetur latro eas mittere Papiam, itaut dominus nihil amplius impendat in vectura, quã impēdisset, si furtum non fuisset factum.

4. Sed dices si aliquis bona fide possidebat rem alienam, postea cognouit illam rem esse alienam, tamen noluit eã restituere per aliquod tempus, postea deliberauit restituere vbi tenetur eam restituere?

Resp. in eo loco, ad quē dominus eã erat translaturus, postquã cessauit bona fides possidenti eam, itaut dominus seruetur indemnis, nec patiatur aliquid propter moram, quam traxit ille, qui tenebatur restituere postquam cessauit bona fides. Et hæc de capite quarto satis sint.

CAPVT QVINTVM.

Cui sit facienda restitutio.

1 *Restitutio regulariter est facienda domino rei.*
2 *Fallentiæ præfatæ regulæ.*
3 *Inuenta cui sint restituenda.*
4 *Expensa pro requirendo incerto domino rei à quo facienda.*
5 *Restitutio an facienda pauperibus, cum dominus rei omnino ignoratur.*
6 *Si dominus rei restituendæ sit mortuus, possuntne ex ea sanari debita defuncti?*
7 *An sit tutũ omissis debitis, ex ea celebrari facere suffragia pro defunctis?*
8 *Quid cum dominus rei est absens multis milliaribus.*
9 *Quid agendum, vbi obligatio restitutionis oritur ex actione iniusta.*
10 *Quando standum puræ determinationi legis.*
11 *Qui accepit pecuniam ad maleficiũ perpetrandum, an teneatur illã restituere ante sententiam Iudicis.*
12 *Meretrix an teneatur restituere lucrum ex causa turpi acquisitum.*
13 *Quid si meretricio addatur dolus, vel fraus?*
14 *Vel cum pecunia accipitur ab eo, qui non est pecuniæ dominus.*

1 Restitutio regulariter est faciēda domino rei, & per dñm rei intelligunt Doctores, vt Caet. in summa verbo restitutio Nau. in Man. cap. 17. nu. 25 & alij, etiam eũ, cuius custodiæ

res

res fuit cōmissa, & propterea quantum ad hoc depositarius censetur depositi dominus,& fullo censetur dominus pāni sibi dati ad lauandum,& sartor censetur dominus vestis sibi datæ ad aptandū,& comodatarius censetur dominus rei comodatæ, quare si quis à fullone, sartore,comodatario &c. aliquid surripit,illi tenetur restituere; possunt tamē in foro conscientiæ talia restitui veris dominis, modo id fieri possit sine dāno fullonis,sartoris, &c. maxime si prædicti sint affecti mala qualitate;debent tamen admoneri quod fuit facta restitutio,ne iterum ipsi in conscientia cogantur restituere. An autem sufficiat restituere latroni si quis rem furtiuam à latrone surripuit, dictum est supra contra Nau. cum Soto,& Medina cap. 2.

2. Dixi, regulariter, quia præfixa regula fallit in multis casibus; & primo si dominus est factus furiosus, aut habet tutorem,vel curatorem, in tali enim casu res non est restituenda furioso dum est furiosus,sed est expectādū si sanetur.

Similiter si habet tutores ille, qui est dominus rei,vel curatores,res est danda tutoribus, vel curatoribus.

Secundo fallit quando dominus rei ignoratur etiā adhibita debita diligētia ad inquirendū,qui nam sit dominus rei; dicitur autem diligēs inquisitio ea, quā diligens homo accuratè facit in inuestigando domino rei, & propterea Caet. 2.2.q 62. ar.5. ait quod si quis absque inquisitione diligenti rem alienam pauperi dedisset,non satisfecisset; sed teneretur inuento domino rei iterum eidem restituere, & sibi debet imputare quod imprudenter rem alienam alienauit.

3. Sed dicet aliquis, inuenta cui sunt restituenda?

Ad hoc responsū est supra quod inuēta si nunquā fuerūt in dominio alicuius, vt gemmæ, quæ in littore maris inueniūtur,nulli sunt de necessitate restituenda, si vero dominū habuerunt, sed longo tēpore,vt de thesauris dicitur, dicendum est vt supra diximus; sed si habuerunt dominum de propinquo, qui illa pro derelictis nō habetur, tenetur inuentor eam reddere pauperibus postquam fecit debitam diligentiam in inueniendo dominū,quē non inuenit;ita communiter Doctores, licet Sot.l.4.de iu. & iur. dicat inuentorē posse sibi aliquid rei inuētæ retinere,etiamsi sit diues, sed standū est cum cōmuni sententia. In nostra ecclesia res inuentæ quando ignoratur earum dominus,si de proximo dominū habuerunt, sunt dandæ Episcopo,seu deputato ab eo,qui eas pauperib. distribuat. Sed de consilio Confessarij, vt supra, si inuētor esset pauper posset iuxta suā necessitatē,vel partē rei inuentæ, vel totā sibi retinere,quando ignorat dominum etiam facta debita diligentia.

Sed dices iterum, si aliquis nesciret dominum in particulari,sed sciret quasi sub distinctione quod videlicet alicui taliū debetur,teneturne illis restituere?

Ad hoc respondet Caet.q.62.ar.5.cit. quod tūc dominus nō est omnino ignotus, & propterea vel res debet restitui idest distribui eisdē,vel si res non potest distribui,debet dari vni ex eis,& ne alicui fiat iniuria,de eorum voluntate agēdum est quicquid est agendum.

4. Tertio dices si necessarię sunt impēsæ aliquæ ad inquirēdū dominū rei,teneturne ille,qui est obligatus ad restitutionem proprijs expensis inquirere dominum,an vero impensis domini ipsius?

Ad hoc respōdeo cū distīctione,quod si ille,qui tenetur restituere,tenetur tantū restituere ratione rei,nō tenetur proprijs impensis inquirere dominum rei, sed impensis domini rei;si vero tenetur restituere ratione acceptionis iniustæ, aut iniustæ retentionis, quæ caussauerit vt domin9 ignoraretur,tenetur proprijs impensis,si quas facere opus est ad quærendum dominum;Ratio primi est quia qui iniustitiā non comisit, neq; damnū dedit,vt fiat restitutio,non tenetur ipse damnum pati in proprijs rebus. Ratio secundi est quia qui in culpa fuit,& pœnam culpæ sufferre debet.

5. Vltimo dicit quis, quare restitutiō est facienda pauperibus, quando est adeo dominus rei ignotus, vt non possit cognosci adhibita debita diligentia?

Ad hoc respondet Caet. in Cōment. supra q.62.ar.5. in 2.2. quod quia bonum, quod est vtile, cum non possit do-

domino esse utile corporaliter, debet illi esse utile spiritualiter, idest debet cedere in utilitatem animæ illius, siue id fiat opera episcopi, vt in nostra ecclesia, siue opera illius, qui restituere tenetur. Quare meo iudicio bonum esset, vt ille, qui rē amisit, & putat quod eidem non fiat restitutio, quia ignoretur ab eo, qui rem habuit, ratum habeat, vt res sua pauperibus detur, quia hoc modo eleemosina, quæ forsitan fieret de suis rebus, erit illi meritoria. Tertio supradicta regula fallit quando dominus rei est mortuus, tunc enim non domino rei, qui erat, res est restituēda, sed hæredibus suis qui nunc sunt domini.

6. Sed dices, quid si iste dominus, qui mortuus est habebat debita, posset ne ille, qui tenetur restituere, creditoribus restituere?

Respondeo affirmatiue, quia si ipse tenebatur soluere creditoribus, poterit & ab isto creditoribus satisfieri, si tamen dominus defunctus haberet hæredes, admonendi essent ne iterum creditoribus cogerentur soluere.

7. Dices secundo si aliquis haberet plura debita, quam credita, & vnus teneretur illi restituere aliquid, qui postea moritur, teneturne ille, qui est obligatus restituere, potius dare id, quod tenetur restituere Sacerdoti pro missis, officijs, & alijs pijs operibus faciendis pro animam defuncti, an vero creditoribus ipsis?

Ad hoc respondent Doctores, quod potius creditoribus si defunctus est sepultus, si vero non est sepultus debet potius aliquid pro sepultura, vt sepeliatur, reliquum vero creditoribus.

8. Quarto fallit quando dominus est absens adeo, vt non sine magno dispendio possit illi fieri restitutio, vt si distaret ab eo, qui tenetur restituere per mille milliaria. Ita Nauarrus cap. 17. Manualis; sed Caetanus loco citato distinguit, nam si tenetur restituere ratione rei tantum, nō tenetur cum suo dispendio transmittere rem alienam ad longinquam regionem, vbi est dominus; sique qui tenetur restituere est obligatus ratione iniustæ acceptionis, tenetur expendere etiam plus quadruplo, vt restitutio fiat domino; sed quod dicit Caetanus est intelligendum de rigoroso iure, non autem de æquitate, non enim semper æquitas patitur, vt quis expendat centum pro quinquaginta, seu viginti quinque.

9. Quinto fallit quando obligatio restitutionis oritur ex actione iniusta, in qua & datio est iniusta, & acceptio etiam; quod, vt intelligatis notandum quod in aliqua actione in qua intercedit datio, & acceptio, poterit esse datio iusta, sed acceptio iniusta; vt si quis daret pecuniam iudici, vt iustam daret sententiam, vel vt non daret iniustam; vel dare pecuniam testi, vt diceret verum, in tali casu iuxta sententiā omniū Doctorū ille, qui accipit tenetur restituere sed danti; aliquando vero datio, & acceptio erunt iniustæ, vt si quis daret pecuniam alicui ad occidendū aliquem, & hic est controuersia apud Doctores vtrum ille, qui accepit pecuniā ad occidendum aliquem, seu ad patrandū aliquod delictum, teneatur ad restitutionem pecuniæ acceptæ; & quidem videtur quod non; si autem dat pecuniā meretrici, meretrix non tenetur ad restitutionem, vt omnes Doctores. Secundo si aliquis dat alicui pecuniam, vt in die festo opus seruile peragat, ille enim non tenetur restituere; Nauarrus cap. 17. Man. multa dicit, vt ostendat quod ille, qui accepit pecuniam ad patrandum maleficium, non tenetur ad restitutionem neque illi, qui dedit, neque pauperibus, sed dicit contrariam opinionem esse communem. Sot. 4. de iustitia & iure. q. 6. art. primo dicit quod qui accepit pecuniam ad faciendū malum tenetur quidem restituere, sed post condemnationem, quia lex præcipit eam debere restituere in pœnam delicti, quod putauit facere, vel fecit; sed cum leges pœnales non obligent, nisi post condemnationem, talis non tenebitur restituere ante condemnationem.

Medina in codice de restitutione in hac difficultate distinguit de re propter quam datur pecunia, vel enim est mala

mala intrinsece, & secundum se vt meretricium, vel est mala tantum quia prohibita est, aut ex circunstantia, vt exercere opus seruile in die festo; & si primo non res est mala, tenetur accipiens restituere, secus si secundo modo.

D.Thomas secunda secundæ qu. 62. ar.5. in responsione ad secundum argumentum ita distinguit, vel caussa propter quam datur pecunia est mala, & datio non mala; vel & datio & caussa est mala, si tantum caussa est mala, vt in meretricio, ille, qui accipit non tenetur restituere, quia licet qui dat det propter malum factum, vel faciendũ, & qui accipit accipiat propter malum factũ, vel faciendũ, tamen neque ipsa datio est mala, neque ipsa acceptio; & propterea qui accipit potest accipere sine peccato, & non tenetur ad restitutionẽ, & qui dat potest dare sine peccato, licet caussa propter quam datur sit peccatum; quando vero & datio pretij est mala, & caussa etiam propter quam datur est mala, nec potest accipiẽs accipere, nec dans dare sine peccato, & si accipiens accipit tenetur ad restitutionẽ, vt in simonia, quare qui accipit pecuniam, vt det beneficium, & peccat simul cum dante & tenetur ad restitutionem.

Ego pro resolutione huius difficultatis, & vt sciamus, cui sit facienda restitutio quando datur propter maleficium aliquod precium.

10. Dico primo quod si leges ciuiles, aut ecclesiasticæ aliquod circa simile negotium statuerunt, illis est stãdum vt in simonia statuerunt leges, quod qui dat beneficia propter pretium tenetur restituere precium non danti sed Ecclesiæ, in cuius iniuriam acceptum est pretium, aut pauperibus, & ratio est vt ait Dom.Sot.4. de iustitia, & iure. q. 7.art.1. quia cum per Simoniam detur id, quod non est pecunia æstimabile, ille qui pecuniam accipit pro re, quæ nõ est pecunia æstimabilis non potest eam pecuniam licite possidere; cur autem standum sit legibus in simili negotio est quia leges possunt concurrere circa cõtractus, & eos annullare.

11. Sed hic est dubitatio an ille, qui accepit pecuniam ad maleficium perpetrandũ, & qui ideo tenetur secundum leges restituere, possit expectare condẽnationem, an vero teneatur etiam restituere ante condemnationem? Videtur enim quod possit expectare condemnationem, quia leges pœnales, vt dicunt Doctores non obligant in conscientia, nisi post condemnationem?

Ad hoc respondeo quod leges ciuiles, vel canonicæ in huiusmodi materia, vel adeo priuant recipientem re accepta, vt non possit aliquo titulo eam possidere puta venditionis, conductionis &c. & tunc cum accipiens non possit esse legitimus possessor rei acceptæ, etiam ante condemnationem tenetur rem acceptam restituere non quidem danti, quia & ipse secundum leges priuatur titulo dominij rei, quam dat propter maleficium quando leges id determinant, vel quia iam abdicauit à se spõte dominium illius rei, vel quia non meretur accipere iterum, quod propter maleficium dedit, sed pauperibus, vt dicit D Thomas loco supra citato.

Dico secundo quod vbi, seu in illis casibus nihil determinatum est à lege si peccata, seu maleficia pro quibus datur pretium sint tantum peccata propter aliquam circunstantiam, non tenetur ille, qui pro eis aliquod pretiũ accipit ad restitutionẽ pretij accepti, vt si aliquis pretium acciperet, vt opus seruile faceret in die festo, quia opus seruile facere non est peccatum intrinsecè, sed ex circunstantia.

Dico tertio quod si maleficium propter quod datur pecunia sit intrinsece malum, & cõtra iustitiam, ille, qui accipit pecuniam tenetur eam restituere, quia videtur implicare contradictionẽ, quod quis de iustitia possit retinere id, quod accepit ad faciendum contra iustitiam. Cui autem iste debeat restituere si leges nihil determinauerunt est dubitatio. Sotus loco citato dicit quod danti, si nondum est secuta condemnatio, D.Thomas & communis Doctorũ opinio dicit quod pauperibus, vt dicit Nauarrus in Manuali cap. 17. licet ipse

putet,

potet, vt supra diximus accipientem nō teneri ad restitutionem; Ego cum cōmuni dico restitutionē esse faciendā pauperibus quia dans propter maleficium meretur amittere quod dedit.

Dico vltimo quod si peccatum, propter quod datur pecunia non est contra iustitiam, tunc sicut non est peccatū dare, aut recipere, ita nec accipiens tenebitur ad restitutionem, vt quando datur propter meretricium secundum cōmunem Doctorum opinionem, licet Nauarrus & Medina aliter senserint, vt modo dicam.

12. Quæritur ergo vtrum meretrices teneantur restituere lucrum, quod turpiter acquisierunt?

Doctores conueniunt in duobus, primo meretrices peccare meretricando.

Secundo quod possunt aliquid à fornicatoribus, seu adulteris accipere in donum; sed discrepant verum ex pacto possint aliquid recipere, quod sit pecunia æstimabile, & an teneantur illud restituere; D. Thomas secunda secundæ q. 62. ar. 5. ad secundum argumentum dicit meretrices licite posse accipere pretium iustum pro opere meretricio, etiam ex pacto; & fundamentum D. Thomę est quia licet caussa sit illicita, acceptio tñ, & datio pretij est licita, cum D. Thoma tenent omnes Doctores præter Medinā, & Nauarrū, Medina enim codice de restitutione aperte dicit quod meretrices pro actu meretricio nō possūt aliquid accipere, & quod si recipiunt ex pacto tenentur illud restituere; secus si quid dono accipiant. Nauarrus cap. 17. Manuali à nu. 39. vsque ad 41. discordat à communi sententia, quæ est D. Thomæ, & à Medina, dicit enim quod meretrices peccant recipiendo precium ex pacto, sed quod non tenentur deinde ad restitutionem postquam receperunt.

Ego dico opinionem D. Thomæ esse veram, tum quia communis est, tum etiam quia videmus experientia Confessarios non cogere meretrices, si aliquod pretium pro actu meretricio acceperunt ad restituendū; imo inquit Sotus in lib. 4 de iustitia & iure. quæst. 7. ar. 1. quod leges ciuiles concedunt repetitionem, idest actionem ad accipiendum promissum in foro exteriori; imo inquit idem Sotus aliquas leges taxasse pretiū de actu meretricio.

Dico secundo cum Soto loco citato quod id, quod dicitur de meretricibus potest etiam extēdi ad quemlibet aliū actum carnalem, quod etiam dicit Caetanus in com. secundæ secundæ D. Thomæ qu 62. ar. 5.

13. Dico tertio quod si meretrices aliquid per fraudem, vel dolum ab amatoribus acceperunt illud tenentur restituere, quia quod accipiunt per fraudem, vel dolum accipiunt contra iustitiam, vnde Nauarrus in Manuali cap. 17. nu. 41. dicit quod si aliqua mulier fingit se virginem, vt ab amatore plus pro actu meretricio recipiat, illud plus tenetur restituere.

14. Dico vltimo, quod si meretrix accipit pecuniam pro actu meretricio ab eo, qui non est pecuniæ dominus, tenetur eam restituere domino, vt si à filio familias, qui nullum proprium peculium habet, pecuniam, quam surripuit à Patre recipiat, aut quam dederat ei Pater ad mercaturam &c.

Similiter si à fure rem furtiuam pro actu meretricio accipiat, ita dicunt omnes Doctores.

Sed dices primo contra primum dictum, Deut. 13 præcipitur ne aliqua mulier offerat mercedem prostribuli in domo Dei, ergo illicitum videtur esse accipere pretium pro actu meretricio?

Ad hoc respondēt Doctores, quod illud erat prohibitum propter reuerentiam non enim videtur dicere vt aliqua mulier offerat Deo mercedem prostribuli; deinde respondetur quod illa lex Deut. erat quodammodo iudicialis, & iudicialia legis antiquæ iam cessauerunt.

Secundo dices pro actu coniugali mulier non potest aliquid à marito accipere, ergo & multo minus meretrix pro meretricio.

Ad hoc respōdēt omnes Doctores, quod mulier non potest accipere à marito pro actu coniugali; quia mulier tenetur

netur de iustitia marito reddere debitum; meretrix vero non tenetur reddere facultatem sui corporis fornicatori, aut adultero.

Tertio dices actus meretricius est peccatum mortale, sed nullum peccatum est pretio æstimabile, ergo pro actu meretricio non potest meretrix aliquod pretium accipere.

Ad hoc respondent omnes Doctores q; licet actus meretricius, vt peccatum est, non sit pecunia æstimabilis est tamen æstimabilis pecunia, vt actus quidam, & exercitium materiale, & hoc explicat Sotus loco citato, atque hæc de hoc capite.

CAPVT SEXTVM.

Quantum sit restituendum.

1 *Sententia Nauarri, tantum restituendum, quantum est ablatum.*

2 *Leges pœnales an obligent solum post sententiam latam.*

3 *Excommunicatio an possit obligare ante sententiam.*

4 *Pretium legitimum non excedendum in contractibus.*

5 *Clerici an teneantur stare pretio taxato à principe sæculari.*

6 *An quilibet teneatur soluere vectigalia ante condemnationem.*

7 *Clerici an teneantur soluere gabelas.*

8 *In solutione gabelarum manifestanda est vera quantitas mercium.*

9 *Cadens ligna in nemore non suo, an teneatur ad restitutionem.*

10 *Pascens oues in prato non suo ad quid teneatur.*

11 *Venationi operam dans in loco à principe prohibito quam obligationem incurrat.*

12 *Piscans in lacu alieno quid teneatur restituere.*

13 *An sint restituendi fructus rei malè ablatæ.*

14 *Falsificans nummos ad quid teneatur.*

15 *Item illos circumcidens, aut falsificans scripturas, pondera, stateras, mensuras, aut qui talibus scienter vtitur in damnum alterius.*

16 *Qui vtitur falsis reliquijs ad quid obligetur.*

1 NAuarrus in Manuali capite 17. nu. 27. quærens quantum sit restituendum breuiter respondet, videlicet vel quantitas rei alienæ, seu damni dati est certa, vel incerta; si certa restituendum est illud, quod est acceptum, seu tantumdem; si est incerta, restituendum est quantum sufficit ad æqualitatem rei alienæ, vel damni dati iuxta arbitrium prudentis viri. D. Thomas 2. 2. qu. 62. proponit hoc quæsitum, vtrum sufficiat restituere id simplum, quod iniuste ablatum est, & arguit contra primo quia Exodi 22. præcipit dominus, vt qui furatur vnam ouem restituat quatuor pro vna. Secundo quia in Euangelio Zacheus dicit, si quid defraudaui, reddo quadruplum.

Pro solutione istius quæsiti duo possunt considerari, idest id, quod est ablatum præcisè, & culpa, quam quis committit auferendo iniuste.

Si primum consideretur, tantum est restituendum, vt inquit Nauarrus loco citato, quantum est ablatum, neque plus, neque minus, si ablatum est certæ quantitatis, quæ cognoscitur, si vero nescitur cuius quantitatis

Nn fuerit

fuerit, vt contingit in deprædatione seminum agrorum &c. in combustione nemoris &c. restituendum est quantum videtur æquiualens pro damno dato iuxta arbitrium boni viri: si vero secundum consideretur, aliquando quis tenetur plus restituere quam accepit non vi restitutionis, sed ratione alicuius legis, quę statuit pœnam propter culpam iniustè accipientis.

Notandū autē hic est quod id, quod est restituendum vi restitutionis, est restituendum etiam ante quodlibet Iudicis præceptum, seu condemnationē, quia illud est de lege naturali; illud vero, quod est dandum plus propter legē punientem, non tenetur aliquis dare ante iudicis præceptum, sed post condemnationem; atque ex ijs patet responsio ad rationes duas suprapositas in contrarium à D. Thoma; Deus enim vt ait D. Thomas loco citato, præcipiebat restitutionem in duplo, vel quadruplo ex pœna legis post condemnationem, Zacheus vero vel respiciebat pœnam legis, vel quod faciebat, faciebat per supererogantiam in pœnam peccati sui; sed præter dicta sunt nonnullæ dubitationis.

2. Prima dubitatio est quomodo verum sit quod leges pœnales obligent ad solutionem pœnæ tantum post condemnationem, & non ante, cum dicant Doctores fere omnes, quod leges quando sunt iustæ obligant ad sui obseruationē sub pœna peccati mortalis, si sunt leges alicuius momenti?

Ad hoc respondeo quod leges pœnales duo dicunt, vnum est quod fiat, vel non fiat tale quid; alterum est quod si id fiat, vel non fiat, transgressor legis talē pœnam subeat; primum obligat ante condemnationem; Secundum vero, quod est pœna non obligat ante condēnationem; exemplum est si quis tentaverit furtum cōmittere suspendatur, lex est hæc, nullus audeat furtum cōmittere, pœna vero est suspensionis; primum est sub præcepto ante condemnationē. Secundum vero non ante condemnationem. Similiter sit lex quod nullus ferat talia arma, puta tormentum rotatum sub pœna solutionis quingentorum aureorum, talis lex obligat ad non habendum tormentum sub pœna peccati mortalis, pœna vero, quæ est solutio quingentorum aureorum non est necessario soluenda ante condemnationem in cōscientia.

3. Secūda dubitatio, excōmunicatio est pœna quædam, pariter suspensio, interdictum, & aliqua irregularitas, sed aliquando est lex, quod si aliquis id fecerit, ipso facto sit excommunicatus, suspensus &c. ergo aliquando etiam est subeunda pœna ante condemnationem?

Ad hoc respondet Caetanus 2. 2. q. 62. ar. 3. quod pœna legis potest esse duplex; alia ad cuius executionem requiritur aliqua actio, vt mors, mutilatio, carcer, exulatio, solutio pecuniæ &c. ad executionem enim huius pœnæ requiritur actio, quæ est occidere, mutilare, ligare, abire, soluere &c. & hæc pœna nō est adimplenda sub pœna peccati mortalis ante condemnationem; alia vero est pœna legis, ad cuius executionem nulla requiritur actio, vt excōmunicatio, interdictū &c. ad hoc enim, vt quis sit excommunicatus, interdictus &c. nō requiritur vt aliquid fiat, nam ad excōmunicationem requiritur tantum non participatio cum fidelibus, ad interdictum requiritur non ingressus in ecclesiam, ad suspensionem non exercitium ordinum, ad irregularitatem non susceptio ordinum, quæ non sunt actiones aliquæ, & adhoc vt aliquis subeat talem pœnam non est expectanda condemnatio, si pęna cominatur ipso facto, secus si dicatur tantum à legislatore, sub pœna excommunicationis &c. quia tunc requiritur condemnatio, ad hoc vt quis teneatur subire pœnam.

Tertia dubitatio si precium frumenti, vel aliorum mercium esset à Principe taxatum, ille, qui vltra taxatum pretium venderet, tenetur ad restitutionē illius precij, quod excedit precium à lege constitutum ante condemnationē, ergo ad hoc vt s[illegible] ur pœna legis no[illegible] est semper expec[illegible]nda condemnatio, etiamsi ad condemnationem pœnæ requiri-

quiritur aliqua actio.

Ad hoc respondeo quòd si Princeps iuste statueret frumentum vendendum esse verbigratia lib. triginta pro singulo modio, & non pluris sub pœna amissionis illius pretij totius, qui venderet frumentum, triginta quinque libris teneretur quidem restituere quinque libras ante condemnationem, sed non totum pretium, quia ille excessus fuit contra præceptum legis, & contra iustitiam, & contra legem naturalẽ, non tamen teneretur restituere totum pretium ante condemnationem, quia hæc est tantum legis pœna. Vt autem hoc melius intelligatur.

4. Notandum est quod pretium rei iustum potest esse duplex, aliud, quod dicitur legitimum, idest à lege statutum, & hoc consistit in lege indiuisibili, vt si à lege statutum sit pretium frumenti esse triginta, non erit licitum vendere triginta unum; neque dare tantum vigintinouem; aliud est pretium non legitimum, idest à lege nõ statutum, & hoc non consistit in indiuisibili; sed habet tantum moralem latitudinem, intra quã est pretium, quod dicitur rigorosum, & quod dicitur pium, & quod dicitur moderatum. Princeps si pro vtilitate Reip. statuat rei alicuius certum pretium, illi pretio est standum, itaut non liceat excedere, & si excessus est magni momẽti erit peccatum mortale, secus si parui momenti.

5. Quarta dubitatio est vtrum clerici teneantur stare pretio taxato à Principe sæculari, puta si voluerint vendere suum frumentum?

Respondeo affirmatiue, ita Nauarrus cap. 23. Man. nu. 88., quia licèt lex illa Principis sæcularis, vt sæcularis est non possit obligare Religiosos, obligat tamen prout est iusta ex lege naturali; nõ tamen tenebitur deinde religiosus, seu clericus ad pœnam, quam comminatur lex sæcularis, etiam post condemnationem, quia princeps sæcularis non potest obligare non subditos ad suas pœnas, aut eos condemnare, ita Nauarrus loco citato.

6. Quinta dubitatio vtrum teneãtur omnes soluere vectigalia, seu gabellas ante condemnationem?

Respondeo secundum communem Doctorum opinionem affirmatiue, si vectigalia sunt iuste posita, quia soluere vectigalia non est pœna, sed præceptum legis, cui legi est adiuncta pœna, puta vt qui non soluit vectigalia amittat merces, illam pœnam non tenetur soluere, nisi post condemnationem; quare si aliquis non solutis vectigalibus clam vexerit merces in ciuitatem, tenetur in conscientia requirere publicanum, & soluere gabelam ante condemnationẽ, sed non tenetur exhibere merces ante condemnationem.

7. An vero clerici teneantur soluere gabellas, nõ est ambigẽdũ de hoc, quando clerici gaudere debẽt immunitate, quod in nostra diœcesi obseruatur.

Nauarrus in Man. cap. 17. nu. 201. dicit quod ille qui gabellas, & vectigalia licite laicis imposita, quæ nec ecclesia, nec Ecclesiasticę psonæ soluere debẽt, ab eis exigit est, ipso facto excommunicatus, vt habetur capite Quamquam de censibus libro sexto.

8. Sed hic est notandum quòd debitor gabellæ iustæ cui publicanus, seu datiarius defert iuramentum, aut remittit eius conscientiæ, vt veritatem quantitatis mercium, quas defert dicat, tenetur eam manifestare cum obligatione restituendi, aut dicere publicano, vt ipse videat quanta sit quantitas mercium; ita dicit Medina codice de restitutione quæst. 13. in fine.

Item notandum est quod si clericus defert aliquas res alicuius Laici, quæ sunt suppositæ vectigalibus, tenetur manifestare eas cum obligatione restituendi, nec potest tuta cõscientia dicere res illas esse suas, cum non sint, imo tale mendacium esset perniciosum, & propterea mortale, si res est alicuius momomenti.

9. Sexta dubitatio, vtrum ille, qui cędit ligna in sylua non sua, vel in nemore non suo teneatur ad restitutionem?

Respondeo quod si sylua, vel nemus est communitatis illius oppidi, in quo cædens habitat, non tenetur ad restitutionem,

tionem, & si publicata sit lex nequis priuatus cædat ligna in tali sylua, vel nemore nisi tali, vel tali tempore sub tali pœna, cædens ligna contra talem legem, si lex est iusta, idest propter vtilitatem proximi posita, peccat, quia facit contra iustam legem, sed non tenetur soluere pœnam, nisi post condénationem; si vero sylua, vel nemus est alicuius priuatæ personæ, seu communitatis alterius oppidi, in quo cædens non habitat, tenetur cædens ad restitutionem lignorum, & damni dati.

10. Septima dubitatio, an ille, qui pascit oues, vel alia animalia in prato non suo teneatur ad restitutionem.

Respondeo sicut dixi de eo, qui cædit ligna in sylua non sua, si enim pascit oues, vel alia animalia in prato communi, non tenetur ad restitutionem, & si est lex iusta, ne quis tali tempore in tali prato pascat oues, sub tali pœna, peccabit pascens oues in tali prato, sed non tenetur ad restitutionem, neque tenetur soluere pœnam, nisi post condemnationem; si vero pratum erat communitatis alterius oppidi, vel alicuius priuatæ personæ, tenetur pascens oues in eo, ad restitutionem damni dati.

11. Octaua dubitatio vtrum ille, qui venatur in locis prohibitis à Principe teneatur restituere feras acceptas, & pœnam soluere, quæ est imposita contra venantes in tali loco?

Ad hoc dico primo, quod peccat venans, si prohibitio est iusta, vt quia vult ipse princeps aliquando venari animi gratia &c., vt dicit Sotus in 4. de iust. & iure. q. 6. ar. 4.

Dico secundo quod nihilominus venator non tenetur restituere feras Principi, quia vere non erant principis, nisi venaretur in aliquo loco muris cincto, in quo Princeps posuisset feras, nam tunc feræ essent Principis, & capiens eas teneretur restituere, sicut qui accipit auem ex cauea alterius tenetur eam restituere.

Dico tertio quod talis non tenetur ad pœnas à lege impositas, nisi post condénationem.

12. Nona dubitatio, an qui piscatur in lacu alieno teneatur ad restitutionem?

Respondeo quod si lacus est priuatæ personæ, tenetur ad restitutionem damni dati, si vero est communis dicendum vt supra.

13. Decima dubitatio an ille, qui surripuit aliquā rem teneatur etiā restituere fructus eius? Respondeo affirmatiue deductis tamen expensis.

Decimaprima dubitatio vtrum qui propter furtum impediuit lucrum alterius teneatur ad restitutionem lucri cessantis? Respondeo affirmatiue quod tenetur.

14. Decimosecundo quæritur, an falsificans nummos in substantia, pondere, aut forma teneatur ad restitutionem?

Respondeo affirmatiue; neque excusatur ille, qui talem pecuniam expendit, eo quod eam ab alio acceperit, quia eius error alteri nocere non debet, vt dicit Nau. cap. 17. nu. 267., & non tantum falsificans, sed etiam qui expendit falsam pecuniam tenetur restituere.

13 Similiter qui auctoritate priuata pecuniam circuncidit peccat, & tenetur ad restitutionem.

Sed dices si quis haberet nūmum maioris ponderis, possetne partem illius circuncidere?

Nauarrus loco citato negat, si est priuatus homo, secus esset si esset monetarius publicus.

Similiter falsificans aliquam scripturam in damnum alterius tenetur ad restitutionem.

Et qui falsificat pondera, stateras, & mensuras, vt in nostra ecclesia est casus reseruatus.

Qui item talibus falsis scienter vtitur tenetur ad restitutionem.

16. Similiter, & qui vtitur falsis reliquijs tenetur admonere postea eas non esse veras, & si eas adhibet ad turpem quæstum tenetur ad restitutionē. Turpis autem quæstus dicitur in hoc casu, qui quæritur propter ostensionem, vel

vel traditionem earum cum pacto, vel fine principali ob id aliquid recipiendi, secus si reliquiæ sunt, & propter earum ostensionem datur aliqua eleemosina.

CAPVT SEPTIMVM.

Quando sit facienda restitutio.

1 *Restitutio an sit facienda statim.*
2 *Causæ excusantes à peccato mortali non restituentem statim.*
3 *Confessarius an possit absoluere pænitentem, qui actualiter non restituerit male ablatum, maximè si id promiserit.*
4 *Constitutus in extrema necessitate, an teneatur restituere alteri posito in eadem necessitate.*
5 *Qui accepit rem alienam, vt se liberet ab extrema necessitate, an teneatur eandem restituere redactus ad pinguiorem fortunam.*
6 *Quomodo se gerat confessarius cũ obligatis ad restituendum.*
7 *An defunctus teneatur in purgatorio, donec eius debita soluantur.*

1 IN hoc capite primo quæritur, an restitutio sit facienda statim?

Ad hoc respondeo affirmatiue, & ita dicit D.Th.2 2.q.62.ar.8. Caet. ibid. & & in sum. verbo restitutio, Nau. in Manuali cap.12. nu. 54. & omnes alij Doctores, & probat hoc D.Thomas.

Primo quia eadem ratio videtur esse in omnibus, quæ restituenda sunt quantum ad rationem temporis, in quo restitutio est facienda, sed ille, qui hominẽ mercenariam conducit, nõ potest differre mercedem, vt patet per illud, quod habetur Leuitici decimonono, non moraberis soluere opus mercenarij vsque mane, ergo neque in alijs restitutionib. faciendis potest fieri dilatio, sed statim restituere oportet.

Secundo probat D.Thomas, quia sicuti peccatum est accipere rem alienam, ita etiam peccatum est eam detinere, manifestum autem est, quod nec modicum tempus licet in peccato morari, sed quilibet tenetur statim peccatum effugere, secundum illud Eccl.21. Quasi à facie colubri fuge peccatum, & ideo quilibet statim restituere tenetur si potest.

Sed dices primo, præceptum restitutionis est affirmatiuum, præcepta vero affirmatiua non obligant ad semper.

Ad hoc respondent D.Thomas, Caetanus, & Nau. loco citato, quod præceptum de restitutione faciẽda quamuis secundum formam videatur affirmatiuum, implicat tamen in se præceptum negatiuum, quo prohibemur detinere rem alienam.

Secundo dices si aliquis in lecto media nocte est, aut inter Missarum solemnia, teneturne è lecto surgere media nocte, aut Missam relinquere, vt statim restituat?

Ad hoc respondent Caetanus loco citato, & Nauarrus cap. citato num.55. quod quantum ad præparationem animi debet quis statim ac cognoscit se obligatum ad restitutionem proponere restituere; quantum vero ad exequutionem potest expectari congruum tẽpus, idest si est in lecto, vsque mane, &c.

Ex ijs infertur an ille, qui detinet rẽ alienam inuito domino multoties peccet, omnes enim Doctores tenẽt quod non peccat nouo peccato singulis momentis, vt optime dicit Nauarrus in Manuali cap.17. nu. 55. citato.

Item omnes dicunt quod cõmuniter pluries quã semel peccat ille, qui rem alienam multo tempore detinet, peccat enim primo quoties proponit non restituere. Secundo quoties commode

rem

rem alienam restituere potest, & non restituit, quod intelligendum est si id animaduertit. Nauarrus loco citato addit tertio quod etiam peccat ille, qui tenetur rem alienam restituere toties, quoties illa vtitur, etiamsi de restitutione nō cogitet, quod credere tutius est, licet videatur durum.

2. Secundo quæritur quænam sint caussæ, quæ excusant illum, qui non restituit statim, à peccato mortali. Respondeo quod plures, nam primo est ignorātia iuris, vel facti, quamdiu enim illa durat, tam diu ille, qui eam habet à restitutione excusatur, si tamen ignorantia est probabilis, & non crassa, aut affectata, vt si quis haberet rem alienam, quā putaret esse suam, tamdiu enim excusatur à non restituendo, quamdiu durat illa ignorantia.

Similiter si quis haberet rem alienā, quam sciret esse alienam, sed crederet se non teneri ad restitutionem illius per suasus ab aliquo Theologo, quamdiu duraret illa ignorantia, non teneretur ad restitutionem; ita Nauarrus loco supra citato.

Secundo excusatur à peccato ille, qui statim non restituit propter voluntariam dilationem domini rei, si enim ego habeā pallium Francisci, quod debeo hodie restituere, & peto à Francisco, vt concedat mihi pallium per mensem, non pecco, si hodie pallium non restituo, nam si condonario creditoris pro tempore à restitutione excusat, sic eius voluntaria dilatio excusabit à statim restituendo.

Tertio excusat impotentia restituendi statim, sicut enim impotentia perpetua perpetuo excusat ab obligatione restitutionis, ita impotentia restituēdi statim excusat ad obligatione restituēdi statim.

Quarto excusat ab obligatione restituēdi statim quando est casus, in quo nō potest restitui aliquid inferioris ordinis sine detrimento notabili bonorum altioris ordinis, vt quando non potest quis restituere bona temporalia sine periculo vitæ, animæ, vel corporis, aut famæ, & quando aliquis non potest restituere famam statim absque detrimento vitæ, vel salutis animæ, vt dicit Caetanus in summa verbo restitutio, & Nauarrus cap. cit. nu. 56.

Quinto potest differri restitutio, quādo non potest fieri sine maximo detrimento eorum, quæ sunt eiusdem ordinis, quando dilatio parum nocet creditori, vt D. Antoninus 2. p. tit. 2. cap. 8. nā si ego deberem centum aureos alicui, quos non possem statim soluere sine maximo detrimento rei familiæ meæ, puta nisi domum venderē, aut aliquod prædium multo minoris, quam valet, non teneor ad statim restituendum, si ille, cui facienda est restitutio, ex dilatione parum, aut nihil patitur; quicquid dicat Caetanus 2. 2. qu. 66. ar. 3. secus esset, si ex dilatione ille, cui est facienda restitutio, deberet pati maximum damnum.

Aduertendū tamen est quod non dicitur magnum damnum propriorum bonorum, eo quod sint restituendæ magnæ res alienæ, quia vt recte dicit Caetanus in summa verbo restitutio, illud non est suorum bonorum iacturam facere, sed aliena relinquere, neque etiam dicitur magnū damnum propriorum bonorū, nō lucrari eo quod restituturus es, quia illud non est amittere suum, sed alieno non vti.

Hoc autem intelligendum est de rigore iuris quando res restituenda est parui momenti, nec multum vtilis domino, sed maxime vtilis habenti, vt si essent instrumenta artis, quibus aliquis victum sibi pareret, qui restituere ea teneretur, & dominus non indigeret illis.

Sexto excusatur à statim restituendo ille, qui non potest statim restituere, nisi in damnum corporis, aut animæ illius, cui est facienda restitutio si statim fieret restitutio; non enim furioso, aut irato est restituendus ensis, quo creditur se, aut alium percussurum, si restituatur dum est furiosus, vel iratus; Hoc autem intelligendum est, nisi æqualia, vel multo maiora mala probabiliter crederentur euentura ex retentione, quam ex restitutione.

Ter-

3. Tertio quæritur, an confessor possit absoluere eum, qui tenetur restituere statim, nisi prius actualiter restituat, maxime si antea fuerit semel absolutus promittens restituere statim post absolutionem, quod non fecit?

Caetanus in summa verbo restitutio, dicit quod non debet absolui, quia quã uis fides pænitenti in his, quæ in confessione pro se, & contra se dicit, habenda sit, prouideri tamen etiam debet ne ille, qui semel non seruarit promissum, iterum promittat, & promissum non seruet.

Nauarrus in Manuali cap. 17. nu. 59. dicit dictum Caet. videri quidem æquum, sed tamen posse occurrere aliquando talem pænitentem cum talibus circunstantijs temporis, loci &c. vt cõfessario possit eum absoluere cum suis proposito restituendi statim.

4. Quarto quæritur an ille, qui est constitutus in extrema necessitate, nec habet aliud, quam quod est necessariũ ad sui sustentationem, & ad sustentationem vxoris, & filiorum, teneatur restituere, si creditor eadem necessitate prematur?

Nauarrus in Man. cap. 17. nu. 60. distinguit, vel dominiũ eius rei, quæ est restituenda semper remansit apud creditorem, vel non; si semper remansit tenetur restituere; si non semper, non tenetur restituere. Exemplum primi erit in commodato, vt si qui mihi commodauit vestes pelliceas, sine quibus propter frigus perirem, teneor domino eas restituere, si ita illis opus habet, vt sine illis periret. Exemplum secundi est in mutuo, vt quis misi mutuauit panem, sine quo perirẽ fame, & pariter mutuans nisi habeat illum periret fame, ego, inquit Nauarrus, non teneter restituere.

Verum absolute dicendum est cum Tab. in summa verbo restitutio. §. 4. quod talis non teneretur in tali casu ad restitutionẽ, siue dominiũ rei remanserit apud creditorem, siue non, quia in casu extremæ necessitatis omnia sunt cõmunia quantum ad vsum, & melior in eodem casu est conditio possidentis.

5. Quinto quæritur an ille, qui accepit rem alienam, vt se liberaret ab extrema necessitate, teneatur eandem restituere, vel æquiualentem, cum peruenerit ad pinguiorem fortunam?

Armilla dicit quod non, Nau. in Manuali cap. 17. nu 61. contrarium dicit, & bene, quia licet in casu extremæ necessitatis omnia sint communia quantum ad vsum, non tamen omnia sunt cõmunia quantum ad dominium; Deinde quia nos non tenemur semper subuenire existenti in extrema necessitate per donationem; sed sufficit eidem subuenire, si fieri potest, per mutuũ, aut cõmodatum, vt si aliquis in montibus pireneis, niueacijs necessitatem extremam alicuius vestis patitur, & eidem aliquis defert vestes pretiosissimas pellibus carissimis duplicatas, post quã cessauerit necessitas tenebitur eas restituere. Tertio si aliquis est in extrema necessitate, & vt sibi subueniat accipit rem alienam, excusatura furto quia ille, cuius res erat in tali casu tenebatur ei succurrere; sed si potest succurrere mutuando non tenetur succurrere donando.

6. Ex his infertur primo quod confessarius non potest pænitente obligato ad statim restituendum concedere dilationem, quando scit certo eum posse restituere, nisi concurrat aliqua caussa ex sex prædictis, quæ à statim restituendo excusant, licet aliquando, vt diximus, possit eum absoluere cum promissione, vt statim restituat.

Infertur secundo quod ille, qui debet, & potest totum statim restituere, & non vult nisi certam partem in singulos menses, vel annos quousque solutionem finierit, non est absoluendus, vt dicit Adri. in quarto, nisi creditor sit contentus tali dilatione.

Infertur tertio, vt dicit Nau. cap. 17. nu. 68. quod ille, qui statim restituere potest, & non restituit, securus non recedit ab hac vita, quamuis testamento relinquat, vt restituatur, si aliqua ex prædictis sex caussis eum non excusat; nisi id faceret quia probabiliter credit quod suus hæres melius id præstabit, & nisi

hoc

hoc persuasum haberet statim ipse per se restitueret.

Vltimo quæritur an defunctus detineatur in purgatorio donec eius debita soluantur?

Nauarrus loco citato respondet negatiue, & bene, quia potest fieri quod moriatur martyr, vel statim post baptismum, & sic ibit in cælum recta, vt docet fides Catholica.

CAPVT OCTAVVM.

Quomodo sit restituendum.

1 *Restitutio an facienda sit per se, vel per alium.*

1 SOlent quærere Doctores circa modum restituendi vtrum restitutio sit facienda per eum qui restituere tenetur, an vero per alium?

Et responsio est, vt resp. Caetanus in summa verbo restitutio, quod tutius homo restituit per se, quam per alium, potest tamen, & debet restitutio fieri per alium, si debitum est occultum, qui enim non potest restituere furtum, aut aliud damnum factum occulte per se restituere sine sui manifestatione, non debet per se, sed per aliam personam fidelem, & secretam id facere; ad quod, inquit Nauarrus in Manuali. cap. 17. nu. 67. confessarius alijs videtur aptior, modo pro fideli habeatur. Cauendum tamen est inquit Nauarrus, quia si persona media non restitueret, non obligaretur debitor ab obligatione restituendi, vt dicit D. Antoninus, 2. p. ar. 2. ca 4. §. 1. etiam quando pro fideli haberetur si dominium rei restituendæ in eum, qui restituit translatum fuit, quamuis non quando translatum non fuit, & iuste acceptum fuit, vt dicit idem D. Antoninus, nec multum fidendi est, inquit Nauarrus loco citato, prædicatoribus, & Confessarijs quærentibus potius pecuniam, quam salutem animarum, & consultum fuerit singrapham à creditore accipere, in qua confiteatur se accepisse tantam summam per manus N. pro solutione eius, quod alius debebat sibi sine nominis expressione, & eam pænitenti tradere; & in hoc casu, vt ait Nauarrus loco citato restitutio deferri potest quousque inueniatur persona, per quam fideliter, & secreto fieri possit.

CAPVT NONVM.

Quo ordine sit facienda restitutio.

1 *Restituens si potest omnibus restituere, non est ordo in restituendo necessarius.*

2 *Quid cum est impotens omnibus restituere?*

3 *Quis ordo in rerum restitutione.*

4 *In restitutione seruanda sunt statuta municipalia.*

5 *Si non adsint, recurrendum est ad leges ciuiles.*

1 DIco primo si ille, qui restituere tenetur potest omnibus restituere, quia suppetant facultates, nullus est ordo in restitutione necessarius.

2. Dico secundo vbi facultates ad restitutionem non suppetunt, vt omnibus satisfiat seruandus est iste ordo, vt prius restituantur certa, quam incerta, quia incerta possunt omitti sine præiudicio certo; certa autem non ita, Caetanus

tanus & Arm. in summa verbo restitutio, constat enim omnia restituenda ordinario ad damna humana restauranda, nisi incerta extarent adhuc in sua specie, puta quia adhuc inuentus, aut furto sublatus calix extat, nec potest inueniri dominus, nam in tali casu reddēdo prius Christo rem nulli fit iniuria creditori certa, quia debitor non tenetur creditoribus satisfacere de re aliena, constat autem rem illam in tali casu numquam fuisse suam, sed adhuc perseuerare alienam, & cætera.

3. Dico tertio, quod inter certa prius restituenda sunt illa, quæ adhuc in sua specie extant, & aliena sunt, qualia sunt res depositæ; & similiter res furto, aut rapina occupatæ, vel res, pro quibus nondum soluit, quia res eiusmodi non computantur inter bona restituentis, vtpote quarum dominium numquam fuit in eum translatum, & ideo res ipsæ ante omnia restituenda sunt dominis.
Et dixi, etiamsi res emptæ, & possessæ, sed non solutæ adhuc in sua specie extant, tales enim sunt restituendæ illis, à quibus emptæ sunt, quoniam licet translatum fuerit dominium in eū, qui emit, ipsamet tamen res remanet subiecta obligationi quousque soluta est, & propterea tamquam non fuerit inter bona restituentis computanda est, ita dicunt Caetanus, & Armilla in summa verbo restitutio, & Nauarrus in Manuali. ca. 17.

4. Dico quarto quod postquam res alienæ, quæ extant restitutæ sunt, seruanda videntur statuta municipalia si extant, & si in qua non sunt circa ordinem restituendi, vt in multis locis dicūtur esse circa numularios, qui decoxerunt.

5. Dico quinto, quod si nullum extat statutum, seruandum est ius ciuile, & vbi diuersitas opinionum occurrit tutior pars est eligenda, si vera nescitur. Debet ergo esse cautus ille, qui vult restituere interrogandus si ibi extant statuta aliqua, & si nescit, consulere debet peritos; atque hæc de hoc capite, nam quo ordine restituere debeat vsurarius, de quo est particularis difficultas, dicitur in tractatu de Vsura.

CAPVT VLTIMVM.

De caussis, quæ excusant à peccato mortali non restituentem.

1 *Nauarrus enumerat nouem causas excusantes à restitutione.*
2 *Quis possit creditori remissionem debiti facere.*
3 *Quomodo quis liberetur ab obligatione soluendi debita.*
4 *Ignorantia qualiter excuset non restituentem.*
5 *Præscriptio, aut vsucapio an liberent ab obligatione restituendi.*
6 *Cessio bonorum an liberent à dicta obligatione.*

1 NAuarrus in Manuali à num. 75. & infra cap. 17. enumerat nonnullas causas vsque ad nouem, ob quas excusatur non restituens à peccato mortali, quarum nonnullas desumpsit ad litteram ex Sylu. in sum. verb. restitutio 7. & iuxta hos DD. scilicet Nauar. & Syl. & ego in hoc vltimo capite afferam eas causas, ob quas aliquis excusatur à restitutione.

Prima causa est necessitas, si est perpetua, nam si est tantum ad tempus, excusat pro tali tempore; si vero est perpetua excusat semper;

sed de necessitate hac diximus supra ca. 7. quantum sufficit quæsito quarto & quinto.

Secunda caussa est remissio, & condonatio creditoris, quando enim creditor relaxat debitori obligationem restituendi, non tenetur amplius debitor siue sit debitor propter furtum, siue propter damnum iniuste datum, siue propter mutuationem, aut commodationem restituere, vt fuse Syluester verbo restitutio 7. §. 2. ad hoc autem, vt remissio, seu condonatio liberet debitorem ab obligatione restituendi requiruntur duo; primum est, quod fiat per eum, qui potest donare, & habet liberam administrationem suorum bonorum, nam si quis à monacho surripuisset vestem, remissio, seu condonatio monachi non liberat debitorem à restitutione, quia monachus cum nihil proprij habere possit, non potest donare, nisi de licentia superiorum religionis, qui habere possunt liberam administrationem bonorum ipsius.

Secundum quod donatio scienter, & sponte fiat sine vi, sine metu, sine dolo, & sine fraude.

Dixi sine vi, & metu, quia si aliquis debitor minaretur in creditorem aliquod malum nisi debitum condonaret, & propterea metu condonaret, talis cōdonatio non tolleret obligationē restituendi, quia non est spontanea, sed per vim extorta, aut metum.

Similiter si aliquis debitor potens restituere creditori peteret absolutionē obligationis, à creditore dicens se non habere vnde restituat, condonatio si fieret non tolleret obligationem restituendi, quia talis condonatio esset facta per dolum, aut fraudem.

Ex his infertur, inquit Nauarrus, primo quod non prodest illa quotidiana remissio, seu condonatio, qua creditor fit contentus parte debiti propter diffidentiam recuperandi totum debitum natam ex eo, quod debitor ei minatur, quod si pro centum, quæ debet nolit esse contentus quinquaginta pro integra solutione, nihil vnquam sit habiturus, vt Syluester verbo restitutio 7. §. 2.

Secus tamen est de diffidentia recuperandi totum, quam concipit ob alias caussas.

Infertur secundo non esse opus tertio requisito, quod alij desiderant quod adhoc, vt condonatio tollat obligationem restituendi, solutio sit parata; nec illud, quod quidā Theologi, vt refert Syluester loco citato, dicunt quod pecunia realiter ponatur coram creditore; imo vt bene inquit Caetanus in summa verbo restitutio, & 2. 2. qu. 62. ar. 6. quando restitutioni obnoxius, vel obligatus est pauper, & creditor ita diues vt remissio debiti, foret opus misericordiæ consulendum est illi, vt antequam pecunia realiter præsentetur, vel absque pecuniæ præsentatione remissio petatur, quia vt dicit Nauarrus loco citato nu. 77. quemadmodum actus castitatis liberius in absentia fœminarum exercetur, & abstinentiæ in absentia suauiū epularum, sic etiam condonatio pecuniæ debitæ liberius fit in absentia pecuniarum debitarum, quam in præsentia.

Infertur tertio quod non est necesse quod debitor habeat propositum soluendi, si ei non fiat remissio, aut condonatio, quamuis tale propositum requiratur adhoc vt peccatum remittatur; ita Nauarrus & Syluester loco citato.

Infertur quarto quod qui dicit creditori se esse paratum ad soluendum quantum potest, & simul rogat, vt erga se vtatur misericordia, consecuta remissione fit liber à peccato, & necessitate restituendi, si voluntatem habebat soluendi; si non fieret remissio, si vero voluntatem talem non habebat liberatur quidem à necessitate restituendi, non autem à peccato, etiam non secuta remissione, vt Syluester loco citato, nā debitor, qui etiam post condonatum debitum eo animo esset, quod nollet soluere, etiamsi posset, licet non esset ei condonatum; manifeste peccat.

Infertur quinto, quod si aliqua persona proba tractat cum creditore, & dicit, ego curabo, vt tuus debitor soluat tibi tantum si tu liberaliter reliquum cōdonaueris eidem, quod faciat sine fraude, nullo iniecto metu, aut diffidentia

num-

numquam debitum recuperandi, si creditor illi remittit, immunis est debitor à necessitate restituendi, & si debitor erat paratus restituere quantum poterat, immunis est etiam à peccato.

Infertur sexto, quod si persona internūcia dicit remissionē esse libere factā, & non ita res se habet, debitor non fit immunis à restitutione, imo si de eo dubitat, debet fieri certior de veritate, quamuis si internuntius sit satis fide dignus, debitor excusatur eius dicto quoadusque contrarium resciuerit.

Sed dices excusaturne omnis debitor à restitutione propter liberam remissionem factam a creditore sine fraude, & metu; sed ex liberalitate, etiamsi creditor habeat liberam administrationē suorum bonorum?

Respōdet Syluester loco citato, quod excipiuntur tres casus, quorum primus est quando inquisitores illicito modo prætextu officij sui pecunias ab aliquibus extorquent, tales enim tenentur easdem pecunias restituere sub pœna excōmunicationis, etiamsi fiat remissio ab his, qui eas dederunt, vt habetur cap. nolentes de excommunicatione. Secundus casus est quando visitatores Episcopi, vel Archiepiscopi &c. propter sui officium accipiunt munera præter casus, in quibus ea accipere possunt; tales enim tenentur termino vnius mensis restituere talia munera illis, qui ea dederunt, etiamsi ex liberalitate ea dederint, de hoc Syluester verbo visitatio ff. 5. Tertius casus est quando Iudex Ecclesiasticus delegatus accipit munera à litigante præter poculenta, & esculenta, & præter salarium constitutum à iure; tenetur enim tunc Iudex munera restituere danti; etiamsi dans voluerit remittere obligationem; Ita habetur cap. exigit de censibus in 6. & hoc sub pœna interdicti, seu suspensionis.

2. Dices secundo, an aliquādo alius, quam creditor possit iuste debitori remissionem debiti facere, ita ut per talē remissionem excusetur debitor ab obligatione restituendi?

Ad hoc respondet Syluester verbo restitutio 7. ff 2. prope finem, quod non, nisi intercedat iusta caussa, qua interce dente potest princeps, seu cōmunitas, aut consilium remissionem facere debitori contra voluntatem creditoris.

Dices tertio vtrum si creditor multoties loqueretur cum debitore, & numquam peteret solutionem debiti, censenda esset facta remissio?

Respondeo quod non censetur facta remissio, nisi debitor certo sciret creditorem non petere, quia condonat debitum, potest enim fieri quod creditor non petat debitum propter timorem reuerentialem, vel quia oblitus est, vel propter aliquam aliam caussam.

Tertia caussa propter quam excusatur non restituens à peccato mortali est aliquis interitus rei restituendæ, vt dicit Syluester loco citato & Nauarrus in Man. cap. 17. nu 8o.

Vt autem hoc intelligatis, notādum est quod aliquis dicitur debere aliquid alicui in genere, apud Iuristas, & aliquis dicitur debere aliquid alicui in specie, apud eosdem Iuristas; quod appellant Iuristæ genus, Philosophi appellant speciem; & quod appellant Iuristæ speciem Philosophi appellant numerum, vnde ille dicitur secundum iuristas debere aliquid in genere, & secundū Philosophos in specie, qui debet verbigratia tres modios frumenti, quia mutuo accepit tres modios frumenti quos seminauit, vel comedit; aut tres amphoras vini; aut tres aureos nūmos; ille dicitur debitor in specie apud Iuristas, & in numero apud Philosophos, qui tenetur restituere eandem rem numero quam accepit ab alio, vt si commodato accepit vestem, tenetur enim eandem vestem restituere numero, & non eandem genere, vt dicunt Iuristæ, vel specie, vt dicunt Philosophi, idest simile. Et hoc notato.

3. Dico quod ille, qui aliquid debet in genere secundum iuristas, vel in specie secundum Philosophos, non liberatur ab obligatione restituendi quamuis res, quas ad soluendum destinatas habebat, incēdio, aut alio quouis casu etiam fortuito pereant; imo neque si omnia eius bona disperirent. Ille vero, qui

est debitor in specie secundum Iuristas, vel in numero secundum philosophos regulariter excusatur si res restituenda pereat, modo pereat absque dolo, fraude, & culpa, & ante moram, nec etiam post moram saltem in foro conscientiæ si sciretur, quod res perinde erat peritura apud creditorem, & apud eum; secus tamen si constaret, aut dubitaretur, quod antequam res perijsset, dominus vendidisset, aut ea vsus fuisset. Ille autem dicitur esse in mora restituendi, qui tenetur restituere ex delicto, idest ratione acceptionis iniustæ, & etiam ille, qui est debitor ex contractu, vt propter commodationem, oppignorationem, locationem, seu conductionem; & non restituit ad diem præscriptum, vel non statim atque scit rem esse alienam; idque facit sine iusta caussa eam retinendi, nam si quis retineret rem alienam ratione aliquarum impensarum, quas bona fide circa eam fecisset, aut credendo illam esse suam, non censetur esse in mora.

4. Quarta caussa, quæ excusat non restituentem à peccato mortali, & quæ etiam quatto loco enumeratur à Nauarro loco citato num. 82. est probabilis ignorantia facti, qua credit id, quod est alienum, esse suum, si enim aliquis haberet Patrem, qui verbigratia commodato accepisset cathedras, vel aliam rem mobilem, & filius existimaret Patrem emisse illas cathedras, vel illam rem mobilem; deinde pater moreretur ante restitutionem cathedrarum, vel illius rei mobilis; filius non teneretur restituere eas, vel illam rem mobilem, quia excusatur per ignorantiam, nam putat cathedras, vel illam rem esse suam, cum sit hæres Patris, & putaret Patrem eas emisse.

Hoc autem intelligendum est durante ignorantia; secus esset si postea cognosceret talia non esse sua; excusat etiam ignorantia Iuris obscuri, quando est aliquis casus dubius, de quo disputatur, an quis teneatur in illo ad restitutionē necne, & reperitur in illo casu consulit iste aliquem doctorem alicuius auctoritatis, qui dicit eum non teneri, non tenetur ad restitutionem, etiamsi doctor in consilio dando errauerit.

Sed dices, est aliquis, qui dubitat, an teneatur ad restitutionem, & consulit aliquos viros doctos, qui dicunt eum teneri, sed quia non placet eorum respō sio consulit alium, vel alios donec inueniat vnum, qui dicat eum non teneri; teneturne talis ad restitutionem?

Respondeo quod tenetur, vt dicit Nauarrus cap. citato nu. 83. dixi ignorantiam excusare, si tamen est probabilis, quia ignorantia crassa, vel supina non excusat qualis esset, si quis emeret à milite Missale, aut Calicem; talis emptor enim non potest dicere, quod ignorarett talem militem non esse furem, & propterea se non teneri ad restitutionē, quia hæc esse ignorantia crassa; communiter enim homines existimant militē vendentem calicem esse furem.

Similiter si quis à famulo orbem argenteum emeret, teneretur restituere illum, quia credere certe deberet illum habuisse per furtum, si non adhibet diligentiam ad veritatem sciendam.

Dixi, ignorantiam iuris obscuri, excusare à peccato non restituendi, & non Iuris clari, quia ignorantia iuris clari numquam excusat qualis esset illa, qua quis ignoraret se teneri ad restitutionē illius, quod furatus est.

Quinta caussa, quæ excusat non restituentem à peccato mortali est præscriptio aut vsucapio; est autem præscriptio, seu vsucapio vnus ex modis acquirendi dominium alicuius rei, quæ cōpetit ex eo, quod eam legitimo tempore, modo legitimo, & bona fide possedit; est enim lex canonica, & ciuilis quod si aliquis possederit rem mobilem per triennium bona fide non tenetur eā restituere, etiamsi res fuerit aliena; si vero est res immobilis, quæ possidetur, requiritur in aliquibus spacium decem annorum, in alijs viginti annorum, & in alijs triginta annorum, præterquam in rebus Ecclesiasticis, quæ nunquam præscribuntur, aut vsucapiuntur; est autem differētia hæc inter præscriptionē, & vsucapionem, quod præscriptio est rerum immobilium, vsucapio verbo mobiliū licet

licèt nonnunquam confundantur hęc nomina.

Notandum est quod in iure ciuili pręscriptio facit possidentem dominum rei possessæ post lapsum temporis, etiamsi fuerit possessor malæ fidei, sed in conscientia, vt quis dicatur legitimus possessor requiritur quod semper duret in toto tempore à lege præfixo ad præscribendum, seu vsucapiendum bona fides, Cur autem vsucapio, aut præscriptio ius pariat in foro conscientiæ, ita ut sine peccato res possessa postea retineatur, etiamsi sciatur fuisse alienam, est quia auctoritate legum rationabilium, vtpote pro communi bono sancitarum, præscribens, aut vsucapiens factus est dominus rerum præscriptarum, aut, vt ita loquar, vsucaptorum, vt optime dicit Caietanus in summa verbo præscriptio.

Sexta caussa, quæ excusat non restituētem à peccato est cessio bonorum, qua debitor ea relinquit creditoribus, quæ excusat tantum in foro exteriori, quoad debita ex contractibus orta quaten⁹ lex ciuilis statuit ne debitor cedens in plus teneatur, quam commode soluere possit de ijs, quæ postea acquisierit; hæc autē caussa in foro conscientiæ non excusat, nisi quaten⁹ necessitas simul cum cessione coincidit.

Septima caussa est impotentia restituendi sine periculo vitæ, & salutis, & de hac diximus in septimo capite.

Vltima caussa est impotentia restituē di sine amissione famæ, & de hac etiam diximus in capite dicto. Atque hæc de isto capite, & toto tractatu restitutionis dicta sufficiant.

Finis Tractatus de Restitutione.

TRA-

TRACTATVS
DE HORIS CANONICIS.

Quæ de Horis Canonicis dici poſſunt in ſex capita diuidam.

IN quorum primo dicam quot & quotuplex ſit hora canonica.

In ſecundo dicam qui teneantur ſub pęna peccati mortalis de iure diuino ad recitandnm horas canonicas.

In tertio quid dicendum ſit, ſeu recitandum pro horis canonicis ab illis, qui eas recitare tenentur.

In quarto dicam quo tempore horæ canonicæ ſint recitandæ.

In quinto, quo loco ſint recitandæ.

In ſexto dicam de modo, quo recitandæ ſunt horæ canonicæ ab illis qui tenentur eas recitare.

CAPVT PRIMVM.

Quod & quotuplex ſit Hora Canonica.

1 Hora Canonica quid ſit, & eius deffinitio.
2 Quotuplex ſit hora Canonica.
3 Ratio cur ſeptem horæ Canonicæ, & illarum congruentia.
4 Diei naturalis, & Canonici principium, & finis.
5 Tempus congruum recitandis horis Canonicis.
6 Iſtæ horæ quare dicantur Canonicæ.

1 Reſpondeo ex Syluestro in ſumma verbo hora canonica, quod hora canonica eſt officium diuinum certa diei hora ex inſtitutione canonica dicendum; & pro explicatione iſtius deffinitionis notandum eſt.

Primo quod quando dicimus horam canonicam, ponimus tempus pro re, quæ in tempore fieri debet, ſeu horam pro officio, quod in tali hora recitari debet, ſicuti aliquando accipitur locus pro re, quæ eſt in loco, vt quemadmodum ſi dicas vrbs Mediolani hoc facit, intelligis ciues in ciuitate Mediolani degentes, ita cum dicis verbigratia horam canonicam, intelligere debes officium diuinum, quod ex inſtitutione canonica in talia diei hora recitari debet.

Secundo notandum eſt quod licet in ſacris inſtituti de iure diuino teneantur Deo preces fundere, quia ad hoc quemadmodum ſunt Deo mancipati, vt pro ſe, & populo orent, vt optime ait Sotus lib. 10 de iuſtitia & iure q. 5. ar. 1. tamen quod debeant dicere tale vel tale officium tali vel tali hora, eſt de iure Eccleſiaſtico, vnde & bene ait Sotus ibidem, præceptum de orando eſt diuinum, ſed de orando hoc modo, vel tali hora eſt humanum, ſeu Eccleſiaſticum, ſicuti præceptum de iurando eſt diuinum, ſed iurando tali tempore, vel tali modo eſt Eccleſiaſticum, & ideo indefinitione ſupraſcripta diximus horam canonicam eſſe officium diuinum, intelligendo pro hora canonica id quod in horis fieri debet, & quod certis horis recitandum ex inſtitutione Eccleſiaſtica, quia licet præceptum orandi ſit diuinum, determinatio tamen temporis, & qualitatis precū eſt præceptum humanum quantum ad horas canonicas.

2. Quæritur ſecundo quotuplex ſit hora Canonica.

Reſpondeo quod ſeptem ſunt horæ canonicæ ſecundum opinionem doctorum magis cōmunem, matutinum videlicet prima, tertia, ſexta, nona, veſper, completa, licet Archidiaconus, vt refert Syluester in ſumma verbo hora canonica in principio, dixerit matutinū non eſſe numerandum inter horas canonicas, ſed pro prima hora ex ſeptem eſſe connumerandas laudes, quæ poſt matutinū recitantur; Sed errat primo quia dicit contra communem doctorum opinionem

nionem; fecundo non in omni Ecclesia laudes sunt separatæ à matutino, vt in nostra Ecclesia Mediolanensis.

Cur autem sint septem horæ canonicæ,& non plures,neque pauciores,multas Summistæ congruentias ponunt in verbo hora canonica, & doctores Scolastici in 4.sententiarum; Syluester loco citato dicit esse septem horas canonicas, quia horæ canonicæ recitantur ad agendum gratias Deo de beneficijs acceptis, inter quæ primum fuit creationis,& secundum redemptionis, creatio autem facta fuit septem diebus, vt videre est in principio Genesis, redemptio verò facta fuit per passionem Christi, cuius principalia misteria fuerunt facta in septem horis, vt postea dicam, & ideo septem sunt horæ Canonicæ;Sotus loco citato addit alias tres conuenientias, quarum prima est quia sicuti creatus est mundus septem diebus; ita recreatur septem donis Spiritus sancti;secunda est quia mundus per septem ætates est duraturus; tertia est quia in horis canonicis non tantum gratias agimus Deo pro beneficijs acceptis,sed & noua beneficia iugiter imploramus per horas canonicas,quę omnia beneficia cum reducantur ad septem,quæ continentur in septem petitionibus orationis dominicæ,ideo & septem debuerunt esse horæ canonicæ,& ita distinctę ab illa quã affert Syluester de passione Christi,vnde versus.

Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.

Prima replet sputis, causam dat tertia mortis.

Sexta Cruci nectit,latus eius Nona bipertit.

Vespera deponit tumulo completa reponit.

Hæc sunt septenis propter quæ psallimus horis.

Meditationis quas facere deberet religiosus quilibet, quando vult recitare horas canonicas, videre apud Landulfum Carthusianum de vita Christi capite 88., deberet Sacerdos.n.quilibet, quãdo matutinas vult recitare ante oculos suæ mẽtis ponere qualiter Christus tali hora in qua ipse recitare deberet dictas matutinas à Iudęis fuit ligatus; quando vult recitare primam debet meditari qualiter Christus prima diei hora fuit repletus sputis, & alijs iniurijs affectus; quando vult recitare tertiam debet meditari qualiter Christus dicta hora fuit à Iudæis turpissima crucis morte cõdẽnatus,& sic de reliqs.

Sed dices; si Christus hora sexta ascẽdit crucem, quomodo nos dicimus in hymno ad tertiam in dominicis,& alijs Domini solemnitatibus. Iam surgit hora tertia, qua Christus ascendit crucem, pro solutione huius difficultatis, notandum est quod Christus vere Crucifixus est hora sexta, cum præter hoc quod dicitur clare in Eũagelio etiã nos fateamur in nostro officio, in oratione, quæ dicitur ad sextam quando fit de feria, idest qui hora sexta gloriosissimam crucem ascendere voluisti.

4. Notandum secundò est quod dupliciter sumitur dies, idest naturaliter, & artificialiter, quando sumitur naturaliter, continet diem,& noctem, & diuiditur in viginti quatuor horas, licet omnes nationes nõ habeãt idẽ diei principium, Hebrei enim incipiebant dies in prima hora noctis, quia Dominus illis præceperat, vt à vespera vsque ad vesperam celebrarent suos dies festos, vt videre est in die licito.

Nos incipimus diem à media nocte, & durat vsque ad mediam noctem sequentem.

Sirij incipiebant diẽ à principio diei.

Aegiptij vero sicut, & Mathematici incipiebant à meridie, vel sumitur dies artificialiter,& sic non continet noctẽ, & diuiditur hic dies secundum Ecclesiasticos, sicut & diuidebatur more Hæbreorum in duodecim horãs, tam in hieme, quam in æstate, sed horæ diei æstiui sunt longiores, quam horæ diei hiemalis; tertsits hic dies diuiditur in quatuor partes principales quarum prima continet tres primas horas, idest primam secundam,& tertiam, secunda continet, quartam, quintam,& sextam; tertia cõtinet septimam, octauam, & nonam, vltima continet decimam vndecimam;

&

& duodecimum. Prima pars continetur sub nomine tertiæ, quia tertia quæ est vltima ex illis tribus comprehéditur in vltima eius. Secunda propter eandem rationem dicitur sexta. Tertia dicitur nona; & quarta dicitur hora vespertina, seu vesperarum.

5. Ad dubitationem ergo dicendum est, quod in Hymno dicitur, Iam surgit hora tertia, qua Christus ascendit Crucem, quia hora tertia data est sententia contra Christum, non enim potest extendi, meo iudicio, hora tertia vsque ad sextam, licet finis horæ tertiæ sit principium sextæ, quia principium sextæ non est in hora sexta, sed in quarta hora, quia secunda pars diei, quæ nominatur sexta, continet quartam, quintam, & sextam diei horam.

Rursus dices quare non ita diuiditur nox quantum ad horas Canonicas, sicut & diuiditur dies? Respondeo quod, vt videre est apud Sotum lib. 10. de Iustitia & iure qu. 5. antiquitus ita erat diuisa nox in quatuor partes, quantum ad diuinum officium, sicut nunc diuisus est dies, in quarum prima parte, vbi sacris initiati viuebant collegiatim, aliqui dicebant primum nocturnum Matutini. In secunda alij recitabant secundum nocturnum. In tertia reliqui dicebant tertium Nocturnum. In quarta vero omnes dicebant simul laudes; sed quia commode hæc consuetudo non potuit seruari, effectum est, vt omnia nocturna simul rec[illegible]ntur, quæ & dicebantur vigiliæ propter dictam consuetudinem.

Ex his ergo colligitur, quod antiquitus ad Deum fiebat oratio quater in nocte in quatuor eius partibus, & toties in die, & semel in fine noctis, qui est principium diei, & demum semel in fine diei, qui est principium noctis.

Quod si dicas, quomodo dicimus septies in die laudem dixi tibi secundum Psalmistam applicando tale dictum ad horas Canonicas, vt faciunt aliqui Doctores, si in die non recitantur septem horæ Canonicæ? Respondeo quod ibi apud Psalmistam per diem debemus intelligere diem naturalem, si volumus probabiliter probare septenarium numerum horarum Canonicarum, ex hac auctoritate. Vnde & idem Psalmista dicit Media nocte surgebam ad confitendum tibi, quod intelligendum est non de nocte distincta à die, sed de nocte, quæ cum die artificiali vnita constituit diem naturalem.

6. Demum dices quare istæ horæ dicuntur Canonicæ? Respondeo, vel quia regulariter sunt recitandæ, Canonicus enim idem est, quod regularis, & Canõ idem est quod regula; vel dicuntur horæ Canonicæ, quia per legem Canonicam institutæ fuerunt & præceptæ.

CAPVT SECVNDVM.

De illis, qui tenentur de Iure sub pæna peccati mortalis ad recitandum horas Canonicas.

1 *Quot personæ teneantur recitare horas Canonicas.*
2 *Primo sacris initiati.*
3 *Vtrum in hac recitatione possit Romanus Pontifex dispensare.*
4 *Secundo beneficiati.*
5 *Vtrum non percipiens fructus sui beneficij, teneatur ad horas Canonicas recitandas.*
6 *Vtrum excusetur ob tenuitatem beneficij.*
7 *Constitutus in minoribus, & habens beneficium, an possit per alium satisfacere huic obligationi.*

8 *Non recitans horas, cum percipiat fructus beneficij, an teneatur ad restitutionem fructuum perceptorum.*
9 *An quis teneatur recitare statim post impetrationem beneficij.*
10 *Quotam partem fructum teneatur restituere non recitans.*
11 *Cui facienda sit hac restitutio.*
12 *Quid si beneficiatus sit pauper.*
13 *Recitans in peccato mortali, an teneatur ad aliquid.*
14 *Recitans sine debita attentione.*
15 *Recitans alienum officium.*
16 *Omittens recitare ex legitima causa ad quid teneatur.*
17 *Quid de Canonico, qui fingat se infirmum, cum verè non sit.*
18 *Num peccet ille, qui non existens in sacris non recitat animo dandi fructus sui beneficij pauperibus.*
19 *Possidens beneficium iniusto titulo, an teneatur recitare.*
20 *Habens plura beneficia teneturnè plures recitare?*
21 *Possidens pensionem, an teneatur recitare horas Canonicas.*
22 *Excommunicatus titularis an teneatur recitare.*
23 *Proponens non dicere officium, si illud postea omittat, an bis peccet.*
24 *Omittens recitare septem horas Canonicas, an peccet septies, an semel.*
25 *Religiosi professi tenentur recitare horas Canonicas.*
26 *Quid de nouitijs.*
27 *Quid de Conuersis.*
28 *De professis non deputatis ad Chorum.*
29 *Causa excusantes à recitatione officij.*
30 *Cum quis sine culpa caret breuiario.*
31 *Cum quis est cacus, vel oculis caliginosus, aut carens lingua.*
32 *Occupatio in negotio incompatibili excusat.*
33 *Notabilis infirmitas excusat.*
34 *Dispensatio Summi Pontificis excusat.*

1 TRia genera personarum sub pœna peccati mortalis tenentur recitare horas Canonicas, idest sacris initiati, beneficiati, & professi in religione approbata, si sunt ad chorū dedicati, & de his sigillatim nonnulla sunt dicenda in sequentibus.

2. Dico primo, quod sacris initiati tenentur ad recitandū m horas Canonicas, vt videre est apud Glosam capitulo Præsbiter de Celebratione Missarum, vbi & omnes Canonistæ Panormitanus, Ostiensis, & alij, idem dicunt, & Theologi omnes maxime D. Thomas Quolibeto 8. artic. 6. & licet capitulo Præsbiter citato, fiat mentio tantum de Præsbiteris, Innocentius tamen capitulo dolentes, eodem titulo addit Diaconos, & Subdiaconos, & dicti Canonistæ dicunt, quod in capitulo Præsbiter citato nomine præsbiteri intelligendus est omnis sacris initiatus. Idem habetur capitulo finali q. 92. ratio autem, cur sacris initiati teneantur recitare horas Canonicas, est quia sacris initiati, scilicet ita à cætero populo segregati, & Deo dicati, vt constituti sint in tali statu, cui impositum sit officium recitandi horas Canonicas secundum illud Eccles. 43. Omne illum, qui inuocauerit nomen meum in laudem meā creaui illū, idest ad recitandas horas Canonicas, atque ex hoc dicit, quod recitare horas Canonicas, est ita proprium & germanum officium illorum, qui sacris initiati sunt, vt propter nullum aliud negotium nūquam debeant horas Canonicas omittere, etiam si munus habeant aut legendi, aut prædicandi, aut gubernandi, vt dicit

dicit ibidem Sotus, quod vsu compertum est diuina benignitate aliquem nunquam minus fuisse in suo negotio, eo quod tempus debitum consumpserit in recitandis horis Canonicis, simile dicit Nauarrus in Manuali. cap. 25. nu. 102.

Dices, ordinati in minoribus si nō habeat beneficium tenenturne recitare horas Canonicas, aut aliquid officij? Ad hoc communiter respondent omnes negatiuè, tum quia idest est cautum in Iure, tum etiam quia ordinati in minoribus non sunt ita Deo dicati, sicut ordinati in sacris, possunt enim ab officio ordinum recedere, & matrimonium contrahere, quod non licet sacris initiatis.

3. Dices demum, potest ne quis dispensari à Papa à recitatione horarum Canonicarum, si est in sacris constitutus? Respondet Sotus loco citato absolutè, quod nullus in sacris constitutus potest dispensari ab obligatione recitandi aliquas orationes, quia de iure diuino tenentur sacris initiati orare, sed interposita aliqua causa potest Papa quemlibet dispensare ab obligatione recitandi horas Canonicas hoc modo, & tali tempore, & secundum talem numerum est præceptum Canonicum, & ab Ecclesia inductum, & ideo Papa in eo dispensare potest.

4. Dico secundo, quod beneficiati tenentur recitare horas Canonicas sub pæna peccati mortalis; nam id præcipitur in capitulo finali. q. 92. & vulgo dicatur quod beneficium datur propter officium, & demum idem aperte determinauit Pius V. in extrauaganti, quæ incipit ex Sancto Lateranensi concilio, sed hic sunt multæ dubitationes.

5. Prima dubitatio est vtrum ille, qui habet quidem beneficium, sed non percipit fructus ex illo, teneatur recitare horas Canonicas? Respondeo ex Armilla, Thabiensi, Syluestro, Angelica, & alijs Summistis verbo hora Canonica, ex Nauarro in Manuali cap. 25. ex Soto lib. 10. de iustitia, & iure. qu. 5 & alijs doctoribus, quod distinguendum est, vel ille, qui habet beneficium nullos ex eo percipit fructus, quia negligit illos recipere, vel quia alius pro ipso percipit, vt quando Pater percipit fructus ex beneficio filij, vel quia non est tempus percipiendi illos, tamen habebuntur tali tempore, & alia die, & in his casibus qui habet beneficium tenetur recitare horas Canonicas. Si vero beneficatus nō percipit fructus, quia non sunt neque in re, neque in spe, non tenetur dicere officium, ita dicunt Doctores, quia ille non tenetur recitare officium cuius omnes fructus sunt alteri reseruati, & ipse non tenetur donec pensionarius vixerit ad aliquid onus.

6. Secunda dubitatio vtrum ille, qui habet beneficium tenue teneatur ad recitandum horas Canonicas. Sotus lib. 10. de iustitia, & iure. q. 5. ar 3. dicit quod si fructus beneficij non ascendunt ad Summam Octo aureorum, Beneficiatus non tenetur recitare horas Canonicas propter tenuitatem redditum.

Armilla, Syluester, Angelus, Thabienis verbo hora Canonica, Nauarrus in Manuali cap. 25. nu. 102. dicunt quod tenuitas redditunm beneficij numquam excusat aliquem ab obligatione recitādi horas Canonicas, & ratio eorum est, quia obligatio recitandi horas Canonicas non attenditur penes tenue, aut pingue beneficium, alioquin qui haberet beneficium duplo pinguius, teneretur bis recitare horas Canonicas, & non si esset tantum pingue, vt si aliquis, qui habet beneficium cuius redditus sunt viginti aurei nummi, propter illos redditus tenetur dicere officium, bis teneretur dicere officium si redditus ascenderent ad summam quadraginta aureorum.

Dico secundò quod qui habet beneficium etiam quod sit tenue, tenetur dicere officium, quia sibi imputare debet quod habeat tale onus, quia vult habere tale beneficium, quod posset resignare, & forsitan alicui, qui non obstante tenuitate redditũum officium dicet, & si nullus esset, qui illud appeteret, Episcopus posset alteri beneficio illud applicare, & hæc secunda opinio mihi videtur probabilior.

7. Tertia dubitatio vtrum constitutus in minoribus habens beneficium pos

sit per alium satisfacere obligationi recitandi officium; puta assignando illi partem fructuum beneficij. Panormitanus, & Io. Andreas, quos refert & sequitur Armilla verbo hora Canonica numero 3. dicunt quod non, quia recitatio officij est obligatio personalis, & ideo illi est satisfaciendum ab eo qui habet beneficium.

8. Quarta dubitatio, vtrum ille, qui non recitat officium, & percipit fructus beneficij teneatur ad restitutionem fructuum perceptorum ex illo beneficio?

Respondeo affirmatiue si nulla legitima causa omisit recitationem officij; ita determinatum est in Extrauaganti Pij V. supra citata, quæ ad litteram est descripta in Manuali Nau. cap. 25. nu. 122.

9. Quinta dubitatio est vtrum statim, ac quis impetrauit beneficium teneatur recitare officium? Respondeo quod non statim post impetrationem tenetur recitare officium, sed post collationem statim, etiam ante captam possessionem, quantum autem ad restitutionem fructuum tenetur Beneficiatus recitare officium post sex menses à collatione, vt determinatum est in prædicta Extrauaganti Pij V.

10. Sexta dubitatio est quos fructus teneatur restituere ille, qui per aliquod tempus non recitauit horas Canonicas cum tamen beneficium habeat?

Respondeo quod tenetur restituere tantos fructus quanta fuisset portio, quæ respondere potuisset toti tempori in quo cessauit ab officij recitatione, si fructus diuiderentur secundum ratam temporis; ita vt si quis per annum integrum, absque legitima causa non recitauit officium, cum esset Beneficiatus, teneatur restituere omnes fructus illius anni; si vero dimidium annum cessauit à recitatione officij, talis Beneficiatus teneatur restituere mediam partem fructuum illius anni, si per mensem, tenetur restituere duodecimam partem fructuum, si per diem tenetur etiam restituere vnam partem ex trecentis sexaginta quinque partibus fructuum illius anni, si tamen ommisit Matutinum ex propria culpa teneatur restituere dimidiam partem fructuum vnius diei, si omisit aliam horam tenetur restituere sextam partem dimidiæ partis fructuũ illius diei, & hæc omnia habentur in prædicta extrauaganti Pij V.

Atque ex his colligimus, quod etiam ille, qui ommisit recitare tantum vnam horam, Canonicam absque legitima causa tenetur restituere fructus correspondentes illi horæ præter peccatum mortale, quod fecit Beneficiatus non recitando illam horam, & in tali casu, etiamsi ommissio fuerit tantum vnius horę, preceptum restitutionis fructuum, qui respondent illi horæ obligat sub pæna peccati mortalis, nisi paruitas rei excuset.

Hinc etiam colligimus quod quando quis in bulla Pij V. dicitur ommittere recitationem officij per mensem, debet intelligi interpellatim etiam, & non continuè, non enim ad minus tenetur quantum ad restitutionem ille, qui in singulo mense, sine legitimo impedimento per duos dies ommisit recitare officium, ac ille qui per viginti quatuor continuos in vno anno.

11. Septima dubitatio, cui sit facienda restitutio fructuum ab eo, qui ex negligentia ommisit recitare officium? Respondeo quod restitutio facienda est Ecclesiæ in qua est titulus Beneficij, vel pauperibus.

12. Octaua dubitatio, vtrum si Beneficiatus ipse, qui ommissit recitare officium est pauper, possit retinere fructus, quos debet restituere ad suam sustentationem, vt si quis pauper, qui habet beneficium, & per vnum annum non recitauit officium propter prauam suam voluntatem, & colligit fructus beneficij, deinde pænitentia ductus accedit ad confessionem cum animo non amplius ommittendi officium, & audit à confessario quod præter pænitentiam iniunctam ab ipso confessario tenetur etiã restituere fructus beneficij, de hoc enim quæritur, an propter suam paupertatẽ possit sibi retinere partẽ illorũ fructuum. Ad hoc respondet Nau. in Man. cap. 25. num. 122. vbi & citat multos auctores in hanc sententiam, affirmatiuè,

tiuè, & ratio huius est quia cum quis tenetur dare aliquid pauperibus, qui tamen alias non sint determinati, potest sibi partem illius retinere si est pauper, & hoc est intelligendum, maxime de Consilio confessarij, vt ait Nauarrus ibidem.

13. Nona dubitatio vtrum ille, qui cum sit in peccato mortali recitat officium, dum est in illo teneatur ad restitutionem fructuum beneficij pro rata temporis in quo recitauit officium in peccato mortali?

Respondeo negatiue, quia talis saltem satisfecit obligationi recitandi officium, si tamen illud recitabat cum debita attentione.

14. Decima dubitatio vtrum ille, qui recitat officium sine debita attentione teneatur ad restitutionem fructuum beneficij? Respondeo affirmatiue, quia talis non satisfacit obligationi suæ de recitando officio, & eius signum est, quod ille qui sine debita attentione recitauit officium, tenetur illud iterum recitare, si nundum pertransijt dies illius officij.

15. Vndecima dubitatio vtrum ille, qui recitat officium alienum idest Romanum cum sit Ambrosianus, & in Ecclesia Mediolanensi habeat beneficium, teneatur restituere fructus beneficij pro rata temporis omissionis recitationis officij more Ambrosiano? Respondeo quod si talis non recitando officium Ambrosianum, sed Romanum non satisfecit obligationi suæ de recitando officio, tenetur restituere fructus pro rata temporis talis omissionis. An autem vnus satisfaciat obligationi recitandi officium, illud recitando per Breuiarium alterius Ecclesiæ; dicam in capitulo sequenti, sunt enim de hoc controuersiæ inter Doctores.

16. Duodecima dubitatio vtrum ille, qui ex aliqua legitima causa non recitat officium cum sit Beneficiatus teneatur restituere fructus pro rata temporis omissionis? Respondeo secundum communem Doctorum opinionem, quod si illa legitima causa est vexatio, & causa cur non recitetur officium tenetur restituere: si vero etiam cessante tali causa talis tamen non recitaret, tenetur restituere, vt si quis non recitat officium cum non habeat Breuiarium, qui etiam non recitaret, si haberet Breuiarium, etiam si carentia Breuiarij excuset à recitatione officij, eo modo quo dicatur, talis tamen non excusatur ab obligatione restituendi fructus, quia carentia Breuiarij non est vera ratio talis omissionis, vt si Canonicus est infirmus, itaut non possit sine notabili damno suæ vitæ ad chorum accedere, potest recipere distributiones, si non obstante talis infirmitate accederet ad chorum, secus si solitus erat non accedere quando erat sanus, & nunc si esset sanus non accederet.

17. Decima tertia dubitatio est vtrum Canonicus, qui dicit se esse infirmum cum vere non sit, & non vult interesse diuinis officijs cum alijs, & percipit distributiones quotidianas pro rata temporis, in quo finxit se esse infirmum, teneatur restituere dictas distributiones alijs Canonicis, an vero possit illas dare pauperibus, seu Ecclesiæ vbi est canonicus; videtur enim quod sint dandæ pauperibus, seu Ecclesiæ, in qua est Canonicus propter bullam Pij V. in qua præcipitur, vt fructus beneficij, qui restituendi sunt ob non recitatum officium sint dandi pauperibus, aut Ecclesiæ; sed Nauarrus & bene cap. 25. Man. nu. 24. dicit bullam Pij V. non esse intelligendam in simili casu, quantum ad id quod dicit de restitutione fructuum beneficij ob non recitatas horas Canonicas, quia illæ distributiones in prædicto casu de iure sunt Canonicorum, qui tali tempore interfuerunt diuinis officijs, ergo ab alio quam ab ipsis non possunt dari pauperibus, non enim dandæ sunt pauperibus ab illo, qui illorum non est verus Dominus, vel nullum debeat habere Dominum, vel incertum Dominum.

Sed dicendū est quidem cum Nauarro quantum ad casum propositum, quia distributiones quotidianæ, quas pro residentia in choro vnus iuste non

potest

poteſt, accreſcunt alijs Canonicis qui in choro reſident; Si vero talis Canonicus, qui fingit ſe eſſe infirmum, neque domi recitat officium, præter peccatum quod committit, & obligationem quã habet non recipiendi diſtributiones pro tali tempore, ſi canonicatus eius habet aliquos redditus, qui vocentur, vt nos dicere ſolemus corpus, illos pro rata temporis omiſſionis officij tenebitur reſtituere pauperibus, vel Eccleſiæ, quia tales non accreſcunt alijs Canonicis, niſi vbi eſt lex, aut conſuetudo vt tertia pars etiam corporis detur Canonicis ab eo, qui non reſidet, tunc enim tantum duæ tertiæ partes pro rata temporis officij omiſſi dandæ ſunt pauperibus, tertia vero pars danda eſt alijs Canonicis, imò etiam ſi non recitat officium, quando diu non recitat in aliquibus Eccleſijs eſt lex, vt tertia pars corporis detur Canonicis.

18. Decimaquarta dubitatio vtrum peccet ille, qui non recitat officium nõ exiſtens in ſacris, & habens animã dandi fructus eius beneficij pauperibus?

Reſpondeo affirmatiue, quia ille priuat Eccleſiam debito ſuffragio, dantur enim illi fructus tali beneficiaro, non vt illos det pauperibus, ſed vt dicat officium pro Sancta Eccleſia, quod ſi illud non dicit, priuat Eccleſiam illo ſuffragio, quod ab ipſo de iure expectatur. Vnde Pius V. in Extrauaganti ſupra citata dicit, quod ille beneficiatus, qui omiſit officium præter peccatum mortale, quod cõmittit, tenetur etiam reſtituere, & ideo non ſufficit reſtitutio fructuum, vt quis excuſet ſe à culpa, quæ prouenit ex non recitato officio, ſed etiam requiritur pænitentia peccati mortalis cõmiſſi.

19. Decimaquinta dubitatio vtrum ille, qui iniuſto titulo poſſidet beneficium teneatur dicere officium. Videtur enim, quod non poteſt facere fructus beneficij ſuos, neque eſt vere beneficiatus; ſed dicunt communiter Doctores, quod talis tenetur recitare officium, & reſtituere fructus, quoaduſque reſignet beneficium in manu ſuperioris, quia dũ ipſe fingit ſe verum titularem illius beneficij, ſi non recitaret officium priuaret Eccleſiam tanto ſuffragio, nam alius acciperet beneficium, qui diceret officium.

20. Decimaſexta dubitatio, an qui habet plura beneficia teneatur ad plura officia. Hanc quæſtionem tractat D. Thomas, & Maior in quarto ſententiarum, Nauarrus in lib. de Oratione, & communis opinio hoc modo diſtinguit, vel ille, qui habet plura beneficia, illa obtinuit, & poſſidet per legitimam diſpenſationem, vel non: ſi primũ, tenetur dicere officium tantum ſemel ſicut & alij qui habent vnum beneficiũ tantum, quia huic plura beneficia reputantur tanquam vnum: ſi vero ſecundo modo obtinuit illa per diſpenſationem quidem, quam illi iniuſtè, vel nulla legitima cauſa data fuit, talis tenetur dicere plura officia, quia propter pluritatem beneficiorum priuatur Eccleſia ſuffragio officiorum, quæ ab alijs recitarentur, ſi hic non haberet plura beneficia. Vnde talis primo peccat, quia nulla legitima cauſa obtinuit plura beneficia, quod eſt contra conſcientiam, & omnia iura, ſecundo non poteſt gaudere fructibus beneficiorum, quæ iniuſte poſſidet, ſed tenebitur illos dare pauperibus. Tertio peccat quia illa beneficia non renunciat. Quarto peccat quia tantum vnum recitat officium.

Et nota quod de primo dixi quòd ille, qui iuſta cauſa fuit diſpenſatus ad obtinenda plura beneficia, poteſt vnum tãtum recitare officium abſque peccato, quoaduſque durat talis cauſa, ſed ceſſante tali cauſa tenetur ſuperflua beneficia renũtiare, vnde ſi Papa diſpẽſauit legatũ ꝓpter impenſas legationis ad plura beneficia obtinẽda, ceſſante legatione, & non aduenięte ſimili cauſa, talis peccat non renunciando ſuperflua beneficia non dicendo plura officia, & non reſtituendo fructus.

21 Decimaſeptima dubitatio vtrum ille qui nullum titulum habet beneficij, ſed tantum penſionem teneatur recitare officium? Reſpondeo affirmatiuè, ſed nõ officium Domini, ſufficit enim vt talis recitet officium B. Virginis. Ita Pius V. in

in extrauag. cit. & si talis non recitat officium B. Virg. saltem, præter peccatum mortale, quod committit, tenetur ad restitutionem fructuum pensionis ad ratã temporis officij, ommissi, vt supra diximus de titulati.

22 Decimaoctaua dubitatio est vtrũ excommunicatus titularis teneatur recitare officium? Ad hec respondent Doctores affirmatiuè, quia excommunicatio, quæ semper inducitur propter culpã non debet eximere excommunicatum ab aliquo onere, non enim est æquum, vt reportet commodum ex re mala. Sylu. verbo hora Canonica dicit, quod excõmunicatus quando recitat officium non debet cum alijs recitare, sed solus, & quod non debet dicere Dominus vobiscum, ratio primi est quia excommunicatus est priuatus à participatione cõmertij cum alijs, maxime in Diuinis. Ratio secundi est, quia qui dicit Dominus vobiscum, representat personam publicã, & cum respondet, Et cum spiritu tuo, representat Ecclesiam sibi vnitam, excommunicatus vero est membrum præcisum ab Ecclesia.

Sed notandum est post Concilium Constantiense, quod etiam in diuinis nõ tenemur euitare excommunicatum nisi sit nominatim excommunicatus, aut publicus Clerici percussor, quare absq; peccato, & sine periculo excommunicationis minoris, potest quis cum excommunicato recitare officium, si nõ est nominatim excommunicatus, vel publicus Clerici percussor, nam ita determinatũ est in dicto Concilio Constantiensi sub Martino V.

23. Decimanona dubitatio est vtrum ille, qui hodie proponit non dicere officium crastina die, si cras non dicat officiũ, committat duo peccata mortalia, an vnum tantum; Aliqui dixerunt talem facere duo peccata mortalia, vnum cõmissionis, quod est propositum non dicendi officium, alterũ ommissionis quod est non recitare officium Syluest. in sum. verbo hora Canonica §. 16. dicit esse duo peccata mortalia, quia adueniente hora recitandi officium, ille, qui proponit non recitare officium tenetur se corrigere, & debet illum pœnitere propositi sui, quod si non facit, peccat de nouo; sed dicẽdũ est vnum tantum esse peccatum, secus sequeretur aliquem vna die durante semper proposito non recitandi officium peccare centies, vt si ego dicerem, recita officium mecum, & ipse diceret Nolo, & alius deinde diceret idem, & ipse idem responderet, & sic de multis; pari modo si ego proposui hodie non audire Missam die Dominico, quia intendo venationem tali die, & deinde in nemore inueniam Sacerdotem in aliqua Ecclesia volentem celebrare, committerem nouum peccatum mortale, si nollem audire Missam, & deinde inueniam centum Annachoretas volentes celebrare in tali nemore, & nollem audire Missam, centies peccarem, quod tamen est contra rationem, nam tantum feci contra vnum præceptum, quod est de audiendo Missam in die festo.

24 Vltima dubitatio vtrum ille, qui ommittit recitare horas Canonicas in vna die, committat septem peccata mortalia, an vero vnum tantum? Alij dixerunt illum committere vnum tantũ peccatum; quia ille, qui semel fregit ieiunium in die Ieiunij etiam si decies frangit idem Ieiunium, vnum tantum peccatum mortale committit.

Secundo alij dixerunt, quod facit septem peccata mortalia, & hoc est probabilius, quia horæ Canonicæ sunt distinctæ inter se, & qui omittit dicere tertiã, & Nonam, non committit medium peccatum mortale, neque partem peccati mortalis, neque vnum tantum peccatũ mortale, quia sunt duæ horæ Canonicæ constrictæ, Ieiunium vero est vna res continuata; sed quicquid sit de hac difficultate, & disputatione parum refert scire an sint septem peccata mortalia an vero tantum vnum, quia qui dicunt esse vnũ tantum, dicunt esse tale, vt æquiualeat septem, si septem essent peccata distincta.

25 Dico tertio principaliter, quod præter ordinatos in sacris, & beneficiatos, etiam religiosi professi teneantur recitare officium, quod vt melius intelligamus.

No-

Notandum est quod in religione possunt esse quatuor genera personarum, idest Nouitij non professi, Professi conuersi, Professi non deputati ad chorum, & professi deputati ad Chorum.

26. De nouitijs dicit Paludanus in quarto quod tenentur recitare horas Canonicas; Cōmunis opinio, quam refert Syluester in verbo hora Canonica contrarium dicit, & quidem nouitij nō sunt religiosi. Ratio Paludani est quia nouitij comedūnt panem pauperum, & benefactorum, & ideo videntur teneri ad horas Canonicas, sicut & alij. Ad hoc respōdent communiter Doctores, quod Nouitij non tenentur recompensare benefactoribus propter recitationem horarum Canonicarum, Sed per aliud quodlibet pium, vt est voluntas experiēdi, an possint fieri religiosi est actus bonus, & meritorius, & hic potest cedere in vtilitatem benefactorum.

De conuersis tenent communiter Doctores, quod non tenentur dicere horas Canonicas, & vt plurimum videmus aliquos illorum non cognoscere litteras; Paludanus tamen, Maior, & D. Antoninus dicunt, quod conuersi tenentur ad aliquas preces, puta ad orationes dominicas, & salutationes Angelicas, et alij ad orationes Dominicas; sed Sotus dicit, quod non, cum sint in religione nō vt dicant orationes, sed vt inseruiant dicentibus orationes, ideo potius debent incumbere seruitijs, quam orationibus, quia seruitium est illorum principale officium.

28. De professis alijs non deputatis ad Chorum dictum est illos non teneri ad horas Canonicas vt sunt Iesuitæ.

De Religiosis vero deputatis ad Chorum Caetanus censuit, quod neque lege, neque consuetudine tenentur ad recitandum horas Canonicas. Sotus 10. de iust. & iur. q. 5. non audet id determinare, sed potius inclinat ad dictum quod teneantur. Nauarrus in Manuali cap. 25. nu 93. apertè dicit quod teneātur, & ibi pro se citat Paludanum & D. Antoninum, sed quicquid sit ipsi videant.

29. Sed dices excusantur ne aliquando in sacris constituti, Beneficiati, aut Religiosi à recitatione diuini officij, ita vt non peccēt propter ommissionēm talis recitationis? Respondeo affirmatiue propter nonnullas legitimas causas.

Quarum prima est quando quis sine propria culpa caret Breuiario, vt si quis esset in regionibus Turcarum, non posset habere Breuiarium, similiter si quis esset in carcere, nec haberet Breuiariū, nec esset qui vellet illud dare.

Secunda causa est, quando quis est cæcus, vel habet oculos caliginosos, ita vt nō possit legere, aut caret lingua, ita vt nō possit articulationem facere, aut manibus, itaut non possit vertere folia, his enim causis cum impossibile sit recitare officium, excusantur tales.

30. Dices cæcus, vel non habens Breuiarium teneturne, si memoriter potest recitare officium, illud recitare? Respondeo quod nullus est tam tenacis memoriæ, qui integrum officium singulis diebus possit recitare sine libro, si cæcus est.

Dico secundo quod si talis aliquam partem potest solus sine libro recitare, si pars illa est notabilis, vt hora integra, aut fere integra, vt prima, aut completorium talis tenetur illam partem recitare, si vero illa pars est minima, vel parua, quam potest memoria recitare, non tenetur illam recitare, ita Nauarrus in libro de Oratione. Sotus autem in lib. 10. de iustitia, & iure. qu. 5. ar. 3. dixit quod qui non habet Breuiarium, vel est cæcus, etiam si sciat maximam partem officij, & potest illam recitare sine libro, non tenetur illam recitare, quia memoriæ tenacitas est accidentalis.

Sed dicendum est, vt nos diximus.

31. Dices si cæcus, aut carēs Breuiario posset recitare officiū cū socio, tenetur ne illud recitare cum socio? Ad hoc respondent omnes Doctores affirmatiuè, si socius potest commode haberi, aut cum illo potest officium commode recitare, immo ait Nauarrus quod si haberet pingue beneficium, teneretur conducere socium, cum quo posset dicere officium,

cium, intellige quod teneretur alere Clericum, qui cum illo recitaret officium.

32. Octaua causa est occupatio in aliquo necessario negotio quæ occupatio secum non patitur recitationem officij, vel si quis sacerdos tempore pestis assidue deberet audire confessiones infirmorum, vel alio modo deberet esse circa infirmos occupatus, aut incumberet quieti populi, qui aliquam seditionem mouisset, & sic de similibus.

33. Quarta caussa est notabilis infirmitas, quæ augeatur propter recitationem officij, & iuditium infirmitatis an sit talis quæ augeatur per recitationem officij, potest esse pænes ipsum infirmũ si infirmus per experientiam id cognouerit, si vero dubium est, vtrum recitatio officij allatura sit nocumentum infirmo, dicit Sotus lib. 10. de iustitia & iure qu. 5. ar. 4. quod iudicium debet esse Medici pij, aut prudentis confessarij, & aliquando bonum est vt intercedat auctoritas Prælati, si commode id fieri potest, vt dicitur de ieiunio, sed legite de hoc Nauarrum in Man cap. 25. nu. 10. vbi & dicit non esse extimandum quamlibet infirmitatem excusare ab obligatione recitandi officium, vt si esset febris quartana.

34. Vltima caussa est perpetua dispensatio summi Pontificis; sed de hoc supra diximus.

CAPVT TERTIVM.

Quid recitandum sit pro horis Canonicis.

1 *Varij modi recitandi horas Canonicas.*

2 *Ratio recitandi officij diuini.*

3 *Quale officium teneatur quilibet recitare, vt præcepto satisfaciat.*

4 *Opinio Caetani, Soti, Nauarri, summa Angelica.*

5 *Variare officium pro libito, an sit peccatum mortale.*

6 *Priuilegium familiarium Cardinalium circa recitationem officij.*

7 *Determinatio Pij V. circa qualitatem officij recitandi.*

8 *Variare officium num liceat ex causa.*

9 *Num liceat aliquando sine causa.*

10 *Ordinatus ad titulum patrimonij quas horas Canonicas teneatur recitare.*

11 *Quid de Ambrosiano habente beneficium in Ecclesia Romana.*

12 *Num vrgeat præceptum aliquando recitandi officium B. Virginis, Litanias, & pro mortuis.*

13 *Litaniæ quomodo cum officio copulentur.*

14 *Officium diuinum num integrè recitandum.*

15 *Cum socio recitans an satisfaciat præcepto.*

16 *Modus recitandi horas Canonicas in choro.*
17 *Ordo horarum Canonicarum, an sit de præcepto.*

1 NOtandum est primo in hoc capite, quod non omnes qui recitãt officium, idem recitant pro horis Canonicis. Nam aliud recitant Mediolanenses, aliud Romani, aliud Religiosi D.Dominici, aliud D.Benedicti.

Rursus in eadem Diocæsi, seu Ecclesia, aut religione aliud officium dicitur pro horis Canonicis vna die, aliud alia die.

2. Notandum secundo est quod vnusquisque debet pro horis Canonicis singulo die, si est secularis religiosus, dicere id quod dicitur in sua Cathedrali Ecclesia, nisi sit aliqua particularis consuetudo, vt Modoetiæ, si vero est religiosus Claustralis, debet pro horis Canonicis recitare id, quod in suo ordine recitari solet.

3. Sed dices primo, teneturne sub pæna peccati mortalis Ambrosianus recitare officium Ambrosianum, an vero potest satisfacere obligationi suæ, si recitat Romanum, vel è conuerso si Romanus recitet Ambrosianum.

Rursus si in Ecclesia Cathedrali sit de feria, vel ita est in Calendario, potest ne quis satisfacere obligationi recitando officium de sancto, vel è contra.

Ad hoc respondet Caetanus in summa verbo hora Canonica, quod variare officium non est peccatum mortale, puta dicendo de feria, cum fit de sancto, vel è contra, vel recitando Romanum si recitaturus sit Ambrosianus, vel recitando officium Sanctæ Iustinæ &c. dicit tamen esse veniale variare officium pro libito, non autem mortale modo recitentur septem horæ Canonicæ; & ratio huius est, quia præceptum est de recitandis horis Canonicis, non autem de illis; Sotus lib. citato qu. 5. non audet dãnare sententiã Caetani, sed dicit quod circa hoc non sunt laxãdæ habenæ, sicut fecit Caetanus, immo ait Sotus benefacerent Prælati, & Religiosorum superiores, si cogerent suos subditos ad recitandum horas Canonicas iuxta morem Ecclesiæ vniuscuiusque; Nauarrus dicit esse peccatum mortale variare officiũ pro libito eo modo quo diximus, idest recitando de feria, cum debet fieri de sanctis, vel si Ambrosianus recitet officiũ Romanũ & è contra. Summa Angelica, & Directorium dicunt illũ, qui est ordinatus ad titulũ patrimonij, posse recitare horas Canonicas secundum Breuiarium, quod illi placuerit.

5. Pro solutione quæstionum propositarum, ego in hac opinionũ varietate, dico primo esse peccatum mortale sępe pro suo libito sine legitima causa variare officium, dicendo de feria cum de sanctis fieri debet, vel more Romano cum sit Ambrosianus ille, qui recitat officiũ, vel in loco habitat, vbi celebratur more Ambrosiano, vel habet beneficiũ in Ecclesia Romana, & hoc probatur.

Primo quia in capitulo de his d.12. præcipitur omnibus Clericis, vt in recitatione officij conforment se suo Episcopo, & proponitur ibidem pæna suspensionis sex mensium Clericis, qui aliter recitauerint officium, ac recitauerit eorum Episcopus.

6. Secundo probatur quia Clemens Papa, vt habetur de celebratione Missarum, concedit omnibus familiaribus Cardinalium, vt possint recitare idem officium, & eo modo quo recitat eorũ Cardinalis; & ratio est, quia sæpe illis contingit recitare officium simul cũ Cardinali, ex hoc enim habetur non licere cuilibet variare officium absque causa.

7. Tertio probatur, quia Pius V. in sua bulla præcipit cõmuniter Clericis Sæcularibus, & Religiosis vt pro horis Can. recitent eas, quæ signãtur in Breuiario Rom. correcto, & impresso in suis tẽporibus, nisi habeant Breuiarium particulare in sua ecclesia, quod fuerit ante ducentos annos, & hucusque durauerit.

Item in dicta Bulla concedit illis qui habent Breuiarium, quod fuerit etiam ante ducentos annos, vt possint recitare Roma-

Romanum tunc impressum relicto suo, si tam ita determinatū fuerit ab Episcopo ipsorum de consensu capituli. Atque ex hoc habetur, quod non licet cui libet particulari variare officium, & ita intelligendus est Nauartus, quando dicit esse peccatum mortale variare officium, intelligendus enim est de eo, qui sæpe id facit sine legitima causa.

8. Dico secundo, quod aliqua de causa rationabili officium variare non est peccatū etiā si id sæpe fiat, vt si quis haberet Breuiarium Romanum, nec cōmode posset habere aliud, etiamsi esset Mediolanēsis, vel beneficiatus Mediolani, satisfaceret recitando more Romano.

Similiter si talis habitaret cum Prælato Ecclesiæ Romanæ, & cum illo solet recitare horas Canonicas, nec iterum tenetur recitare officium solus more Ambrosiano.

Similiter si die Sācti Thomæ Apostoli, in quo communiter fit de exceptato, Canonici Sancti Thomæ in sua Ecclesia recitant officium Sancti Thomæ.

Similiter, & si qui sunt qui intersint tali solemnitati in tali Ecclesia satisfaciunt recitādo tale officium Sācti Thomæ, nec tenētur seorsim deinde dicere de exceptato; & ratio huius est, quia variare officium aliqua legitima causa non est contra intentionem legislatoris.

9. Dico tertio, quod raro etiam sine causa variare officium non est peccatū mortale; & ita intelligendus est Caetanus, cuius opinionem sequitur D. Antoninus, & Maior; & ratio huius est quia si raro fiat parum deuiamus à mente legislatoris, & ideo non erit plusquam veniale peccatum, & ita intelligendus est Sotus cum dicit non esse laxandas habenas, prout laxauit Caetanus.

10. Dico vltimo nō esse verū id quod dicit Directorium & Sūma Angelica, q̄ ordinatus ad titulum Patrimonij possit sine periculo peccati pro suo libito variare officium, nā ordinatus ad titulū Patrimonij tenetur seruare leges synodales, obedire Episcopo, & obseruare cōsuetudines cōes clericorū saltē, quæ nō cōcernunt beneficiatos particulariter.

11. Dices, si quis haberet Beneficium Papiæ, & esset Mediolanensis quod officium tenetur dicere?

Respondeo Romanum, sed si haberet duo beneficia vnū Mediolani, & Papiæ alterū teneretur, vt cōmuniter dicunt DD. recitare officium illius Ecclesiæ in qua habet dignius Beneficium; si vero beneficia essēt paria, posset dicere quod libet officium ex his, quæ dicuntur in Ecclesijs in quibus habet Beneficia.

12. Dices secundò, vtrum illi qui sūt in sacris, Beneficiati, aut Religiosi, teneantur aliquādo recitare officium pro mortuis, vel Beatissimæ Virginis, & Litanias.

De officio B. Virginis quicquid sit apud Religiosos Monacos, vel alias Ecclesias, dico quod in nostra Mediolanensi Ecclesia cōmuniter officium B. Virg. non est in præcepto.

De officio mortuorū, ego dico quod in nostra Mediolanensi Ecclesia qui sūt in sacris, & beneficiati in die Anniuersario omnium Fidelium defunctorum, qui est secundus Nouembris, tenentur dicere totum officiū defunctorum, quod constat nouem lectionibus, nouem Psalmis, & Laudibus.

In diebus ferialibus Quadragesimæ tenentur recitare vnum Nocturnum, prout signatum in Breuiario cum Laudibus vsque ad vltimam hebdomadam exclusiuè, in alijs dictis diebus ferialibus tenentur tantum recitare laudes, exceptis ferijs à die iouis sancto vsque ad Pentecostem, & si fit de feria, in vesperis dicuntur vesperæ defunctorum, exceptis diebus Sabbati, & diebus ferialibus dictis die iouis Sancto, vsque ad Pentecostem, & hæc omnia notantur in breuiario.

13. De Litanijs vero dico quod in nostra Ecclesia tenemur recitare Litanias quarta, & sexta feria Quadragesimæ ante vltimam hebdomadam, in singulis hebdomadis, & in tribus diebus de exceptato ante festum Natiuitatis Domini, prout notatur in Breuiario.

Quod si dicas, tenemurne recitare offi-

officium defunctorum statim post matutinum Domini, quando est recitandū, & vesperas mortuorum statim post vesperas Domini, & Litanias statim post terriam? Respondeo quod non, licet conueniens esset, quia non dicunt necessariam connexionem hæc inter se, & licet deberent recitari Litaniæ post tertiam vbi publice recitatur officium, quia tunc antiquitus propter horæ commeditatem erat in ecclesia frequentior populus; priuatim tamen quilibet potest separare ab hora tertia Litanias sine periculo peccati mortalis, idem de matutino dico, & de vesperis mortuorum, quando dici debet.

14. Dices tertio, vtrum sit peccatum mortale non recitare integrum officiū? Respondeo quod ille, qui aduertenter sponte, aut ex negligentia crassa, vel sine vlla legitima causa ommittit partē notabilem officij cum animo non amplius eam recitandi in illa die, peccat mortaliter, pars autem notabilis est veluti psalmus integer, aut totus hymnus, & si aliquis ex inaduertentia, obliuione, aut aliqua legitima causa ommittit etiā aliquam partem notabilem officij non peccat mortaliter; neque si partem paruam, etiam aduertenter omittat puta duos vel tres versus psalmi propter paruitatem rei, nisi id faceret ex contemptu.

15. Dices quarto, an possit quis cum sotio recitare officium? Respondeo affirmatiue, quia sic est vsus, modo sotius non sit surdus, quia cum quis recitat officium debet illum audire, nec sufficit audire murmur in confuso, sed tenetur sētire distinctè verba, & ille qui recitat debet & tenetur distincte dicere verba non deglutiendo illa, si tamen recitat solus, modo verba proferat non tenetur seipsum sentire.

16. Dices quinto vtrum qui in choro recitat officium cum alijs posset suam partem summissa voce dicere, aliam audiendo? Respondeo communiter secundum Doctores quod non, quia si quis vult satisfacere in choro tenetur esse particeps chori, est autem particeps chori, si faciat quod alij faciunt. Et hic aduertendus est error Caetani in summa dicentis, quod primo Canonici in choro melius faciunt meditando, quod inferiores dicunt quam recitando, tales enim bulla Pij V. damnat, & dicit eos non satisfacere præcepto de recitandis horis Canonicis, & teneri ad restitutionem fructuum beneficij.

17. Dices sexto vtrum ordo horarū Canonicarum sit in præcepto, idest vt quis dicat Matutinum ante primam. Respondeo secundum communem Doctorum opinionem quod non, variare tamen ordinem absque vlla causa est veniale, quare si Canonicus non vadit in chorum tempore Matutini, sed quando canitur prima, potest cum alijs canere primam, & deinde solus dicere Matutinum, & postea solus, vel cum alijs dicere tertiam.

Similiter potest quis in gratiam alicuius Sotij cum illo dicere sextam, & nonam, & postea poterit solus dicere Matutinum, primam, & tertiam, & vesperas non repetita sexta & nona. Atque hæc de hoc capite dicta sufficiant.

†

CAPVT

CAPUT QUARTUM.

De tempore in quo persoluendæ sunt horæ Canonicæ.

1 *Tempus congruum horis Canonicis recitandis.*
2 *Tempus necessarium in rigore iuris, vt satisfiat præcepto horarum recitandarum.*
3 *De hora, qua potest anticipari matutinum in vesperis antecedentibus.*
4 *An possit celebrari Missa ante matutinum.*

1 IN hoc capite. Dico primo quod si volumus loqui regulariter secundum omnimodam congruitatem, quantum ad tempus persoluendi horas Canonicas, Matutinum deberet recitari noctu, nam licet dicatur Matutinum in eo, tamen sunt nocturna, quæ dicuntur nocturna quia noctu recitari debent, reliquę vero horæ recitandæ sunt eo tempore, & ea hora quæ significantur per nomina earum, idest hora prima prima, hora tertia tertia, & sic de reliquis.

2. Dico secundo, quod de rigore iuris ad euitandum peccatum mortale, tempus recitandi horas Canonicas est à vespera præcedentis diei ad dimidiũ noctis sequentis, vt dicunt omnes Doctores; ita tamen, vt matutinum tantũ possit recitari in vesperis diei antecedentis, reliquæ vero horæ possunt recitari post mediam noctem vsque ad dimidium alterius sequentis noctis; quare modo dicatur officium intra dictum tempus, anticipare, aut postponere horas pro suo legitimo tempore, quod vocatur eorum vocabulo non est peccatum mortale, etiam si fiat sine causa, veniale tamen est sine causa multum anticipare, aut postponere, vt si quis vel let dicere vesperas, vel completoriũ mane, aut à prandio primam, tertiam, & sextam, & ita dicunt omnes Doctores, melius est tamen anticipare, seu minus peccatum, quam postponere, quia qui non dicit officium suis horis congruis, sed illud postponit aliquando, inquit Sotus lib. 10 de iustitia, & iure quæst. 5. protrahit recitationem officij vsque ad tardam horam, in qua cogitur quodam modo deinde propter multitudinem horarum quas recitare debet, illas recitare potius murmurando, quam orando, & hoc experientia docet.

Hæc autem intelligenda sunt de his qui debent recitare officium priuatim, nam illi qui in ecclesia collegiata collegiate tenentur recitare officium, debent se conformare consueto laudabili illius Ecclesiæ, in qua recitandum est officium, alioquin qui multũ ab hora regulari discedere vellet, peccatet mortaliter, saltem Prælati, qui id prohibere possent, & nollent, vt si primam recitare vellent post prandium in Ecclesia, vel Completorium mane, non tamen tenentur tales regulariter punctatim suis horis dicere officium, alioquin non possent statim post tertiam dicere sextam, & post sextam canere nonam, vel post vesperas canere Completorium.

Sed dices possuntne horæ Canonicę postponi Missæ, idest tenenturne quis prius dicere Matutinum, antequam celebret Missam absque periculo peccati mortalis? Ad hoc responsum est fusè, vbi egimus de Sacramento Eucharistiæ.

3. Dices secundo, qua hora possit dici Matutinum, quando quis vult illud recitare in vesperis antecedentibus? Respondeo quod aliqui Doctores dicunt, quod in hyemè post occasum solis in æstate vero post vigesimam secundam

dam horam.

4. Ego vero dico quod vesperæ, in quibus potest dici Matutinum sequentis diei, est vltima quarta pars diei, quare quando dies est breuis, vt in hyeme quando mensuratur spatio octo horarum, potest recitari matutinum post vigesimam secundam horam. In Æstate vero quando mensuratur spatio sexdecim horarum, poterit recitari post vigesimam horam. Atque hæc de hoc capite dicta sufficiant.

CAPVT QVINTVM.

De loco in quo persoluendę sunt horę canonicæ.

1 *An sit determinatus locus recitandis horis Canonicis.*
2 *Quid si recitentur Collegiatim.*
3 *Tenuitas redditnum an excuset à recitatione.*
4 *Canonicus qualiter peccet non recitando horas Canonicas.*

1 IN hoc capite. Dico primò quod secundum communem Doctorum opinionem, si loquamur de horis Canonicis, quæ priuatim recitari solēt, non est determinatus locus de præcepto, sed in quolibet loco poterunt recitari. Bonum tamen esset inquit Sotus lib. 10. de iustitia & iure qu. prima art. quarto, vt vnusquisque pro modo possibilitatis suæ, qui priuatim horas Canonicas recitare tenetur, habeat aliquod oratorium, in quo saltem vt plurimum quando potest eas recitet, seu saltem se recipiat in aliquem locum domus, qui sit remotus à perturbatione; nam recitare horas Canonicas deambulando non est honestum, immo est periculosum maximè in via publica; vt aliqui aliquando faciunt, cum propter attentionem, quia facile est, vt qui passim multa videt, & audit, ad illa, & non ad officium mentem diuertat. Deinde propter deuotionem. Tertio propter honestatem, non enim aliquis, tam deuote, & honeste in via publica, aut deambulando potest recitare officium, sicut faceret reclusus in aliquo remoto loco.

2. Dico secundo, quod quantum ad horas Canonicas, quæ collegiatim recitari debent, dictum est eas esse recitandas in Ecclesia, quia ecclesiæ ad hoc fabricatæ sunt, vt in illis publice fiant orationes, quod si propter aliquam vrgentem causam publicæ preces non fiāt in Ecclesia, vt propter magnum frigus in Ecclesia, quæ nunc fabricatur, debent recitari in sacrario, & melius in alia proximiori Ecclesia, & si neque potest fieri, debent recitari in aliquo honestiori loco.

3. Dices primo, quando Canonicorū tenues sunt redditus, teneonturne ipsi omnes horas Canonicas recitare in Ecclesia, maxime si fundatio ipsorum Canonicatuum id exquirat? Respondeo secundum Caetanum in summa, quod nō tenentur Canonici oēs horas Canonicas collegiatim recitare in choro, si redditus essent nimis tenues, sed aliquas tātum horas pro determinatione Prælati.

4. Dices secūdo, vtrū Canonicus, qui habet sufficientes redditus peccet mortaliter non residendo cum possit residere? Ad hoc respondet Caetanus in summa, quod si propter absentiā illius Canonici Ecclesia in diuinis officijs non patitur detrimentum, quia in illa forsitan sunt plures alij Canonici, talis peccat quidem grauiter, non tamen mortaliter, si priuatim dicat officium; contrarium dicit Nauarrus in suis consilijs, in eis enim dicit, quod Canonicus sine legitima causa non residens peccat mortaliter; & probatur primo quia qu. 92.

capi-

capitulo vltimo habetur quod illi, qui collegiatim non resident, sunt remouendi à consortio clericorum, sed hæc pœna non infligitur, nisi propter grauem culpam. Secundo quia Con Trid. priuat eos, qui diu non resident sine legitima causa beneficijs, quæ priuatio non solet infligi, nisi propter notabilē culpam. Opinio Caetani posset iudicari vera forsitan, quantum ad illos qui aliquando, sed raro non resident.

CAPVT VLTIMVM.

De modo recitandi officium diuinum.

1 *Attentio qualiter necessaria in recitatione officij diuini.*
2 *Attentio duplex, alia virtualis, alia actualis.*
3 *Qualis attentio requiratur in recitatione officij diuini.*
4 *Attentio actualis non est necessaria simpliciter.*
5 *Attentio virtualis necessario requiritur.*
6 *Possitne quis simul audire Missam, & recitare officium.*
7 *Orans sine obligatione, an peccet mortaliter non attendendo.*
8 *Obligatus ex præcepto Confessarij ad dicendum officium, vel ex voto, an teneatur adhibere attentionem.*

1 IN hoc capite tantum quæritur vtrū attentio sit simpliciter necessaria ad recitandas horas Canonicas, itaut si desit, non satisfaciat obligationi, quam quis habet eas recitandi; & de attentione tantum loquor, quia hæc principaliter pertinet ad modum recitandi officium, reliqua vero, quæ ad modum recitandi officium pertinere possunt, vt genuflexiæ, & alio corporis ceremoniæ, non ita pertinent ad horas Canonicas, vt sine illis non possit satisfieri obligationi recitandi officium. Vt autem satisfaciam quæsito.

Notandum est ex Aristotile in quinto Methaphisicæ, quod dupliciter aliquis potest dici necessarium, vno modo simpliciter, vt cibus est necessarius ad vitam sustentandam; alio modo secundū quid, vt equus est necessarius ad faciendum iter.

2. Notandum est secundo, ex D. Th. 2.2. qu 82. ar. 53. quod duplex est attentio, alia actualis, alia virtualis, attentio actualis est illa secundum quam quis actu attendit ad orationem, quam facit.

Attentio virtualis est illa, quam quis habet, cum quando orat, etiam si non attendat ad orationem actualiter, sed mente vagetur ad alia, modo hæc mentis vagatio non fiat sponte, & ad habendam hanc intentionem in recitatione officij sufficit, vt ille qui vult recitare horas Canonicas, in principio recitationis implicite, vel explicite habeat animum recitandi officium cū attentione, & deinde in decursu recitationis nunquam sponte mutet talem animum, etiam si mente vagatur ad alia consideranda.

Notandum est tertio ex Caet. in Cōmentarijs supra D. Thomam artic. citato, & ex Soto lib. 10. de iustitia & iure quæst. 5. articulo vltimo, quod attentio virtualis potest interrumpi, seu tolli duobus modis, idest vel per actum formaliter contrarium, vt cum quis cum animo attendendi incipit recitare officium, & deinde non vult sponte attendere ad recitationem officij, sed ad alia, postquam debita attentione cœperit recitare officium, vult incumbere, quæ non compatiuntur attentionem ad horas Cano-

Canonicis, vt si quis postquam cæpit recitare officium vellet scribere litteras ad aliquem, secus si vellet vestire se, quia vestire se de sua natura non tollit omnino attentionem officij.

Notandum est vltimo, quod attentio sufficiens pro recitatione officij est si versetur circa vnum ex tribus, vt ait D. Thomas, & Sotus locis supra citatis, vel circa verba, vel circa sensum verborũ, vel circa obiectum orationis; obiectum autem duplex est, vel gratia quæ requiritur à Deo per officium, vel Deus ipse, cui dirigitur officium, gratia vero est vita æterna, gratia grati faciens caritas, fides, spes.

3. Dico primo quod attentio actualis, vel virtualis est simpliciter necessaria ad orationem, vt sit meritoria, & satisfactoria, & vt quis satisfaciat obligationi recitandi horas Canonicas.

Probatur primo quia Ioannis quarto, ait Dominus, quod cum Deus sit spiritus, oportet, vt qui illum adorare volunt, in spiritu, & in veritate adorent, in spiritu autem adorare est attente, & deuote orare.

Probatur secundo, oratio est mentis in Deum eleuatio, eleuatio autem mentis in Deum non potest esse sine attentione.

Probatur tertio quia qui sine attentione orat, Deum potius ad iracũdiam, quam ad misericordiam flectit, ait D. Basilius in sermone de vita perfecta, vbi dat exemplum, quod si quis coram Principe peteret gratiam, si non attenderet, vel ad Principem, vel ad gratiam, quã petit, vel ad verba, quæ dicit, talis non modo non flecteret Principem ad Misericordiam, sed ad iracundiam, multo magis, ait D. Basilius, quando quis sine attentione Deum orat id euenire solet.

Probatur quarto, quia Innocentius tertius capitulo dolentes, de celebratione Missarum, sub præcepto sanctæ obedientiæ præcipit, vt omnes qui horas Canonicas recitare tenentur, Diurnum pariter, & nocturnum officium studiose, & deuote illud recitent in quantum Deus dederit.

4. Dico secundo, attentionem actualem non esse necessariam simpliciter pro toto tempore in quo recitatur officium, ita D. Thomas 2. 2. qu. 83. art. 13. ita Caetanus ibidem, & Sotus supra; & probatur quia habere talem attentionem, idest actualem pro toto tempore, in quo recitatur officium non est possibile, ait D. Thomas loco citato, corpus enim quod grauat mentem, non patitur vt mens diu sit applicata diuinis, & spiritualibus rebus, sed eam ad inferiora reprimit propter fomitem peccati.

Probatur secundo quia ad ministranda Sacramenta, quæ maiora sunt, quam sit recitatio officij sufficit attentio; imo & attentio ipsa virtualis, ergo & multo magis sufficiet ad digne recitandum officium.

Probatur tertio, quia Innocentius tertius capitulo dolentes citato de celebratione Missarum, non dicit absolute, vt deuote, & studiose recitemus officium, sed dicit inquantum Deus dederit, quasi sufficiat attentio virtualis.

Dico tertio quod attentio actualis est necessaria ad bene esse, idest quod maxime conducit eam habere, quia est magis meritoria, & satisfactoria, & multo maiorem inducit deuotionem, & de hoc non est ambiguum.

5. Dico quarto, quod quando non est attentio actualis, necessario requiritur virtualis, alioquin non sufficiet obligationi recitandi officium, & hoc probatur ex quatuor rationibus allatis in primo dicto, & ex communi Doctorum opinione; nam ita dicunt D. Thomas Sotus, Caetanus locis citatis & alij Doctores.

Sed dices, illæ quatuor rationes vidẽtur probare attentionem esse actualem, ergo non sufficiet virtualis. Respondeo ex D. Thoma ad illud Christi Domini Ioannis quarto, oportet ex veritate adorare, Respondet quod ille adorat in spiritu, & veritate, qui instinctu Spiritus sancti adorat, etiamsi per totũ tempus orationis non sit actualis attentio.

Ad secundam rationem, quæ est quod oratio

oratio est mentis in Deum eleuatio. Respondet Diuus Thomas, quod ista eleuatio mentis in Deum non necessario debet durare per ipsa totū tēpus orationis actualiter, quia idem impossibile corruptæ nostræ naturæ, sed sufficit si sit virtualiter.

Ad tertiam rationem D. Basilij. Respondet D Thomas, quod intelligendus est D. Basilius de eo, qui voluntariè non attendit, seu ex negligentia crassa, quæ est voluntaria, vt cum quis voluntariè vult esse negligens in attendendo.

Ad quartam rationem Innocentij tertij respondi potest quod Innocentius addit, inquantum Deus dederit, idest inquantum humana nostra, & fragilis natura patitur, & prout sufficit in alijs moralibus actionibus.

Ex his infertur primo, quod etiam si quis longum tempus, dum recitat officium, vagetur mente ad ea, quæ nō pertinent ad officium, modo id sponte non faciat sufficit obligationi suæ, quia attentio prima virtute durat, licet non actu

Infertur secundo, quod si quis aduertenter faciat aliquod opus ad quod requiratur talis attentio, quæ omnino nō compatiatur attentionem ad officium, non satisfacit tunc recitando officium, vt si quis pingendo, scribendo, legendo alium librum simul vellet recitare officium.

Infertur tertio, quod si quis recitando officium exerceret aliquod opus, quod non abstraheret mentem ab officio de sua natura, satisfaceret, vt si deambulando, aut vestiendo se officium recitat, quia hæc non requirunt tantam attentionem, quæ non possit esse simul cum attentione recitandi officium. Sed hic sunt dubitationes.

6. Primo vtrum quis possit satisfacere obligationi recitandi officium, & audiendi Missam eodem tempore; & ad hoc respondetur in expositione tertij præcepti Decalogi, vbi de audienda Missa.

7. Secunda dubitatio vtrum ille, qui sponte orat, idest sine obligatione peccet mortaliter non attendendo? Ad hoc dico primo cum Caetano, & Soto supra quod errat maxime ille, qui vult orare, & non attendere, etiam si non teneatur orare, quia quando quis non tenetur aliquid facere, licet non peccet illud non faciendo, peccabit tamen illud faciendo aliter quam fieri deberet. Vt licet non teneatur Medicus mederi infirmis, quia sunt alij Medici, & ipse non est ad hoc deputatus, tamen si vellet mederi, tenetur bene mederi. Ita licet quis non teneatur orare, si tamen vult orare, debet orare modo debito; dicunt tamen dicti Doctores, quod cessante contemptu talis peccaret venialiter, & oratio non esset meritoria, non autem mortaliter; si vero adesset contemptus, esset peccatum mortale; Rursus dicunt quod etiam sine peccato veniali posset quis cantare Psalmos, vel aliam deprecationem, non attendendo actu neque virtute, non tamen eam cantando per modum orationis, nam si opifices dum opus suū faciunt possunt cantare cantilenas, ita & possunt Psalmos, & alias orationes.

Tertia dubitatio, vtrum ille, qui tenetur ex voto, vel præcepto confessarij recitare officium teneatur adhibere attentionem. Respondeo affirmatiuè sub pœna peccati mortalis, & si orat sine attentione actuali, vel virtuali, tenetur illud repetere; & si sine tali attentione recitat officium, peccat mortaliter non habens propositum illud repetendi. Atque hæc de horis Canonicis dicta sufficiant.

Finis Tractatus de horis Canonicis.

CAPVT PRIMVM.

De Irregularitate secundum se.

1 *Irregularitas vnde dicta.*
2 *Quid sit irregularitas.*
3 *In dubio an aliquis sit iudicandus irregularis.*
4 *Irregularitas an contrahatur, quãdo crimen est occultum.*
5 *Cessante causa irregularitatis, an cesset ipsa irregularitas.*
6 *Irregularitatis quot sint species.*

1 IN hoc capite primo quæritur, vnde dicatur irregularitas. Respondeo quod irregularitas dicitur quasi à regula deuiatio. Irregularis enim dicitur ille, qui est sine regula, vt dicit Isidorus libro sexto Ethymologiarum cap. decimosexto. Ille enim, qui habet aliquas conditiones, ob quas ab aliquo canone prohibetur promoueri ad ordines, seu exercere ordinem in quo promotus est, dicitur irregularis, quia canon Græcè est idem ac regula latinè.

2. Secundo quæritur quid sit irregularitas. Respondeo quod irregularitas est impedimentũ Canonicum, quo quis ad Ecclesiasticos ordines promoueri, vel promotus in eis ministrare prohibetur; & hæc definitio admittitur à Canonistis, & Summistis.

Circa quam deffinitionem. Notandum est primo quod irregularitas dicitur impedimentum, & non pœna aut censura, quia pœna in rigore denotat præcisiuè culpam, vt dicit D. Augustinus in primo lib. retractationum capite nono, & D. Thomas prima 2. q. 87. art. 1. Censura vero non est aliud, quam certa pœna Ecclesiastica pro delicto imposita, quæ pœna vel est excommunicatio, vel suspensio, vel interdictum, ista enim dicuntur censuræ, quæ sunt pœnæ, quæ nõ imponuntur, nisi propter delictum; irregularitas vero sæpissimè sine vlla culpa contrahitur, vt infra apparebit ex enumeratione, & declaratione specierum irregularitatis. Atque hinc constat, quod si ex aliqua bulla, puta Iubilei alicui conceditur facultas absoluendi, vel dispensandi in censuris, non propter hoc poterit dispensare in irregularitate, nisi etiam in ipsa Bulla fiat mentio de dispensatione in irregularitate.

Notandum est secundo circá dictam definitionem, quod irregularitas dicitur impedimentum Canonicum, quia est inducta tantum Iure canonico, vt bene notat Nauarrus in Manuali cap. 27. num. 191. quare fœmina non potest dici irregularis, quia non impeditur à susceptione ordinum de iure Canonico tantum, sed de Iure Diuino; ex quo fit, quod si Episcopus tentauerit ordinare aliquẽ irregularem, etiam absque vlla dispensatione, ordinatio tenebit, licet non sine magno peccato Episcopi; & si tentauerit ordinare fœminam, ordinatio non tenebit, quia fœmina de iure Diuino ab ordinibus arcetur, irregularis vero tantum de iure Ecclesiastico, vnde irregularis habet præceptum non recipiendi

ordines, sed si hos recepit, factum tenet; multa enim fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent.

Notandum est tertio circa prædictam deffinitionem, quod irregularitas est impedimentum, vt in eadem deffinitione dicitur, quo quis impeditur à promotione ordinum Ecclesiasticorum, de quibus supra diximus, si dictos ordines non habet; & si illos habet, impeditur ab illorum exequutione, quare irregularitas plus dicit quam suspensio, nam omnis irregularis est suspensus, sed non è conuerso omnis suspensus est irregularis: suspensus enim tantum impeditur ab exequutione ordinum, irregularis vero impeditur etiam à promotione ad ordines quos non habet.

3. Tertio quæritur vtrum in dubio aliquis sit iudicandus irregularis. Ad hoc Respondeo secundum opinionem Doctorum magis communem, quod in foro exteriori nunquam in dubio aliquis est iudicandus irregularis, vt habetur in cap. significasti in secundo de homicidio, & vt dicit Abbas, & Ostiensis in capite ad audietiam de homicidio, Angelus, Syluester, & Arm. in suis summis verbo irregularitas, & Nauarrus in Manuali cap. 27. nu. 193. in foro autẽ Conscientiæ contrario modo res se habet, nam in dubio vnusquisque irregularem se præsumere debet, vt ad cautelam dispensationem petat; & ratio huius est, quia ad condemnandum in foro exteriori requiruntur probationes sole clariores, vnde Iudex, vel superior non debet in foro exteriori iudicare reum, vel defectuosum illum, quem dubitat an sit reus, vel defectuosus, sed; in foro interiori tutior pars est eligenda, & nemo potest facere sine peccato, id de quo dubitat an sit peccatum nec ne.

4. Quarto quæritur vtrum irregularitas contrahatur quando crimen est occultum. Pro solutione istius difficultatis. Notandum est quod tripliciter potest aliquod crimen dici occultum.

Primo quod omnino occultum est & per se, & per accidens, quod videlicet est mere internum, & nullo modo prodijt in actum externum, vt si ego deliberaui occidere Antoninum, quem non occidi, nec alicui propalaui meam deliberationem, talis deliberatio est occulta & per se, & per accidens.

Secundo quod occultum est tantum per accidens, quod videlicet prodijt in actum extetius, qui actus à nullo fuit visus, nec cognitus, vt si Petrum occidi, & nullus hoc vidit, vel sciuit; tale homicidium dicitur occultum per accidens, quia licet non fuerit ab aliquo visum, nec scitum, potuit tamen videri, vel sciri.

Tertio dicitur occultum, quod vni, vel paucis notum est, & in iuditio non probatum. Hoc supposito.

Dico primo quod propter crimen occultum, primo modo certissimum est nunquam contrahi irregularitatem, nã licet deliberem occidere Franciscum etiam centies, nunquam ero irregularis, nisi vere eum occidam.

Dico secundo quod de secundo & tertio occulto fuerunt aliqui qui dixerunt nunquam aliquem incurrere in irregularitatem propter tale crimen secundo, vel tertio modo occultum, nisi sit homicidium, & huius opinionis fuit Castro. lib. 2. de lege pænali cap. vltimo, & eius opinio.

Probatur primo ex capite ex tenore de temporibus ordinandorum, vbi dicitur quod si quis commisserit crimen occultum ita graue, vt si publicũ esset, dignus esset degradatione, debet ei cõdigna imponi pænitentia, & suaderi, vt ad superiores ordines, non ascendat.

Secundo quia Ecclesia de occultis criminibus non sumit vindictam, vt habetur in capitulo tua nos de Simonia.

Tertio quia Ecclesia non pollvitur, quando crimen est occultum secundo, vel tertio modo, vt si effusio sanguinis facta in Ecclesia à nullo, vel à paucis cognoscatur.

Quarto quia alias sæpe necessarium esset vt quis propter occultum suum crimen cessaret à susceptione ordinũ, indirecte manifestaret suum crimen.

Tertio dico quod non obstantibus dictis rationibus dicendum est cum communi

muni Doctorum opinione, quod propter crimen occultur incurritur in irregularitatem, quando est eiusmodi, vt per illud incurratum in irregularitatē etiam si sit manifestum. Ita Glosa cap. finali de temporibus ordinandorum. Panormitanus in capite ex tenore de temporibus ordinandorum Nauarrus in Manuali cap. 17. nu. 194. & omnes alij.

Probatur primo ex sacro Concilio Tridentino sess. 24. cap. 7. vbi aperte habetur quod conceditur episcopis dispensare in omnibus irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, ex quo capite aperte supponitur, quod ex crimine occulto incurritur in irregularitatem.

Secundo probatur, quia Ecclesia punit criminosos occultos sententia excōmunicationis, vt aperte patet de Hæretico, qui exterius profert suam Hæresim, etiam nullo vidente, vel audiente.

Tertio probatur, nam propter crimē occultum potest Ecclesia aliquos inhabilitare ad cōtrahendum Matrimoniū, vt patet de impedimentis Matrimoniorum occultis, ergo etiā propter crimen occultum potest Ecclesia aliquos inhabilitare ad ordines propter crimen occultum.

Hinc sequitur filium illegitimum esse irregularem etiam si sit occultum, an sit illegitimus; Item sequitur sacerdotē excommunicatum occulte esse irregularem si celebrat.

Ad primum respondeo cum Coaruuia 2. p. relectionis §. 3. num. 4. dictum cap ex tenore de temporibus ordinādorum, esse intelligendū tantū de criminibus quibusdam grauibus, & propterea dignis depositione, non tamen inducentibus irregularitatem aliquam.

Ad secundum, respondeo quod Ecclesia non punit aliquem propter crimina occulta, pœna à Iudice in foro externo ferenda, sed quidem pœna incurrenda in foro conscientiæ.

Ad tertium respōdeo cum D. Th. 3. p. quod Ecclesia non cònsecratur, quasi ipsa sit susceptiua sanctitatis propter se, sed id fit propter ipsos homines, vt maiorem reuerentiā ex loci sanctitate recipiant, similiter non reconciliatur propter se ipsam, sed propter peccatores erudiēdos, vt discāt se propter peccatū redditos indignos Dei hospitio. At vero p pęnā irregularitatis intēditur punitio criminis, quæ ēt habet locū in occultis.

Ad quartū negatur sequela, quia quā do probabiliter timetur criminis occulti manifestatio ex eo, quod quis non ministrat in suo ordine iā debito, tunc eiusmodi criminosus occultus potest non obstante irregularitate prævia cōfessione ministrare, durāte tali periculo dūtaxat, nō tamen poterit promoueri ad alios ordines, quia ex eo, quod non promoueatur nulla imminet reuelatio criminis, nā possūt assignari aliæ causæ nō promotionis, & si nulla alia daretur, sufficeret dicere se nolle promoueri.

5. Quarto quæritur vtrū cessante causa irregularitatis cesset ipsa irregularitas? Respondeo quod cū generaliter cessante causa cesset effectus, vt habetur capitulo cessante de appellationibus, sic etiā in præsenti cessante causa irregularitatis, cessat etiam ipsa irregularitas, vt omnes dicunt, vnde D. Damascenus, qui propter abscisionem manus factus fuerat irregularis, restituta deinde manu per miraculū cessauit esse irregularis.

6. Vltimo quæritur, quot sint species irregularitatis. Respondeo primo quod quamuis fere infinitæ sint irregularitates, vt dicunt omnes Doctores, nullus tamen fit irregularis, nisi in casibus à iure statutis, & expressis, vt dicunt omnes Doctores.

Dico secundo, quod varius est modus apud Doctores diuidendi irregularitates, quidā .n. sigillatim illas enumerāt, & deinde dicunt, & aliæ quāplurimæ sunt. Alij eas ad quātuor species, alij ad tres reducunt; alij vero omnes irregularitates ad quinque species reducunt.

Quarum prima est Bigamia.

Secunda est illa, quæ oritur ex deffectu notabili corporis.

Tertia est illa, quæ oritur ex deffectu notabili animæ.

Quarta est illa quæ oritur ex deffectu lenitatis propter occisionē, aut mutilationem.

Quinta

Quinta demum est illa quæ oritur ratione alterius delicti, & de his quinque speciebus, vt promisi dicam in quinque sequentibus capitibus.

CAPVT SECVNDVM.

De prima spetie irregularitatis, quæ dicitur Bigamia.

1 *Bigamus quis dicatur.*
2 *Quot modis quis possit dici Bigamus.*
3 *Bigamia qua prohibita, & quomodo inducat irregularitatem.*
4 *Bigamiæ irregularitas, an sit de iure diuino.*
5 *An fiat irregularis, qui rem habet cum pluribus meretricibus.*
6 *Cognoscens virginem antequam cum illa contrahat, an fiat Bigamus.*
7 *Quis possit dispensare in irregularitate bigamiæ.*

1 Irregularitas, quæ fundatur in Bigamia apud Doctores appellatur irregularitas ratione Sacramenti. Bigamus autem dicitur ille, qui de facto, vel de iure habuit plures vxores quas cognouit, vel vnam vxorem, sed corruptam, vel quia vidua est, & cum alio contraxerat matrimonium, vel quia fornicata erat. Ratio autem cur Bigamus sit irregularis, & talis irregularitas dicatur irregularitas ratione Sacramenti est, vt dicunt Doctores, quia ille, qui dé bet suscipere ordines est tanquam sponsus Ecclesiæ, sicut & ipse Christus, qui fuit sacerdos est vere sponsus Ecclesiæ, significatur autem vnio Christi sponsi cum Ecclesia sponsa per Sacramentum Matrimonij, vnde postquam D. Paulus ad Ephesios quinto dixerat mulieribus coniugatis, quod debent esse subditæ viris suis, quia vir est caput Mulieris, sicut Christus est caput Ecclesiæ; & postquã dixit viris coniugatis, viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, deinde statim subdit, Sacramentũ enim hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia, quare sponsus in Matrimonio representat Christum; & sponsa representat Ecclesiam, & vnio sponsi cum sponsa representat vnionem Christi cum Ecclesia; sed cum Ecclesia sit vna & casta non habens maculam, iuxtà illud secundæ ad Corint. Vndecimo. Despondi enim vos vni viro Virginem Castam exhibere Christo; ita representatio vnionis Christi cum Ecclesia nõ potest esse in eo, qui est Bigamus; quia qui est Bigamus habuit plures vxores, sed Ecclesia est vna; vel habuit vnam, sed antea corruptam, & Ecclesia est casta, inde fit quod Apostoli statuerunt Bigamum esse irregularem, quia in eo non seruatur representatio Christi cum Ecclesia.

Aliqui Doctores alludunt etiam ad vnionem hipostaticam, quæ est in Christo, in quo vnita est natura diuina cum humana, quæ vnio representatur per Matrimonium, quando in eo non est Bigamia, nam natura humana, quam assumpsit Christus est vna, & immaculata, & talis debuit esse vxor illius qui vult ordinari si vxorem habuit.

Alij alludunt ad vnionem Christi spiritualem cum anima nostra cuius representatio non potest fieri in Bigamo.

Aliqui alij Doctores dicunt, quod præter dictam rationem est etiam alia ratio arcendi Bigamos ab ordinibus, quia ordinatus debet præbere exemplũ continentiæ; Bigamus vero; vel in se ipso quando habuit plures vxores, vel in

sua

sua vxore, quando habuit plures maritos, aut Concubina fuit, præsefert argumentum incontinentiæ.

Notandi autem sunt nouem modi Bigamiæ, in quibus omnibus est sita irregularitas.

2 Primus modus est quando aliquis successiuè habuit duas, vel plures vxores de iure idest legitimè; ita vt ambæ fuerint suæ vxores verè, sed vna post aliam, & ambas cognouit, & hæc dicitur vera, & propria Bigamia.

Secundus modus est quando vnus successiuè habuit duas vel plures vxores; sed vnam, vel aliquas de iure, aliam vero, vel alias de facto, ita vt cum aliqua fuerit verum Matrimonium, & cum aliqua non fuerit verum Matrimonium; sed tantum fuerit Matrimonium de facto; & ambas, vel plures vxores cognouit, & hæc dicitur Bigamia interpretatiua.

Tertius modus est quando aliquis habuit duas vxores successiuè, sed omnes de facto, & nullam de iure, & eas cognouit, & hæc dicitur Bigamia interpretatiua.

Quartus modus est quando aliquis simul, & eodem tempore habuit duas vxores, vnam de iure, & alteram de facto, & eas cognouit, & hæc dicitur Bigamia interpretatiua.

Quintus modus est quando quis eodem tempore habuit duas, vel plures vxores, & omnes de facto, & hæc etiam dicitur Bigamia interpretatiua.

Sextus modus est quando aliquis cōtraxit cum vidua, quæ fuerat cognita ab alio marito, & quam cognoscit secundus, qui secundus Maritus dicitur Bigamus hoc sexto modo, & hæc dicitur vera Bigamia, sicut prima in primo modo, & non tamen interpretatiua.

Septimus modus est quando aliquis contraxit Matrimonium cum Muliere non vidua, sed ab alio corrupta, & eam cognouit, & hoc intelligitur etiam si tempore contractus ignorabat eam esse corruptam, & talis dicitur Bigamia interpretatiua.

Octauus modus est quando aliquis contraxit cum virgine, & eam cognouit, quæ deinde adulteratur, & post adulterium Maritus iterum eam cognouit, dicitur Bigamus, quod si Maritus eam non cognosceret, postquam ipsa adulterium commisit, non fit Bigamus, & hæc est Bigamia etiam interpretatiua, & hoc verum est.

Primo quia maritus penitus adulterium ignorabat, quando post adulterium eam cognouit, vt habetur in capitulo si cuius. de Bigamis, & vt dicunt Angelus Syluester, Armilla in suis summis, & Nauarrus in Manuali cap. 27.

Secundo hoc verum est etiam si violenter vxor ab alio cognita fuerit ipsa omnino contradicente, atque renuente, quia nihilominus si postea maritus eā cognoscit fit Bigamus, vt dicit Maiolus lib. 1. cap. 33. num. 6. & ratio huius est quia quamuis mulier per vim passa non sit censenda adultera, tamen quia in irregularitate factum potius inspicitur, quam voluntas, maritus postea illam cognoscens fit Bigamus, sicut virgo per vim passa non est censenda, vt D. Thomas, & Sotus in quarto.

Nonus modus est quando aliquis ordinatus in sacris, vel qui professus est in aliqua probata Religione de facto contrahit cum aliqua virgine, vel corrupta, & eam cognouit; dixi de facto, quia de iure id accidere non potest, nisi intercedat dispensatio Papæ, & hæc Bigamia noni modi nec dicitur vera apud Doctores, nec interpretatiua, sed similitudinaria, quia talis dicitur habere duas vxores, Ecclesiam scilicet, & mulierem vt habetur in capitulo quod. d. 27. qu. 1. & ca. fin. de Bigamis, & vt dicit Sāctus Antoninus 3. p. tit. 21. cap. 1. Syluester, Armilla, & alij Summistæ in verbo irregularitas, vel Bigamia, & Nauarrus in Manuali cap. 27. item in hoc modo Bigamiæ est Bigamus ille, qui ducit vxorem monialem, quæ votum Castitatis emisit, nam quia quodammodo ipsa vxor est Bigama, vt habetur in dicto capitulo quod d. citata, & vt notat Maiolus cap. citato num. 8.

3. In his ergo omnibus nouem modis fundatur irregularitas, quæ dicitur ratione Sacramenti, vel quia vxores sūt

plures

plures verè, vel facto, & sic non possunt repræsentare Ecclesiam, quæ est vna; vel est vna, sed corrupta, & sic non potest repræsentare Ecclesiam; quia Ecclesia est casta, & immaculata.

Notandum hic est quod Bigamia primi modi est prohibita vsque à tempore Apostolorum, & forsitan est etiam Bigamia sexti modi, vt dicunt Doctores, nam habetur apud D. Paulum in prima Epistola ad Tim. cap. 3. quod Episcopus debet esse vnius vxoris, quod intelligendum est de omnibus Præsbiteris, & de Diacono, sub nomine cuius, vt dictum est, intelligitur Subdiaconus, quia id quod dixerat D. Paulus de Episcopo, quod debet esse vnius vxoris, dicit etiam de Diacono dicens, quod Diaconus debet esse vnius vxoris, & in secunda ad Cor. 11. dicit, Despondi enim vos vni viro Virginem Castam exhibere Christo. Reliqui modi Bigamiæ adiuncti sunt à Sum. Pontificibus post Apostolos, & si vultis videre Canones in quibus diuersis temporibus statutæ sunt tales Bigamiæ, tanquam irregularitates, legite Syluestrum, & Tab. in suis summis in verbo Bigamia, & Nauarrum cap. 27.

4. Dices primo, si irregularitas, quæ oritur ex Bigamia erat tempore Apostolorum, & de hoc apparet in scriptura Canonica, idest in Epist. D. Pauli, ergo talis irregularitas est de iure Diuino, ergo non est verum, quod diximus omnẽ irregularitatem esse impedimentum Canonicum. Respondeo cum Doctoribus, quod etiam tempore Apostolorũ irregularitas, quæ oritur ex vera Bigamia erat impedimẽtum Canonicum, etiam si de hoc impedimento apparet testimonium in Sacra scriptura, quia Apostoli erant & Apostoli, & Episcopi, & inter ipsos vnus erat Summus Pontifex, prout erãt Apostoli, & diuino dictante Spiritu scripturam scribebant, faciebant præcepta de iure Diuino, sed quatenus erant Episcopi, & simul cum Papa concilia faciebant, determinabãt aliqua statuta, quæ statuta erant de iure Ecclesiastico, nam D. Petrus vt Papa habebat eandem auctoritatem, quam nunc habent, & semper habuerunt Summi Pontifices, & propterea sicuti nunc Pontifices, vel soli, vel cum Episcopis possunt facere statuta Ecclesiastica, ita & tunc D. Petrus; quorum vnum statutũ fuit hoc de Bigamia.

5. Dices secundo, ille, qui cum Meretricibus consuetudinem habuit, antequam Matrimonium cum virgine contraheret, vel qui non contentus sua vxore aliorum vxores quærit, & cum illis adulterium committit, non fit irregularis, nec Bigamus, ergo multo minus erit irregularis, & Bigamus ille, qui duxit in vxorem Meretricem, vel duxit virginem, quæ deinde adulterium commisit, & postea à marito iterum cognita fuit, quia plus debet obesse viro delictum proprium, quam delictum alienum; sed qui ducit in vxorem Meretricem non peccat propter hoc; immo aliquando est meritorium; qui autem fornicatur, & deinde in vxorem ducit virginem peccabit fornicando. Multa dicunt Canonistæ, & fulminant illud argumentũ, sed non tangunt solutionem; D. Thomas in 4 d. 25. Sotus in eadem D. Syluester, & Armilla, in suis summis verbo Bigamia dicunt, quod quando vir est Fornicarius, seu adulter, non ideo est Bigamus, sicut quando sua vxor fuit Meretrix, vel fornicatia, quia in motu, vt specificetur, respicitur terminus ad quem, & non terminus a quo, quando ergo vir contrahit Matrimonium, terminus ad quem Matrimonij est Mulier, terminus vero à quo est vir; vt vero iudicetur, an vir sit Bigamus, necne, non respicitur conditio ipsius viri, qui est terminus à quo; sed conditio mulieris, quæ est terminus ad quem, & inde fit, quod si mulier est adultera, & post adulterium à Marito cognoscitur, maritus fiat irregularis, non autem fiat irregularis si ipse Maritus est adulter, & vxor non; sicuti si mulier esset capax ordinis, ad iudicandum, an esset Bigama necne, non esset respicienda sua conditio, quia ipsa esset terminus à quo, sed conditio Mariti, qui esset terminus ad quem per relationem, quæ est à muliere ad maritum, sicuti erat terminus ad quem per relationem,

tionem, quæ est à Marito ad ipsam; vnde si mulier esset capax ordinis, & esset adultera, & post adulterium cognosceret maritum, non diceretur Bigama si maritus non esset adulter.

6. Dices tertio vtrum ille, qui cognoscit virginem, antequam cum illa contraheret, & deinde cum ea contrahit, & eam cognoscit post contractum, sit Bigamus? Respondeo secundum opinionem Soti, D. Thomæ, Armillæ, Syluestri, & omnium Doctorum quod non, & ratio est, quia hoc non est cautũ in aliquo canone; deinde quia vt dicunt dicti Doctores vxor istius potest adhuc repræsentare Ecclesiam, quia non diuisit carnem suam in plures.

7. Vltimo dices, quis potest dispensare in irregularitate Bigamiæ. Respondeo quod in irregularitate Bigamiæ veræ, & interpretatiuæ, quæ est secundum octo modos priores ex nouem iam recitatis, solus Papa potest dispensare, quantum ad ordines maiores; ita omnes Doctores supracitati, & Nauarrus in Manuali cap. 27. num. 197. & omnes Canonistæ. De ordinibus vero minoribus maior est dubitatio, nam D. Thomas, Sotus, Syluester, & Armilla dicunt Episcopum posse dispensare in Bigamia, quantum ad ordines minores. Sed Nauarrus loco citato dicit contrarium, & pro se citat Ioannem Andream, & Ancharanum, Canonistas, qui hoc dicunt, & etiam citat textum in capitulo primo de Bigamis cap. 6. sed in hac re cum potius sit res pertinens ad canonistas, quam ad Theologos, standum cum Canonistis potius, quam cum Doctoribus Theologis, quare iudicandum est verior opinio Nauarri, dicit tamen Nauarrus ibidem quod D. Thomas, & alij citati sunt intelligendi, quantum ad exercitium ordinum minorum, non quantum ad susceptionem, quia Episcopus potest dispensare, vt Bigamus iam ordinatus in minoribus possit exercere officia ordinum minorum, licet non possit dispensare in susceptione dictorum ordinum.

Dico secundo, in Bigamia similitudinaria, quæ est noni modi ex supradictis solus Papa potest dispensare, si mulier cum qua ordinatus in maioribus contraxit erat corrupta prius, si vero erat virgo poterit etiam & Episcopus, ita & Nauarrus.

CAPVT TERTIVM.

De secunda spetie irregularitatis, quæ oritur ex deffectu corporis.

HOc caput diuiditur in tria Membra.

In quorum primo agetur de irregularitate, quæ oritur ex deffectu naturalium, idest ex illegitimitate.

In secundo agetur de irregularitate, quæ oritur ex deffectu ætatis, & libertatis.

In tertio agetur de irregularitate, quæ oritur ex deffectibus ipsius corporis.

MEMBRVM PRIMVM.

De irregularitate, quæ oritur ex deffectu natalium.

1 *Defectus natalium an semper inducat irregularitatem.*

2 *Quibus modis tollatur irregularitas ex deffectu natalium.*

3 *Quid si clericus in minoribus, aut beneficiatus de concubina habeat filium, eamque postea in vxorem accipiat?*

4 *Quid si sponsus, cum sponsa de futuro rem habeat, ille filius nascetur nè legitimus?*

5 *Infantes expositi an sint pro legitimis habendi.*

1 IN hoc Membro dico primo, quod deffectus natalium semper inducit irregularitatem, idest quod omnis illegitimus est irregularis; ratio autem cur Summi Pontifices voluerint illegitimos esse irregulares est primo, quia ordo est dignitas quædam, quæ non debet dari vilibus personis. Secundo propter detestationem paterni, & materni delicti; Tertio quia illegitimi vt plurimum solent esse imitatores Paterni criminis. Quarto quia solent esse immorigerati, & pleni multis vitijs.

Sed dices si quis illegitimus est ordinatus per ignorantiam, est ne irregularis, vel peccauit ne? Respondeo quod est irregularis, & si ignorantia fuit ex parte Episcopi probabilis, Episcopus excusatur à peccato, si deinde cognoscit

se esse

se esse illegitimum, debet petere dispensationem, quam Papa facile dat, quando casus est secretus. Non tamen tenetur filius credere matri dicenti eum esse illegitimum, & si credit, tenetur petere dispensationem, vt bene dicit Nauarrus in Man. cap. 17 nu. 201.

2. Rursus dices quibus modis tollitur irregularitas ex defectu natalium? Respondeo quod tribus modis. Primo per dispensationem. Secundo per subsequens Matrimonium. Tertio per ingressum in Religionem.

Dixi primo, per dispensationem, quia quantum ad ordines maiores Papa dispensare potest, quantum vero ad minores etiam Episcopus potest dispensare, vt bene ait Nauarrus loco citato.

Dixi secundo, per subsequens Matrimonium, vt dicit Syluester in summa verbo illegitimus § 5. & omnes alij; ille autem legitimatur per subsequens Matrimonium, qui genitus, vel natus est ex Meretrice, vel Cōcubina, quæ meretrix, seu concubina deinde contraxit Matrimonium cum eo, quo cum genuit, & in tali casu verum est quod filius, qui erat illegitimus, fit legitimus per subsequens matrimonium, si tempore conceptus sui eius Pater, & Mater poterant absque vllo impedimento esse Matrimonio copulati, secus si non possent esse Matrimonio copulari, vt si aliqua mulier viuente primo Marito suo filius per adulterū concepit, deinde Maritus moritur, & postea cum adultero contrahit Matrimonium, licet Matrimonium possit esse validum, filius tamen quem mulier concepit ex adulterio non legitimatur per tale Matrimonium, quia inter patrem, & matrē illius filij tempore ipsius conceptus non poterat esse Matrimonium propter impedimentum ligaminis, quia ipsa habebat alium Maritum: pari modo si quis coniugatus cum non coniugata rem habebat, quæ deinde filium habebat ab eodem, talis filius non poterit legitimari, etiam si mortua vxore patris Matrimonium contrahat cum matre ipse pater; ita Syluester loco citato.

Dixi tertio, quod irregularitas ex naturalibus defectionis tollitur per professionem in Religione, vt habetur in capitulo primo de filijs Presbiterorum, vbi Abbas, Innocētius, Imola, & omnes alij, & Syluester in verbo illegitimi, Nauarrus etiam capite 27. citato nu. 201. non tamen legitimatus per professionem in religione cēsetur habilitatus ad prælaturam, vel superioritatem, vt dicit Nauarrus loco citato.

Sed hic sunt dubitationes. Prima dubitatio, quid si post natum filium mater cū alio contraxit, quo mortuo contraxit cum amico priori, verum per hoc Matrimonium alio interposito legitimetur filius. Respondeo affirmatiuè, & ita dicunt fere omnes Doctores.

3. Secunda dubitatio, quid si Clericus in minoribus, & Beneficiatus de Cōcubina habeat filium, eamque postea in vxorem accipiat? Respondeo talem filium legitimari per illud Matrimonium.

4. Tertia dubitatio si sponsa habeat rem cum sponso, & concipiat filium antequam cōtrahatur Matrimonium, erit ne ille filius legitimus. Respondeo quod erit legitimus si sequatur Matrimonium, non autem si non sequatur, vt dicunt omnes Doctores.

Et notandum est hoc, quod est notatu dignum in hac Materia, quod si filius natus ex fornicatione ante Matrimonium subsequens promotus fuerit ad ordines, subsequuto matrimonio fit quidem legitimus, sed illa indebita ordinum susceptio non conualidatur, nec habet executionem ordinum sine dispensatione.

5. Vltima dubitatio vtrum infātes, expositi sint pro legitimis, vel pro illegitimis habendi, & ad ordines admittendi sine dispensatione. Videtur enim quod sic, quia multi filij legitimi à parentibus propter inopiam, vel ignauiā exponuntur, vt experientia docet; ex alia parte quòd non, quia tales communiter ab omnibus reputantur per illegitimis, maxime cum plerique ex his qui exponuntur sint illegitimi. De hoc hinc inde sunt opiniones Doctorum Cardinalis Paleotus in tractatu de spurijs dixit tales expositos posse ordinari sine dispensa-

 dispensa-

spensatione; Coaruuias in Clementina si furiosus, contrarium tenet. Ego dico quod in foro exteriori possunt ordinari, quia in dubijs, vt supra dictum est nullus est iudicandus irregularis in foro exteriori; secus in foro interiori, in quo tutior pars est eligenda, propterea absolutè dicendum est expositos non posse ordinari, nisi cognoscantur legitimi, sine dispensatione; verum quidem est, quod cum talibus expositis facilius est dispensandum, quàm cum alijs de quibus constat eos esse vere illegitimos, imo Coaruuias dicit sufficere dispensationem Episcopi.

MEMBRVM SECVNDVM.

De irregularitate ex defectu libertatis, & ætatis.

1 *Aetas requisita ad suscipiendos ordines.*

2 *Defectus libertatis an inducat irregularitatem.*

1 IN hoc membro dico primo, quantum ad Ætatem requisitam ad suscipiendos ordines quod statutum est in iure, ne quis ante legitimam ætatem ordinem recipiat, quæ ætas quantum ad primam tonsuram est septem annorum completorum, vt habetur in cap. nullus de temporibus ordinandorum in sexto eadem prorsus ætas saltem requiritur ad ordines minores, vt colligitur ex Clementina vltima de ætate, & qualitate ordinandorum apud Glosam, & circa hoc nihil immutatum est à Concilio Tridentino, sed solum quo ad Beneficium obtinendum. Hodie enim post Concilium Tridentinum sess. 27. cap. 7. nullus etiam si prima Tonsura sit initiatus, vel in minoribus ordinibus constitutus, potest obtinere Beneficium ante annū 14. antea autem ad recipiendum Beneficium simplex saltem sufficiebat ætas Septennij.

Quo ad ætatem autem requisitam ad sacros ordines est facta innouatio in Concilio Tridentino, nam Subdiaconatus, & Diaconatus olim non conferrebatur ante ætatem annorum 25. vt patet ex cap. Subdiaconatus d. 77. postea vero Subdiaconatus cæpit conferri in 18. anno, Diaconatus in 20. Sacerdotium in 25. vt patet ex Clementina, Generalē, de ætate & qualitate ordinandorum in sexto, modo vero post Concilium Tridentinum ad Subdiaconatum requiritur ætas annorum 22. Ad Diaconatum annorum 23. ad Sacerdotium annorum 25. Huiusmodi autem anni non opus est vt sint completi, sed sufficit vt sint incæpti idest annus 22 in Subdiacono 23. in Diacono 25. in Sacerdote, quæ ætas 25. anno rum necessario requiritur ad Archidiaconatum, & Beneficium Curatum.

Quod si dicas si quis ordinaretur in sacris ante legitimam ætatem reciperet ne characterem? Respondeo affirmatiuè secundum omnes, sed peccatet mortaliter, & exercere non posset actus, & munera ordinis suscepti ante ætatem debitam, quam nuper assignauimus.

Rursus dices aduenіente postea ætate legitima si quis ordinaretur in sacris ante legitimā ætatem posset ne sine vlla dispensatione exercere actus sui ordinis? Glosa in Clementina dicta, Generalem, tenet partem affirmatiuam, sed tenendum est contrarium, videlicet recipientes ordines sacros ante ætatem legitimam esse ipso iure suspensos ea suspensione, quæ dicitur censura, & si exerceant munera suorum ordinum etiam post ætatem legitimam incurrere irregularitatem solum à Papa dispensabilē, sicut & in eam incurrunt recipientes ordines extra tempora sine facultate, item & sine litteris dimissorijs, vt statutum est in extrauaganti Pij secundi, quæ incipit

pit ex Sacramento, quod tamen intelligendum est de his, qui scienter fecerunt se ordinare ante legitimam ætatem, si enim quis probabiliter credebat se habuisse legitimam ætatem, non erit suspẽsus, nam talis adueniente deinde legitima ætate poterit exercere suum munus.

2. Dico secundo quod deffectus libertatis inducit irregularitatem; & ideo serui sunt irregulares, quia illi, qui ordinantur debent mancipari seruitio diuino, sed serui sunt mancipati seruitio domini sui, Tria autem dicunt Doctores de seruis quantum ad ordines.

Primo quod si seruus sciente, & non contradicente Domino suo, ordinetur Dominus tenetur eum liberare.

Secundo quod si seruus ignorante Domino seu illo contradicente ab Episcopo id sciente ordinetur, tenetur Episcopus seruum redimere dupli pretio.

Tertio quod si seruus ignorante Domino, & Episcopo, aut contradicente Domino, & ignorante Episcopo ordinetur, si seruus ipse habet pecuniam, tenetur se liberare, sin minus tenetur seruire Domino suo sicut prius, & erit suspensus ab officio ordinum, debet tamen Dominus tali seruo ad honoris dignitatem aliquid plus honoris desferre, ita vt vilissima officia non perficiat.

MEMBRVM TERTIVM.

De irregularitate prouueniente ex alijs deffectibus corporis.

1 *Defectus in corpore, ob quos dicitur irregularis.*
2 *Ad quem pertineat iudicare de talibus deffectibus.*
3 *Irregularitas inducta per infirmitatem.*

1 SYlueſter in summa verbo corpore vitiatus, & Canonistæ. cap. vnico de eo, qui est corpore vitiatus, & alij Doctores dicunt irregularitatem etiam nasci ex vitio corporis; dupliciter autem potest aliquis esse corpore vitiatus, & propterea irregularis, primo propter fœditatem quandam, quam præsefert aliquis in corpore, vel membris. Secundo propter ineptitudinem ad exercendum ordinem.

2. Primo modo dicitur irregularis ille, qui verbigratia habet magnum gibum, qui non habet nasum, vel qui maculam notabilem in facie habet; vel qui monstruosus est, vt si habet duo capita, quatuor bracchia; vel membrum aliquod animalis irrationabilis; vel qui habet caput gigantis, vel qui Pigmeus est, vel qui est Hermaphroditus; vel qui habet oculos lachrymantes, & sic de similibus: tales enim non possunt ad ordines promoueri, vt dicunt Doctores, quia exercere non possunt officiũ ordinis sine scãdalo propter errorẽ nauseã, & fœditatem, quam ostendunt, & præbent ijs, qui vident eos ministrare in ordinibus.

Secun-

Secundo modo sunt irregulares illi, qui carent digito aliquo, quo hostia tangi solet, & multo magis si careat tota manu, similiter illi qui sunt cæci, item illi, qui per frenesim, vel alium morbum tremuli sunt, ita vt calicem eleuare non possint, sine periculo effusionis sãguinis, item illi, qui ita claudi sunt, vt sine baculo stare non possint, & sic de similibus & ratio huius est, quia tales non possunt exercere rectè munus ordinis.

Verum quidem est secundum omnes Doctores, quod si post susceptionem ordinis absque culpa alicui Sacerdoti inciditur, verbigratia manus, ita vt etiam à corpore separetur, licet talis sacerdos sit irregularis quãtũ ad celebrationem Missæ, poterit tamen audire confessiones, quia non est addenda afflictio afflicto, & quia manus non est necessaria ad absoluendum, sicut est necessaria ad debite celebrandum; ita si aliquis iam sacerdos sit cæcus absque propria culpa, poterit audire confessiones, non tamen celebrare; secus esset si propria culpa oculos, bracchium, aut aliud corporis Membrum amitteret, tunc enim fieret omnino irregularis; ita Syluester in summa verbo corpore vitiatus, vbi citat canones, & ita omnes Doctores. Regula enim hæc generalis est, quod ille qui propria culpa, seu sponte, nulla cogente necessitate aliquod Membrum corporis àmittit, omnino sit irregularis. Si vero aliqua cogente causa, puta ob sanitatem aliquis amputat sibi Membrum, non sit irregularis nisi quantum ad illud officium, quod recte sine tali membro exercere non potest, si iam est ordinatus, vel si fœditatem ostendat. Quare de Eunuchis fabulosum ait Syluester loco citato, & Nauarrus in Manuali cap. 27. nu. 200. idest quod vulgò dicitur, quod vt celebrare possint debent secum gestare pudenda resacta, vel in puluerem redacta. Vnde ait Sotus iuxta regulam iam dictam in 4 d. 25. qu. 1. art. 3. quod si quis fuerit castratus, seu amputauit sibi virilia membra absque causa infirmitatis, est irregularis, vt si ad seruandam vocem, seu ad frænandam libidinem. Si vero factus Eunuchus causa infirmitatis, non est irregularis; similiter si quis vi factus eunuchus; quòd autem dixi de eo, cui deest manus absque propria culpa, quòd est irregularis tantum quantum ad celebrationem, non quantum ad absolutionem; intelligendum est si manum amisit, postquam erat ordinatus, nam si manum amisit ante ordinem, est ita irregularis vt non possit ordinari.

Quòd si dicas, quis iudicare debet, an vitium corporis inducat irregularitatẽ, quando non est magnum, vt si quis non esset omnino cæcus. Respondeo quòd Episcopus cum Archidiacono, vel cum alijs examinatoribus.

Rursus dices si quis castraretur à marito alicuius mulieris, quia inuentus est cum sua vxore, esset ne irregularis? Respondeo quod esset irregularis, quia illud factum esset propter propriam culpam licet vijita òmnes Doctores.

Demum dices verum ille, qui habet oculum sinistrum cæcum omnino, sed tamen integrum censendus sit irregularis? Ad hoc respondeo cum Nauarro in Manuali cap 27. n 199 quod si oculus sit integer, quamuis omnino priuatus potẽtia visiua, non efficitur quis irregularis, siue sit dexter, siue sinister, dummodo altero oculo legere possit sine notabili conuersione faciei ad populum.

2. Et notandum est quod licet ad Episcopum, vt dictum est, pertineat iudicare de deffectu corporis, an sit ita notabilis, vt indicat irregularitatem, tamẽ quotiescunque Episcopus iudicat talem deffectum inducere irregularitatem, dispẽsatio pertinebit solum ad Summ. Pontificem, vt optimè dicit Nauarrus in Manuali. cap. 27. num. 200. & si deffectus est notabilis raro in eo dispensat Papa; imo dantur casus in quibus nec Papa dispensare debet, aut potest, vt in muto, qui cum nõ possit loqui, nec potest exercere munus alicuius ordinis, maxime Sacerdotij, puta in administratione Sacramentorum, in qua necessario necessitate Sacramenti requiritur prolatio formæ, quam mutus efficere non potest.

3. Ad hanc irregularitatem, quæ oritur ex deffectu corporis reducitur irregularitas, quæ est per infirmitatem, secundum

cundum quam est irregularis secundum omnes ille, qui laborat Epilepsia, idest morbo caduco, & Energumenus idest à Dæmone obsessus. Tertio est irregularis Amens; & in his omnibus irregularitatibus solus Papa dispensare potest; & si aliquis antequam suscipiat ordines laborat morbo caduco, aut est Energumenus, aut amens, non debet dispensari, si vero quis post ordines susceptos fiat Energumenus, aut stultus, non debet in ordinibus susceptis ministrare; & quod ait Nauarrus cap. citato nu. 103. maxime verum est de Energumeno, etiam si post aliquod tempus nō videatur obsessus à Dæmone, de eo vero qui laborat morbo caduco, & iā est ordinatus ante dictū morbū, distinguit Nauarr⁹, quòd vel sæpe cadit, vel raro cadit, si sæpè non debet, nec potest exercere ordines, si raro cadit, vel quando cadit spumas ex ore emittit, poterit aliquando celebrare adhibito, tamen socio præparato ad perficiendam Missam inceptam, si casu morbo corriperetur, idem dicit Syluester in summa verbo corpore vitiatus, vbi & dicit quod nunquam dispensatur in Energumeno etiam si sanus fiat.

CAPVT QVARTVM.

De irregularitate quę oritur ex deffectu animæ.

1 *Ex defectu animæ irregulares sunt indocti, hæretici, fautores hæreticorum, Infideles, Neofiti.*

Sicut ex deffectu corporis, ita etiam ex deffectu animæ nonnunquam oritur irregularitas, & propter hunc deffectum.

1. Primo irregulares sunt Idiotæ, idest omnino illiterati, vt si quis nec sciret legere.

Secundo irregulares sunt Hæretici, etiam si ad fidem conuertantur, imo & eorum filij vsque ad secundam generationem ex linea patris, & vsque ad primam ex linea fœminea; ita Nauarrus in Manuali. cap. 27. num. 205. Syluester, & alij Summistæ in verbo irregularitas.

Tertio sunt irregulares fautores Hæreticorum.

Quarto sunt irregulares Infideles omnes, qui non sunt Baptizati, vt Turcæ, & Iudæi, & Gentiles; sed hi potius deberēt dici non capaces ordinum, sicuti dictum est de fœmina, quam irregulares, quia irregularis, vt dictum est supra, si ordinetur, ordo tenet, sed si ordinetur non Baptizatus, ordo non tenet, quia ordines sicut & alia Sacramenta necessario necessitate Sacramenti supponunt Baptismum, qui est ianua Sacramentorum, & in hoc nec Papa dispensare potest; vnde habetur de Presbitero non baptizato, quod si Presbiter animaduerteret se non

fuisse

fuisse Baptizatum, deberet Baptizari, & omnes ordines iterum recipere, vt posset iterum celebrare.

Quinto irregularis est Neofitus, idest recenter Baptizatus, aut ad fidem recenter conuersus,& hoc erat etiam tempore Apostolorum, vt patet ex prima Epistola ad Timothæum capitulo tertio.

Quod si incontrarium adferatur exemplum Sancti Ambrosij, qui adhuc Cathecumenus est electus in Episcopum,& statim post Baptismum fuit ordinatus, & consecratus. Respondent Doctores Sanctum Ambrosium fuisse dispensatum à Deo; nam miraculosè audita est vox pueri diuino spiritu afflati clamantis Ambrosium Episcopum. Et in hac irregularitate, quæ est ex deffectu animæ solus Papa dispensat.

CAPVT QVINTVM.

De irregularitate, quæ oritur ex deffectu lenitatis.

1 *Deffectus lenitatis quomodo inducat irregularitatem.*

2 *Occidens alium cum moderamine inculpatæ tutelæ, an fiat irregularis.*

3 *Occidens clericum inuentum cum matre, sorore, vxore, vel filia, an fiat irregularis.*

4 *Ex homicidio qualiter quis fiat irregularis.*

5 *Iudex an fiat irregularis aliquem damnando ad mortem.*

1 DEffectus perfectæ lenitatis inducit irregularitatem, & propter hunc deffectum est irregularis omnis ille, qui postquam est Baptizatus occidit, aut mutilat hominem in casu licito alio, quam infirmitatis, vel dat causam propinquam occidendi, aut mutilandi, quam occisus, aut mutilatus fuisset excepto casu necessitatis se deffendendi, in quo non potest se deffendere, nisi mutilando, aut occidendo.

Dixi postquam est Baptizatus, primo, quia omnis ille, qui occidit alium ante Baptismum excipitur ab hac irregularitate, quantum ad illa homicidia, quæ patrauit ante Baptismum; vel vt dicunt alij si propter illa homicidia est irregularis, talis irregularitas tollitur per Baptismum.

Dixi secundo, occidit, & non qui homicidium facit, quia vt ait Caetanus in summa verbo homicidium; quando aliquis alium iustè occidit, non dicitur occidium cōmisisse, homicidium enim dicitur occisio hominis iniusta, & non iusta.

Dixi secundo, mutilat, mutilare autem est membrum corporis alterius hominis, seu etiam corporis sui abscindere, ita vt non cohæreat reliquis partibus, quare qui vulnus in aliquem infert, etiā magnum, modo illum non occidat, aut membrum penitus non abscindat, non dicitur irregularis, pari modo si vulnere, aut baculo debilitet membrum alterius, modo illud nō abscindat, ita vt cæteris partibus cohæreat non fit irregularis secundum communem opinionem, ita Sotus in 4. d. 25. qu. 1. artic. 3. & Nauarrus cap. citato. Per membrum autem intelligite aliquam partem corporis, quæ possit se ipsa exercere aliquod officium, vnde ait Nauarrus cap. citato, quod si aliquis abscinderet tantum vnū digitum non esset irregularis, quia digitus non est membrum, sed pars membri, contrarium dicit Sotus loco citato existimans digitum esse Membrum.

Dixi quarto, in casu licito, quia si aliquis occidit, aut mutilat hominem in casu illicito incurrit quidem in irregularitatem, sed non istius speciei de qua nunc agimus, sed in irregularitatē priorem quæ dicitur ex delicto, & de qua dicetur in capite sequenti.

Dixi

Dixi, alio quam infirmitatis, intelligendo quantum ad mutilationem, si enim quis alium mutilaret propter infirmitatem, vt si eum castraret propter periculum vitæ, aut illius tibiam amputaret, vel brachium, ne reliquum corporis morbo afficeretur, non diceretur irregularis, imo neque mutilator, nisi forsan pars amputata esset necessaria ad munus ordinis obeundum, & de hoc supra diximus, vbi de corpore vitiato, vt si propter infirmitatem Cirurgus amputaret policem Petri, aut manum, vel bracchium, Petrus efficeretur irregularis, quia efficeretur corpore vitiatus ab deffectum membri necessarium ad celebrationem.

Dixi sexto, hominem, ad includendũ quemlibet hominem, Turcam, Iudæũ, Saracenum, Hæreticum, aut Christianũ, & ad excludendũ corpus hominis mortui, quia si aliquis amputaret corpus hominis mortui, non efficeretur irregularis, quia corpus hominis mortui non est homo, sed cadauer.

Dixi septimo, seu dat causam propinquam occidendi, aut mutilandi, quia sufficit ad incurrendum in hanc irregularitatem dare causam propinquam occisionis, aut mutilationis. Est autem causa propinqua factum, seu dictum licitum sufficienter directum in occisionem, seu mutilationem. Et dixi, dictum, aut factum licitum, quia si est illicitum, efficit irregularitatem alterius speciei, de qua in capit. sequenti. Item dixi, sufficienter directum, quia nõ sufficit quædam generalis intentio; non enim incurrit in irregularitatẽ ille, qui hortatur milites generaliter ad certandũ strenuè in bello iusto, seu ad victoriam obtinendam, & multo minus ille, qui eis venderet arma ad certandum. Illud autem dictum, aut factum dicitur sufficienter dirigi in mortem, aut mutilationẽ alterius, quãdo ad ipsam semper, aut vt plurimũ de sua natura sequitur mors, aut mutilatio. Et notãdum est quod qui dat causam propinquam mortis, aut mutilationis non est irregularis, nisi sequatur effectus, id est mors aut mutilatio.

Dixi octauo, aut vt citius occidatur, vel mutiletur, quia ad incurrendum in hanc irregularitatem hoc sufficit, vt si aliquis est præsens, quando latro est suspendendus, & hortatur Carnificem, vt cito se expediat, & propter hoc citius occidit, quã faceret, talis, qui hortatur est irregularis, etiãsi id faceret pietatis gratia; pari modo si aliquis curans infirmum moriturum aliquid faceret, vt infirmus citius moreretur, esset irregularis; sed in similibus non est admittẽdus omnis scrupulus, vt bene notat Sot. in 4 d. 25. irridet enim quendã Sacerdotẽ dubitantẽ se esse irregularẽ, quia cũ sequeretur suspendendum, qui mula vehebatur vt illũ ad bene moriendũ hortaretur, & casu percusserat mulam pede, quæ ideo aliquantispet accelerauit gradum.

Dixi vltimo, excepto casu in quo aliquis potest propriam vitam deffendere, nisi mutillando, aut occidendo alium, vt habetur in Clementina vnica, de homicidio, & licet D. Thomas in quarto d. 25. hunc casum non excipiat, mirum videri non debet, quia D. Thomas vixit, & scripsit ante dictam Clementinam, & intelligendum est hoc quando aliquis aliter quam occidendo, aut mutilandõ non potest tueri vitam suam, puta neque clamore, neque fuga.

2. Infertur primo ex dictis, quod si aliquis occideret alium ob deffensionẽ vitæ Patris, Matris, Filiorum, aut alterius proximi, etiamsi non peccaret, vt supra dictum præceptum non occides; tamen esset irregularis, quia per dictam Clementinam tantum excipitur ab irregularitate ille, qui occidit, aut mutilat aliquem ob necessariam deffensionem propriæ vitæ, similiter esset irregularis ille, qui occideret aliquem ob deffensionem totius patriæ.

3. Infertur secundo, licet excusetur ab excommunicatione ille, qui occidit Clericum inuentum in fragranti crimine cũ matre, sorore, vxore, vel filia, non tamẽ excusatur ab irregularitate, & per Clericũ intelligendus est etiã Sacerdos; & de hoc vide Caetanum verbo excommunicatio in sum. cap 10.

Infertur tertio, quod si aliquis dat

alteri arma, vt se ipsum idest dantem arma deffendat, & talis occidat inuadentem, ille, qui dedit arma, non erit irregularis, sed ille qui occidit, aut mutilauit, quia non occidit aut mutilauit ad sui defensionem, sed ad defensionem alterius, secus esset si aliquis daret alicui arma, vt se deffenderet ab inuadente, nam in tali casu non occidens, sed præbens arma esset irregularis.

4. Infertur quarto, quod si aliquis occidit aliquem ad defendendum sua, efficitur irregularis licet non peccet, vt habetur in capite si quis se, suaque deffendendo, de homicidio; excipitur tamen hic casus, quando videlicet aliquis occidit, aut mutilat alium, vt deffendat res, quæ omnino sunt necessariæ pro conseruatione vitæ suæ, & quas aliter non potest deffendere quam occidendo, aut mutilando; & ratio est quia in tali casu deffendendo res suas, dicitur deffendere vitam propriam, cum sine illis rebus necessario vita perdatur, vt si quis fame laboraret, & duos tamen panes haberet, nec esset spes plures, vel alios habendi aliunde; & aliquis alius vellet illos furari, si aliter eos deffendere non posset, potest furem occidere sine periculo irregularitatis; quia deffendendo illos panes diceretur deffendere vitam propriam, secus esset si aliunde pecunia, vel alio modo possessor illorum panuum posset habere alios panes.

5. Infertur quinto, quod Iudex qui iustè aliquem ad mortem condemnat, si mors deinde sequatur ex illa condemnatione fit irregularis in hac specie irregularitatis: simili modo Fiscalis, Notarius, & quilibet Officialis, qui cooperatus est ad talem condemnationem, similiter & qui eam exequutioni mandauit, vt Carnifex & qui portauit scalas, vel aliud instrumentum, ad talem executionem necessarium, vt qui portat ligna ad comburẽdum Hæreticum, vel alium, si tamen non moritur prius, vel alia de causa, quam per ignem factum est talibus lignis.

Neque est mirum quòd Iudices, & alij suprascripti exercentes iustè suum officium fiant irregulares, imo & milites, qui in bello iusto etiam pro fide tuẽda inimicos Hæreticos, etiam Thurcas occidant, aut mutilant fiant irregulares, quia vt ait Nauarrus cap. citato, & alij Doctores, ordinati, qui repræsentant Christũ ad instar ipsius Christi Domini debeat habere talem morum lenitatẽ, vt nec in causa sanguinis aliquando se intromittant, etiam si alias iustè id facere possent, & in figuram istius dicunt Doctores, quod Deus noluit, vt Dauit alioquin sanctissimus fabricaret templũ propter homicidia, quæ fecerat, sed quidem Salomon eius filius qui dictus est Rex Pacificus.

Infertur vltimo, quod ille, qui coram Iudice, vel alio Reum accusat, sine protestatione se id non facere, vt reus ad mortem, seu mutilationem damnetur, sed vt suum habeat, vel vt publica scandala tollantur, fit irregularis; secus si accusat cum tali protestatione, quæ protestatio potest fieri ore, vel in scriptis, & de hoc lege Nauarrum cap. 27. nu. 213. & protestatio talis, vt euitetur irregularitas non tantum verbo, sed vere & animo fieri debet; nam si verbo faceret talem protestationem, & cuperet animo, vel sibi placeret, vt talis suspenderetur, vel mutilaretur, non euitaret irregularitatem, & ita omnes Doctores.

Pariter si quis Clericus detineret furem, donec venirent satellites, non fieret irregularis, si deinde fur suspenderetur, si Clericus eum tantum detinebat, vt suum haberet, & non suspenderetur.

Item si Clericus accusaret Reum furti, qui deinde captus suspenditur ob homicidium, non fit irregularis Clericus, quia Reus non fuit directe suspensus ob accusationem Clerici, sed ob aliud crimen.

CAPVT

CAPVT VLTIMVM.

De irregularitate, quæ oritur ex delicto.

Istud caput diuiditur in tria membra.

In quorum primo agã de irregularitate, quæ oritur ex delicto homicidij.

In secundo de irregularitate quæ oritur ex nonnullis alijs delictis.

In tertio dicam quædam de dispensatione in irregularitate.

MEMBRVM PRIMVM.

De irregularitate quæ oritur ex Homicidio iniusto, vel Mutilatione iniusta.

1 *In hac irregularitate qui comprehendantur.*
2 *Dans operam rei licitæ qualiter possit fieri irregularis ex homicidio.*
3 *Dans operam rei illicitæ quomodo irregularitatem possit incurrere.*
4 *Dans operam rei licitæ qualem diligentiam adhibere debeat.*
5 *Se defendens cum moderamine inculpatæ tutelæ, an possit fieri irregularis.*
6 *Procurans, vel dans causam abortus an sit irregularis.*
7 *Fætus quando censeatur animatus.*

1 IN hoc membro dico, quod in hac spetie irregularitatis, de qua agitur in hoc membro, ponitur omnis ille, qui compos mentis, & postquam est Baptizatus occidit, aut mutilat se ipsũ, aut alium hominem, causa iniusta, seu iniustè, aut dat propinquam causam occisionis, aut mutilationis, seu vt citius quis iniustè occidatur, vel mutiletur, quam occisus, aut mutilatus fuisset.

Et notandum est hic primò, quòd explicatio eorum, quæ nunc diximus, patet ex explicatione eorum, quæ supra diximus in cap. præcedenti in principio, non enim differt ille, qui incurrit in ir-

Tt 2 regu-

regularitatem propter iniustum homicidium, ab eo qui in eam incurrit propter homicidium iustũ, præterquam in hoc, quod ille, qui incurrit in irregularitatẽ propter iniustum homicidium, seu mutilationem, iniustè occidit, aut mutilat, alius vero iuste.

Notandum est secundo, quod per causam propinquam in homicidio, seu mutilatione iniusta, quantum ad illã particulã de qua dicebamus supra (sufficienter) nec requiritur tam particularis intentio, seu directio occidendi, aut mutilandi, vt supra in homicidio, seu mutilatione iusta, nam qui generaliter etiam hortatur milites ad strenue bellandum in bello iniusto, fit irregularis si propter talem exhortationem sequantur homicidia, seu mutilationes, non ita ille qui generaliter hortatur milites ad idẽ faciendum in bello iusto, vt supra diximus, etiã si deinde sequantur hominum occisiones, & mutilationes; simili modo, qui præbet arma Militi, vt occidat, aut mutilet in bello iusto, non fit irregularis, si inde sequantur homicidia, vel mutilationes, secus de illo, qui præbet arma militi, vt vincat in bello iniusto; secus idem esset si in bello iusto quis præberet arma, aut hortaretur ad occidendum talẽ hominem in particulari in bello iusto. Hæc dicit Nau. in Man. cap. 27. vbi agit de irregularitate, quæ est ex homicidio iniusto.

Vt decidantur infiniti casus in hac materia, quorum quamplurimi sunt apud Nauarrum loco citato, apud Armillam, Syluestrum, & alios Summistas in verbo irregularitas, & apud Sotum in quinto de iustitia & iure, diligentissimè notandæ sunt hæ tres regulæ.

2. Quarum prima est, quod si aliquis dat operam rei licitæ, & adhibet debitã diligentiam, si inde ex tali opera sequatur homicidium, aut mutilatio, talis nõ fit irregularis, vt si quis in planta colligebat fructus suos, & adhibebat debitã diligentiam ne caderet, & tamen cecidit, & dum caderet alius erat sub planta, qui occisus est, ille, qui occidit non fit irregularis, idest ille qui cecidit.

Secunda regula est, quod ille, qui dat operam rei illicitæ, seu incumbit negotio illicito, etiam si diligentiam adhibebat, ne ex tali negotio aliquis homo occidatur, aut mutiletur; si tamen occideret, aut mutilaret, fieret irregularis; & inde dicunt Doctores, quòd si Clericus cui prohibita est venatio, dum venationi incumbit aliquam feram sequẽs, etiã adhibita diligentia, dum illam occidere existimat hominem occidit, aut mutilat, fit irregularis; secus autem esset, si talis venator esset Laicus, cui venatio nõ esset prohibita. Similiter si aliquis volens furari galinas noctu ferret lumen ad locum galinarum, & adhiberet omnem diligentiam, quam posset, ne comburerentur paleæ, quæ sunt prope dictũ locum, cum tamen accideret, vt comburerentur, & consequenter periret puer, qui esset super dictis paleis, talis fur fieret irregularis, quia licet adhibuerit omnem diligentiam possibilem ne comburerentur paleæ, dabat tamen operam rei illicitæ; secus esset si esset Dominus galinarum, qui iuisset ad locum galinarũ noctu, vt haberet oua, vel ad occidendã aliquam galinam, & adhibuisset diligentiam sufficientem, ne paleæ comburerentur.

4. Tertia regula est quod ille, qui dat operam rei licitæ, sed non adhibet debitam diligentiam, ne ex sua opera sequantur aliquod homicidium, aut hominis mutilatio, fit irregularis, si ex tali inaduertentia homicidium, aut hominis mutilatio sequeretur; vt si quis in tecto cõponeret tegulas prope aliquam viam cõmunem, in qua hominum frequentia esse solet, nullo adhibito signo, ex quo cognoscant transeuntes illac non esse transeundũ, & propterea tegula hominem occideret, fieret irregularis, quia licet daret operam rei licitæ, non tamen adhibuit debitam diligentiam ne pertranseuntes ex illa opera sua læderet. Illæ Regulæ sunt D. Thomæ, & omnium Doctorum, quæ ponuntur ad agnoscendum quinam fiant irregulares ex homicidio casuali, vel mutilatione casuali; ex quibus deducuntur fere infiniti casus; quorum multos ponit Armilla in verbo irregularitas. Syluester & multi alij Doctores,

ctores, quos ego prætermitto, quia facile solui possunt consideratis ipsismet regulis.

Adnotabo tamen quod per dictas regulas est irregularis ille, qui infantem in lecto necat dormiens, etiam si id inaduertenter faciat, quia qui cum talibus dormit dat operam rei illicitæ; est enim pæna excommunicationis ipso facto cõtra eos, qui cum paruulis antequam integrum annum habeant dormiunt, saltem in nostra Mediolanensi Ecclesia; si autẽ adhibita diligentia, maxime præscripta in nostra Ecclesia, & casu suffogatur puer, nulla erit irregularitas, quia datur opera rei licitæ, & adhibetur debita diligentia, ita expresse Sanctus Thomas 2. 2. qu. 64. ar. 8. & Armilla in summa verbo irregularitas.

Aduertendum est secundo, quod ad istas regulas reducitur illa quæstio, an sit Irregularis Clericus, qui cum alio rixatur illicitè, si parentes, vel amici eius superuenientes eum interficiant absque vllo consensu Clerici, & consilio. Et respondeo quod sic, secundum Ioannem Andream in capitulo Petrus de Homicidio, Abatem, Felinum, & communem, quam refert, & sequitur Nauarrus in Manuali cap. 27. nu. 177. Occasione istius quæritur à Doctoribus vtrum Clericus, siue alius, qui in domum alterius intrauit, vt adulterium committeret, & maritum se deffendendo occidit, fiat irregularis; videtur enim quod sic, quia intrauit in domum illius, vt daret operam rei illicitæ, ex alia parte videtur quod non.

5. Primo quia supradictũ est ex Clementina de Homicidio, quod qui occidit alium se deffendendo cum moderamine inculpatæ tutelæ, non fit irregularis, deinde quia se deffendere non est illicitum. Syluester in summa verbo Homicidium tertio qu. 4. §. 3. Sanctus Antoninus 3. p. suæ summæ tit. 5. D. Thomas secunda secundæ q. 64 ar 8. & ibi etiam Caetanus in commentariis, Nauarrus in Man. cap. 27. n. 238. vbi dicit sic declaratum fuisse à Pio V., dicũt talem esse irregularem, quia dabat operã rei illicitæ.

His tamen non obstantibus aliqui dixerunt probabilius esse talem non esse irregularem si seruauit moderamen inculpatæ tutelæ se deffendendo, ita Sot. lib. 5. de iust. & iure q. 1. ar. 9 vbi rationem, quæ mihi satis placet, assignat Syluester, quod etiam si adulterium fuerit omnino voluntarium, homicidium tamen inde sequutum non est voluntariũ; tutius tamen est talem dicere esse irregularem, maxime cum aliqui dicant in curia Romana in facti contingentia responsum fuisse talem indigere dispensatione, vt Maiolus lib. 5. cap. 48.

6. Demum notandum est, quod ex dictis manifeste patet, quod si quis directe, vel indirecte procurat abortum, vel dat causam abortus, est irregularis si foetus est animatus anima rationali si vero non est animatus, peccat quidem mortaliter non tamen fit irregularis, quia non committit homicidium, non enim est homo ille, qui nondum habet animam rationalẽ, ita dicunt omnes Doctores.

7. Quod si dicas quãdo fœtus est iudicandus animatus, anima rationali? Respondeo quod D. Augustinus in Epistola ad Dionysium dicit marem formari quadragesima die post conceptionem anima rationali, fœminam vero Octuagesima die; Aristoteles lib. 7. Historiæ animalium cap. 3. & Plinius lib. 7. cap. 6. tenẽt & ipsi animam rationalem in maribus quadraginta, in fœminis vero octuaginta si in foetu eiecto cognoscatur sexus fœmineus, iudicandus est non irregularis, si masculinus, censendus est irregularis; si vero sexus non potest cognosci, præsumendum est eum esse masculũ saltem in foro interiori, quia in foro interiori tutior pars est eligenda, si autem sequatur abortus procuratus post quadraginta dies à conceptione, iudicandus est irregularis ille, qui abortum procurauit iuxta prædicta, etiam si foetus non cognoscatur masculinus, vel fœmininus.

MEM-

MEMBRVM VLTIMVM.

De irregularitate, quæ oritur ex alijs delictis.

1 *Irregularitas contracta ex delicto patrato ante ordinis susceptionem.*
2 *Irregularis fit suscipiens ordines minores, & vnum ex maioribus eadem die.*
3 *Excommunicatus suscipiens ordines maiores fit irregularis.*
4 *Item alium bis baptizans.*

PRæter delictum homicidij, & mutilationis, sunt nonnulla alia delicta, quæ maxime versantur circa ordines sacros, ex quibus oritur irregularitas, quia sic statuerunt Sacri Canones, ex quibus delictis aliqua committuntur ante ordinationem, seu ordinum susceptionem, aliqua committuntur in ipsa susceptione; aliqua vero committuntur post ordinum susceptionem; & demum quarto aliqua possunt committi & ante ordinum susceptionem, & post.

1. Dico ergo primo, quod per delictum, quod committitur ante ordinis susceptionem fit irregularis ille Clericus, qui solemniter ministrat in ordine sacro, quem non habet; vt si Acolytus celebraret Missam, vel ministraret aliquod Sacramentum putà extremam vnctionem, vel Sacramentum penitentiæ, fieret irregularis; excipitur tamen Baptismus sine solemnitate in casu necessitatis. Similiter si Clericus, vel Subdiaconus cum stola Euangelium cantaret solemniter in Missa, vel cum Manipulo Clericus non Subdiaconus caneret Epistolam in Missa. Est tamen controuersia vtrum non Subdiaconus possit cãtare Epistolam sine Manipulo absque periculo irregularitatis; & licet aliqui dicant, quod si canit Epistolam in loco vbi sunt Subdiaconi, qui possint eam cantare fit irregularis; Sed quoniam vsus est in contrarium nõ est dicendum, modo fiat sine Manipulo.

2. Dico secundo, quod in ordinum susceptione fit irregularis ille, qui vna, & eadem die suscipit ordines minores cum aliquo sacro; item qui duos ordines sacros eodem die suscipit; item qui ordines sacros suscipit extra tempora absque dispensatione; hoc autem intelligendum est non quòd fiant irregulares in susceptione ordinum, sed tantum suspensi, & postea irregulares, si absque dispensatione, vel absolutione à suspensione exercent susceptos ordines.

3. Dico tertio, quod propter delictũ fit irregularis ille in ordinatione cum sit excommunicatus excommunicatione maiori, scienter in illa ordines maiores suscipit, vel qui ordines maiores suscipit ab Episcopo, qui renuntiauerit Episcopatui, & dignitati, aut ab Episcopo nominatim Excommunicato, vel propter publicam Clerici percussionem. Et notandum est hic, quod omnis excõmunicatus excommunicatione maiori, & omnis suspensus ab officio ordinum, siue suspensio sit lata à iure, siue ab homine, siue sit ad tempus, siue non ad tempus, siue propter crimen, siue propter infamiam, si ministret in ordinibus sacris, fit irregularis.

4. Dico vltimo, quod est irregularis ille, qui bis aliquem Baptizat, vel Baptizat eum, quem putat non esse Baptizatum, seu quem nescit esse Baptizatum ex ignorantia crassa, quia noluit inquirere prius an esset Baptizatus; secus si ex ignorantia probabili, verbigratia quia obstetrix interrogata, an infans esset Baptizatus, respondit quod non, qui tamen erat Baptizatus: Similiter esset irregularis ille, qui scienter secũdo Baptizatur, quod non est dicendum de reiteratione

ratione Sacramenti Confirmationis, aut Ordinis, quia Canones tantum loquuntur de reiteratione Baptismi, licet aliqui Doctores aliter dixerint.

Dicit demum Nauarrus, quod propter delictum enorme publicum homo fit irregularis. An vero sit irregularis, vel tantum suspensus, qui cum titulo ficto ordinatur, dicam infra, vbi de suspensione.

MEMBRVM VLTIMVM.

De dispensatione in irregularitate.

1 *Irregularitas quot modis tollatur.*
2 *Per Baptismum.*
3 *Per religionem approbatam.*
4 *Per dispensationem Summi Pontificis.*
5 *Per dispensationem Episcopi in delicto occulto.*
5 *Confessarius vigore bullæ Iubilei, an possit dispensare in aliqua irregularitate.*

1 IN hoc membro vnum tantum quæritur, idest quot modis tollitur irregularitas. Respondeo secundum omnes Doctores, & prout nos supradiximus, quod tribus modis potest tolli, idest vel per Baptismum, vel per Professionem in Religione approbata, vel per dispensationem.

2. Per Baptismum, vt etiam dixi in secunda parte istius tractatus de Sacramentis, vbi de Baptismo, tollitur omnis irregularitas, excepta illa quæ oritur ex deffectu natalium, & illa quæ oritur ex Bigamia, & ita optime declarat Syluester verbo Baptismus, vbi explicat effectus Baptismi.

3 Per religionem approbatam tolluntur multæ irregularitates, & maxime illæ, quæ ex delicto oriuntur, & aliæ fiunt faciles, vt dispensentur, nam facilius Papa dispensat in irregularitate religiosi Claustralis, quam Religiosi sæcularis, sed de hoc viderint ipsi Religiosi Claustrales.

4. Per dispensationem Summi Pontificis potest tolli omnis irregularitas, quia vt in principio dictum est, irregularitas est impedimentum inductum à Iure Pontificio, & non à Diuino, seu naturali, & propterea in tali impedimento potest Summus Pontifex dispensare, quodlibet illud sit. Nisi dicamus Papam non posse dispensare in muto iam ordinato, vt celebret, quia hoc est impedimentum de iure naturali, & hoc est quod diximus supra, Papam nec debere, nec posse dispensare in Muto.

5 Episcopus per nouum Ius Concilij Tridentini potest dispensare in omni irregularitate, quæ oritur ex delicto occulto, excepta tamen illa, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum, & in quibuscunque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reseruatis delinquentes quoscunque sibi subditos in Diœcesi sua, per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputatum in foro cõscientiæ gratis absoluere imposita pœnitentia salutari.

Ex quibus verbis notat Nauarrus in Manuali, quod aliqua irregularitas, imo omnis irregularitas, quæ oritur ex delicto occulto excepta illa, quæ oritur ex homicidio voluntario, facilius potest tolli, quam illa, quæ oritur ex deffectu, vt est illa, quæ oritur ex iusta hominis occisione, nam hæc quæ oritur ex iusta occisione non potest tolli, aut dispensari per Episcopum, illa vero, quæ oritur ex delicto occulto potest dispensari per Episcopum.

Quod si dicas, irregularitas, quæ oritur ex deffectu natalium oritur ex delicto, ergo ab Episcopo potest tolli. Respondeo quod irregularitas, quæ oritur

ex

ex deffectu natalium non oritur ex delicto illius personæ, quæ est irregularis, sed ex delicto Parentum; nos autem cũ dicimus Episcopum per Concilium Tridentinum posse dispensare in irregularitate prouenienꞇe ex delicto occulto, intelligimus de delicto personæ, quæ est irregularis.

6. Dices secundo vtrum Confessarius possit dispensare in irregularitate vigore Bullæ Iubilæi, quando Bulla illi concedit, vt possit absoluere ab omnibus censuris & pœnis. Aliqui Doctores existimauerunt partem affirmatiuam esse veram, & ratio eorum est, quia dicitur, à pœnis, sed nulla pœna est à qua possit Confessarius absoluere præter peccata, & censuras, quam irregularitas. Sed contrarium est dicendum secundum cõmunem Doctorum opinionem, vt bene dicit Sotus lib. 5 de iu. & iur. q. 1. art. 4. vbi dicit quod vigore talis Bullæ non potest Confessarius dispensare in irregularitate, nisi præter peccata, censuras, & pœnas fiat mentio etiam de facultate dispensandi in irregularitate, nam sub nomine peccatorum, censurarum, aut pœnarum non includitur irregularitas, quia irregularitas de sua natura neq; est peccatum, neque est censura, neque est aliquando pœna, nam pœna non est, aut non debet esse, vbi culpa non præcessit, sed irregularitas aliquando nõ oritur ex culpa; imo aliquando oritur ex actu meritorio, vt est illa quæ oritur ex homicidio iusto, ergo irregularitas si communiter sumatur, non est pœna. Nauarrus in Man. cap. 27. nu. 250. idem dicit quod Sotus; & Ratio huius est. Primo quoniã quando Pontifex concedit hanc facultatem dispensandi in irregularitate, eam exprimit in particulari dicendo, à censuris, pœnis, & irregularitatibus.

Secundo quoniam quando Papa dat facultatem dispensandi in irregularitate per Bullam solet excipere irregularitatem, quæ oritur ex Bigamia, & ex defectu natalium. Tertio quoniam Papa quando, solet concedere indulgentias, & dare particularem facultatem absoluendi à censuris, & pœnis, id facit, vt fideles facilius per remotionem censurarum possint sua peccata confiteri, ab illis absolui, & ita indulgentias cõsequi, sed irregularitas, non est impedimentũ propter quod aliquis non possit absolui à peccatis, & indulgentias consequi, nã quantum ad absolutionem à peccatis, & consecutionem indulgentiarum nihil reffert, an sit irregularis, nec ne ille, qui vult consequi absolutionem à peccatis, & indulgentias, non sic de suspensione, excommunicatione, & interdicto.

Quid autem sibi velit Clausula, A pœnis. Respondet Nauarrus esse aliquas pœnas, quæ impediunt absolutionem à peccatis, quæ nec sunt censuræ, nec peccata, neque irregularitates; vt si Confessarius imposuisset mihi hanc pœnitentiam, vt amplius non possem confiteri, nisi post talem diem, vel tali die, hæc pœna nec esset peccatum, nec censura, nec irregularitas, & de hac intelligenda est bulla, vel de huic simili.

TRA-

TRACTATVS DE SVSPENSIONE.

Quæcunque de suspensione tractanda sunt quinque capitibus absoluemus.

In primo agemus de suspensione secundum se.

In secundo de potestate suspendendi.

In tertio de modo seruando in ferenda suspensione.

In quarto de potestate absoluendi à suspensione.

In quinto, & vltimo de suspensionibus in particulari.

Erunt autem hæc omnia digna scitu, maxime ab Ecclesiasticis personis, quia tantum ipsi suspendi possunt, vel suspendendi, accipiendo suspensionẽ stricto modo, prout est censura Ecclesiastica, de qua tantum hic agemus.

CAPVT PRIMVM.

De suspensione secundum se.

1 *Suspensio quid sit quantum ad nomen.*
2 *Suspensio quot modis accipiatur.*
3 *Suspensio quid sit quoad rem.*
4 *Culpa, ob quam quis incurrit suspensionem.*
5 *Suspensio quotuplex sit.*
6 *Suspensio ab officio quotuplex sit.*
7 *Quænam interdicantur per suspensionem ab officio.*
8 *Suspensus ab officio, an censeatur suspensus à beneficio.*
9 *Suspensus ab ordine an sit suspensus ab actibus iurisdictionis.*
10 *Quid si quis sit suspensus ab aliquo ordine tantum.*
11 *Suspensus ab officio Diaconi, an sit suspensus ab officio prædicandi.*
12 *Quid sit suspendi a beneficio.*
13 *Suspensus a beneficio in vno loco, an censeatur suspensus & in alio loco.*
14 *Varij modi suspendendi quomodo sint interpretandi.*

1 IN hoc capite primo quæritur quid sit suspensio quantum ad nomen. Respondeo quod illud nomen suspensio dictum est ex eo quod facit stare quasi pendentem potestatem officij, aut Beneficij, taut licet suspensus habeat potestatem, non tamen possit ea vti.

2 Secundo quæritur quot modis sumatur hoc nomen suspensio. Respondeo quod duobus modis, vno modo generalissimè, prout se extendit ad quodlibet officiū non Clericale; & in hoc sensu Glosa in Clementina accipientes, de pœnis inter suspensos enumerat suspensium ab officio aduocandi, & ab officio Notarij; & in hoc sensu Princeps vel Senatus dicitur suspendere aliquando Iudicem ordinarium, Notarium, vel Prætorem ab officio suo. Alio modo sumitur strictè, prout est Ecclesiastica censura distincta ab alijs censuris, idest ab excommunicatione & interdicto, & hoc modo tantum hic à nobis summitur.

3. Tertio quæritur quid sit suspensio quantum ad rem sumptam stricto modo, prout est censura Ecclesiastica. Respondeo quod est censura Ecclesiastica, qua Clericus Sæcularis, vel Regularis ob aliquam sua culpam à lege, vel à iudice prohibetur ab exequutione sui officij, vel beneficij Ecclesiastici in totum, vel in parte vsque ad certū tempus, vel quo ad partem in perpetuum; ita fere deffinit suspensionem Nauarrus in Man. cap. 27. nu. 151.

Dixi primo, censuras, tum quia est genus ad suspensionem, omnis enim suspẽsio est censura, non autem contra omnis censura est suspensio; nam inter censuras præter suspensionem enumeratur excommunicatio, & interdictum; tum etiam ad significandum, quod hic deffinitur suspensio stricto modo accepta.

Dixi secundo, Ecclesiastica, ad significandum quod suspensio stricto modo accepta non potest ferri nisi ab Ecclesiastica persona habente Ecclesiasticam iurisdictionem.

Dixi tertio, qua Clericus, ad significādū quod Laicis nō potest ferri suspensio stricto modo accepta, sed Clericis tantum.

Dixi quarto, Sæcularis, vel Regularis, ad significandum, quod non tantum Clerici Sæculares, sed etiam Regulares suspendi possunt.

Dixi quinto, ob culpam, quia licet D. Augustinus 3. p. tit. 29. cap primo, & Alfonsus de Castro de potestate legis pœnalis lib. 1. cap. 1. arbitrentur aliquando posse imponi suspensionem sine culpa; quorum fundamentum est in iure præsertim in capitulo tum nos de Clerico ægrotante; & in capitulo 1. de Doctorib. in 6. vbi videntur Clerici suspendi ob morbum, vel alium deffectum corporis: communis tamen sententia est suspensionem quatenus censura est, nunquam incurri sine peccato, vt optime dicit Nau. dicto nu. 151 quia suspensio vt censura est pœna, pœna autem non datur sine culpa; neque fundamentum alterius sententię subsistit, quia in capitibus citatis Clerici non propriè suspenduntur suspensione, quæ est censura Ecclesiastica; sed solum suspenduntur, idest declarātur inhabiles ad ministrandum in ordinibus, propter infirmitatem, quam habent, quę est inhabilitas quædam ad ministrandū in ordinibus proueniens à iure naturali, vt si Sacerdos fit stultus, & ideo suspenditur à celebratione Missæ ab Episcopo, illa suspensio non est propriè censura, quia non datur propter culpam Sacerdotis, sed est quasi declaratio, quod talis Sacerdos non debet celebrare, quia stultus non potest celebrare, cum non habeat vsum rationis, & hoc impedimentum est de iure naturali, non enim Pontifex statuit non habentem vsum rationis non posse celebrare, quia natura ipsa hoc prohibet.

Dixi sexto, suam vel propriam, quia communis opinio est quod ad incurrendum in suspensionem requiritur culpa propria, nec sufficit aliena, vt dicit Sotus in quarto distinctione 22. quæstione 3. articulo primo, & Nauarrus in Manuali cap. 27. numero 151 & alij.

Dixi septimo, à iudice, vel lege, quia alia est suspensio quæ fertur à lege, & alia quæ fertur à iudice.

Dixi octauo, ex exequutione officij, vel

vel Beneficij Ecclesiastici, quia aliquando quis suspenditur ab officio, vel Beneficio, aliquando ab officio tantum, & aliquando à Beneficio tantum.

Dixi nono, in totum, vel in partem, quia aliquando quis suspenditur ab exequutione alicuius beneficij tantum, vel partis Beneficij.

Dixi decimo, in certum tempus, vel in perpetum, quia aliqua suspensio est ad tempus, aliqua in perpetuum; item dixi, In perpetuum quoad partem, quia vt dicit Nauarrus loco citato, prohibitio totius exercitij officij, vel Beneficij in perpetuum est depositio, vel priuatio, & non suspensio; vt etiam sentit Panormitanus citatus à Nauarro.

Quarto quæritur quanta culpa requiratur ad hoc, vt quis incurrat in suspensionem, an videlicet sufficiat peccatum veniale. Nauarrus loco citato, & Caetanus in summa verbo suspensio, Armilla etiam in summa verbo suspensio, & alij dicunt sufficere venialem culpam. Idem ego sentio, quotiescunque per talem suspensionem priuetur Clericus aliquo actu Ecclesiastico parui momenti; secus autem si per suspensionem priuetur Beneficio, vel celebratione Missæ, vel Sacramentorum participatione, alioue notabili ministerio Clericali, tum enim cū sit grauis pæna, nonnisi ob grauem culpam imponi debet.

5. Quinto quæritur quotuplex sit suspensio? Respondeo quòd aliqui dicūt duplicem esse suspensionem, aliam quæ est censura Ecclesiastica, aliam quæ licet omnis, qui sit in peccato mortali debeat abstinere ab exercitio Ecclesiastico, antequam peccatorum illum pæniteat, tamen impropriè dicitur suspensus, quia omnis suspensus, qui exercet aliquod munus Ecclesiasticum pertinens ad ordinem maiorem, fit Irregularis, & non omnis, qui est in peccato mortali, & exercet tale officium fit irregularis, sed tantum si est excommunicatus, vel suspensus; dicendum igitur est suspensionem commode, & sufficienter quadrupliciter diuidi posse.

Primo enim diuiditur ex parte causæ efficientis, & sic duplex est suspensio, vna à iure, altera vero ab homine.

Secunda ex parte causæ finalis, & sic etiam duplex est, vna in pænam delicti, altera ob contumaciam.

Tertio ex parte causæ formalis, & sic duplex est etiam, vna, quæ absolute fertur, altera vero quæ fertur cum conditione.

Quarto ex parte causæ materialis, & sic triplex est, vna ab officio, altera à Beneficio, alia ab vtroque.

6. Sexto quæritur quotuplex sit suspensio ab officio. Respondeo quod duplex est, vna in totum, altera ex parte; prior semper est ad tempus; nam vt supra dixi, si esset in perpetuum, non suspensio, sed depositio diceretur. Posterior verbo potest esse & ad tempus, & in perpetuum; & hæc rursus multiplex est, videlicet nonnunquam à diuinis officijs, nonnunquam à iurisdictione aliqua, aliquando ab ingressu Ecclesiæ, nōnunquam ab actu alicuius ordinis, aliquando à cantu & choro.

7. Septimo quæritur, quænam interdicantur per suspensionem ab officio. Panormitanus capitulo cum dilectus de consuetudine dicit, quod per suspensionem ab officio duo interdicuntur, alterum exercitium ordinis; vnde si Episcopus sit suspensus ab officio, non poterit ordines conferre, exercere Pontificalia, consecrare Ecclesiám, prædicare, celebrare &c. Aduertendum est hic quod per suspensionem non prohibetur Clerico officium quo fungitur vt Laicus, vt dicunt Doctores, vnde posset Baptizare in articulo necessitatis. Alterum est iurisdictio Clericalis, vel Ecclesiastica; vnde si suspensus ab officio sit Episcopus non poterit communicare, Indulgentias dare, Beneficia conferre. Si sit Canonicus non poterit eligere; cum Panormitano tenet communis opinio, Angelus, Thabiensis, Armilla in suis summis verbo suspensio, & alij omnes contra Glossam 24. quæst. 1. capitulo audiuimus, quæ censet non interdici iurisdictionem suspensi ab officio, nisi suspendatur etiam à iurisdictione; sed errat

hæc Glosa, & tenendum est cum communi opinione, propterea quod officiũ Clericale dicit actum ordinis, & iurisdictionis, vnde ab officio suspensus, ab vtroque actu dicitur suspensus, videlicet ordinis, & iurisdictionis.

8. Vltimo quæritur vtrum suspensus ab officio intelligatur etiam suspensus à Beneficio. Glosa in sexto de electione capitulo quia sæpe, dicit, quod suspensus ab officio est suspensus ab omnibus Beneficijs. Fundamentum eius potest esse, quia propter officium datur Beneficium; contraria tamen sententia vera est, quod scilicet suspensus ab officio ex vi talis suspensionis non intelligatur suspensus à Beneficio.

Primò quia pœnæ sunt restringendæ, deinde quia quando Canones volunt suspensum ab officio etiam esse suspensum à Beneficio, solent id exprimere; & ita tenet omnis opinio contra Glosam.

Ex his sequitur quod suspensus ab officio nõ potest eligi, vt cõmuniter dicũt Doctores, & ratio est quia electio est ad officium Clericale, quo ipse fungi nõ potest, cum ab ipso sit suspensus.

9. Sed dices primo, vtrum quando aliquis suspenditur ab ordine intelligatur etiam suspensus ab actibus iurisdictionis Ecclesiasticæ, ita vt nulla sit differentia inter suspensum ab officio, & suspẽsum ab ordine; Angelus, Syluester, Tabiena, & Armilla in suis summa verbo suspensio, dicunt quod suspensus ab ordine est suspensus ab actibus iurisdictionis; ita vt idem censendus sit suspensus ab ordine & suspensus ab officio, & ita tenet communis opinio; & ratio est quia iurisdictio est accessorium ad ordinem, sublato autem principali tollitur accessorium, vel vt alij dicunt Ordo est fundamentum iurisdictionis, sublato autem fundamento ruit ædificium.

Quod si obijcias Abbatissam cõferre Beneficium, quod pertinet ad iurisdictionem, quæ tamen non est capax ordinis, ergo Ordo non est fundamentum iurisdictionis. Ad hoc respondent communiter Doctores, quod illi conceditur ratione Religionis; at vero id non Religioso nõ conceditur nisi ratione ordinis; Contra communem sententiam videtur sentire Nauarrus in Man. cap. 27. n. 160. vbi dicit, quod suspensus ab ordine non est suspensus à iurisdictione; sed melius est tenere cum sententia communi, quæ est tutior in conscientia.

10. Dices secũdo, quid si quis suspẽdatur tantum ab aliquo ordine in particulari, vel ab aliquo actu certi, & determinati ordinis? Respondeo quod si talis Ordo sit inferior, intelligitur suspensus à superiori, non è contra; vt si quis sit suspensus à confessione, poterit celebrare, si à celebratione, poterit Euangeliũ canere, si à lectione Euangelij tantum, poterit canere Epistolam; ita Syluester in summa verbo suspensio, & communiter alij Doctores. Et si Episcopus suspendatur à collatione ordinum, nullum ordinem poterit conferre; si vero suspendatur à collatione alicuius ordinis in particulari, in tali casu poterit conferre ordinem inferiorem, non autem superiorem, vt dicunt omnes Doctores; vnde si suspendatur à collatione ordinum minorum, non poterit conferre maiores, neque minores; si vero suspendatur à collatione maiorum ordinum, poterit conferre minores, non maiores, & si Episcopus suspendatur ab ordine Episcopali, non poterit ordinare, confirmare, neque Chrisma conficere, neque virgines Benedicere, quia hæc annexa sũt ordini Episcopali; poterit tamen celebrare, Baptizare, quia hæc non sunt munera Episcopalia, sed Sacerdotalia; si vero Episcopus est suspensus ab officio Sacerdotij, vel à Sacerdotalibus, intelligitur etiam suspensus ab Episcopalibus, quia Episcopalia sunt maiora.

11. Dices tertio vtrum suspensus ab officio Diaconi, vel Sacerdotis, intelligatur suspensus à prædicando.

Notandum est cum communi Doctorum opinione, quod suspensus à prædicando non intelligitur suspensus à celebrando, vel ab alijs officijs; sicut neque suspensus à confessionibus audiendis intelligitur suspensus à celebrando; Tota difficultas est è contra, vtrum videlicet suspensus ab officio Diaconi, vel Sacerdotis

dotis

dotis, intelligatur suspensus à prædicando, quæ tota difficultas quidem ex hoc pendet, an actus prædicandi pendeat à Diaconatu, vel à Presbiteratu. Aliqui dicunt actum prædicandi conuenire Sacerdoti, & Episcopo ex officio ex institutione Christi. Diacono autem dicũt, quod conuenit actus prædicandi de lege humana ex officio, vt dicit Nauarrus cum Caetano in Man. cap. 27. nu. 163. vnde concludunt, quod suspensus ab officio Diaconi, vel Sacerdotis, intelligatur etiam suspensus ab actu prædicandi: alij è contra sentiunt quod prędicare non sit officium proprium Sacerdotis, vel Diaconi, sed indifferenter eius cui committitur ab Ecclesia, licet non committatur nisi Sacerdoti, vel Diacono; vnde concludunt quod suspensus ab officio Diaconi, vel Sacerdoti, non intelligatur suspensus à Prædicando; vtraque sententia est probabilis.

12. Dices quarto, quid si quis suspendatur à Beneficio? Respondeo communem sententiam esse, quod intelligatur suspensus à fructibus, & emolumentis Beneficij, & his actib⁹, & prærogatiuis, quas habet ratione Beneficij; puta sedendi in Choro &c. Potest tamen celebrare, & dicere diuina officia, & administrare spiritualia, & temporalia; ita Syluester in summa verbo suspensio, & alij.

13. Dices quinto, vtrum suspensus à Beneficio in vno loco intelligatur suspensus à Benefioio in alio loco. Respondeo quod si talis suspensio procedat à Papa, vel iure communi, talis suspensus intelligitur suspensus à quibuscunque beneficijs vbicunque ea habet. Si vero procedat ab Episcopo, intelligitur suspẽsus ab omnibus Beneficijs quæ obtinet in Ecclesijs subiectis illi Episcopo, non alijs subiectis, & ita dicunt omnes Doctores.

Dices sexto, vtrum suspensus à Beneficio possit retinere sibi ex fructibus tantum quantum necesse est ad congruam sibi sustentationem. Respondeo &

Dico primo si suspensus est propter delictum, & non habet patrimonium, vel honestam aliquam industriam, qua possit se sustentare, potest retinere.

14. Dico secundo, quod si suspensus sit propter contumaciam nihil potest retinere, sed oportet, vt aliunde sibi quærat, etiam si oportuerit mendicare; & ratio est quia ipse est in culpa talis necessitatis, cum si voluerit potuerit euitare talem suspensionẽ, ita Glosa in Clementina de ætate, & qualitate capitulo vt hi.

Dices septimo, quam vim habeat suspensio alternatiua, idest lata in hanc formam, suspendo te ab Officio, vel Beneficio. Respondent Doctores quod nullam vim habet; & talis non est suspensus neque à Beneficio, neque ab officio; ita Syluester, Tabiena, Armilla in suis summis verbo suspensio, & alij omnes.

Vltimo dices, quam vim habeat suspensio absolute lata in hanc formam, suspendo te non expresso ordine, aut Beneficio, aut officio: quidam dicunt talem suspensionem nullam habere vim, & ratio est quia imperitia Iudicis sic ferentis suspensionem non debet obesse Reo. Alij dicunt attendendam esse causam ob quam talis suspensio fertur, quoniam qualem meretur suspensionem delictũ, talis incurritur, vnde si delictum meretur suspensionem ab officio, talis incurritur, similiter si à Beneficio, itidem si ab vtroque simul. Alij dicunt vim habere suspendẽdi ab officio, quia hæc est principalis suspensio. Alij demum dicunt habere vim suspendendi ab officio simul & Beneficio, sicut nomine excommunicationis intelligitur maior, quæ comprehendit minorẽ, & hæc est sententia Syluestri in summa verbo suspensio, & hæc est probabilior cæteris.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

De Potestate suspendendi.

1 *Potestatem suspendendi quis habeat.*
2 *Potestas censurarum alia ordinaria, alia delegata.*
3 *Parochus an possit ferre censuras.*
4 *Prapositi, aut Archipresbiteri an possint suspendere Canonicos sua Ecclesia.*
5 *Quis possit suspendi.*
6 *Vniuersitas tota an possit suspendi.*

QVæritur primo. Quis habeat potestatem suspendendi? Respondeo ex communi Doctorum opinione tradi hanc Regulam generalem, videlicet quòd quicunque habet potestatem excommunicandi, habet etiam potestatem suspendendi, & interdicendi, & è contra qui non habet excommunicandi potestatem, nec habet potestatem suspendendi, vel interdicendi.

Quod si dicas, qui sunt illi qui habeat potestatem excommunicandi. Pro responsione ad hoc.

Notandum est primo, quod potestas excõmunicandi nõ est potestas ordinis, aut vniuscuiusque iurisdictionis, sed tantum spiritualis & Ecclesiastica.

Notandũ est secundo, quòd hæc potestas non est in foro interiori pænitentiæ, sed exteriori.

Notandum est tertio, quod cum hæc potestas sit Ecclesiastica, & spiritualis, iure Canonico requirit saltem primam tonsuram, vnde infertur quod duo genera personarum non possunt excommunicare.

Primo Laicus, nisi hoc haberet ex speciali facultate Papæ.

Secundo Fœmina etiam si sit Abbatissa, vel Priorissa.

2. Vltimò notandum est quod potestas excommunicandi potest haberi ex officio, vel Delegatione, vel ex speciali commissione Papæ, vel per præscriptionem ex longa consuetudine, vt dicit Nauarrus in Manuali capitulo 27.

Atque ex dictis dicunt Doctores, quod habent potestatem excommunicandi Papa primus, deinde Patriarcha, Archiepiscopus, Episcopus, Concilium Generale, Prouinciale, Legati, Nuntij Appostolici, Capitula Cathedralium Ecclesiarum Sede vacante, Conseruatores Appostolici.

Visitatores item ab Episcopis destinati. Inquisitatores fidei Catholicæ. Monachorum item omnium, vel Religiosorum Præfecti, quales sunt Generales, Prouinciales, Priores, Guardiani, & Rectores, qui conuentibus perficiuntur, & alium in eisdem conuentibus superiorem nullum agnoscunt. Item Vicarij Episcoporum, & hi omnes etiam suspendere possunt.

Quod si dicas Parochi possunt ne excommunicare, & consequenter suspendere?

Ad hoc dico primo, quod Parocho nullam facultatem excommunicandi dant Canones, & ratio est quia hæc potestas nullibi est apud Canones.

Dico secundo, quod si Episcopus daret illis facultatem talem, possent vti.

Quod si dicas, Abbatissa, quæ sub se habet moniales, vel Canonicas Sæculares, vt contingit in Germania, vel habet Clericos sibi Subditos, potest

rest ne eos suspendere ab officio, vel Beneficio, vel vtroque simili? Glosa, & Innocentius capitulo dilecta de maioritate, & obedientia, affirmant si consuetudo extet; ratio est quia talis consuetudo iurisdictionem ordinariam illis confert; & fouere videtur textus dicti capituli vbi Honorius Tertius mandat cuidam Abbati obseruari suspensionem à quadam Abbatissa factam Clericis ab officio, & Beneficio. Contrarium docent alij, & ratio eorum est, quia qua ratione prohibitum est Abbatissæ excommunicare, etiam prohibitum est eadem ratione suspendere, & interdicere; nam, sicut excommunicatio, ita suspensio, & interdictum, sunt censuræ Ecclesiasticæ, quæ pertinent ad Claues, quarum munus non est penes mulieres, & ita dicit Syluester, & Tabiena in suis summa verbo suspensio, loquendo strictè, & propriè; licet largè & impropriè possint, puta præcipiendo subiectis ne celebrent donec satisfecerint, subtrahendo præbendas, & similia, qui tamen si conueniant, licet peccent, non incurrunt in irregularitatem; & hæc fuit mens Honorij tertij in dicto capitulo dilecta.

4. Quod si dicas, præpositi, & Archipresbiteri nostræ Ciuitatis, & Diœcesis possuntne suspendere Canonicos, vel Clericos suarum Ecclesiarum? Respondeo quod non, sicut nec eos excommunicare, quia si possent eos suspendere per regulam iam dictã, possent eos excommunicare, hoc autem intelligendum est nisi habeant particularem facultatem ab Episcopo. Si autem Vicarij Foranei sint, aut vrbis Præfecti, tantam habent auctoritatem suspendendi, quantam eis Episcopus tribuit.

5. Secundo quæritur quis possit suspendi. Respondeo ex communi Doctorum opinione, sententiaque, solum posse suspendi personas Ecclesiasticas, & in hoc differt suspensio ab excommunicatione, interdicto, & irregularitate, quod in excommunicationem interdictum & irregularitatem possunt incurrere Laici, in suspensionem vero solum Clerici: conuenit autem suspensio cum depositione, & degradatione; quod sicut suspensio, ita & depositio, & degradatio sunt pænæ propriæ Clericorum tantum, & non aliorum.

6. Quod si quæras an possit suspendi communitas tota, seu vniuersitas, conuentus, collegium, capitulum Clericorum seu Sæcularium, seu Regularium. Respondeo affirmatiuè, vt bene docet Nauarrus loco citato numero 165. intelligendo per communitatem communitatem Clericorum; & in hoc differ suspensio ab excommunicatione, quia Communitas, Collegium, Vniuersitas, Conuentus Clericorum Sæcularium, seu Regularium non possunt excommunicari, sed quidem suspendi; conuenit tamen cum interdicto, quia communitas &c. interdici potest ex capitulo primo Ne sede vacante.

Notandum est autem hic ex Innocentio quarto in Cõcilio Lugdunensi, quod nullius constitutionis sententiæ, vel mandati vigore Episcopi incurrunt in excommunicationem, nisi specialis mentio fiat de illis.

Nota secundò Alexandrum quartum in cap. Pontificali de officio, & potestate iudicis delegati in 6. præscribere Conseruatoribus modum, quem seruare debeant, priusquam ad suspendendos Episcopos veniant.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

De modo seruando in ferenda suspensione.

1 *Causa, ob quas possit ferri suspensio.*
2 *Quos suspensos teneamur euitare.*
3 *Suspensio quando sit ferenda, & quomodo.*
4 *Suspensio post legitimam appellationem nulla est.*

1 PRimo quæritur ob quam causam possit suspensio Iure Infligi? Respondeo quod in hoc differt suspensio ab excommunicatione secundum cõmunem Doctorum opinionem, quod excommunicatio non potest ferri nisi ob contumaciam, at vero suspensio non ob contumaciam, sed etiam ob pænam delicti ferri potest. Ob contumaciam fertur, quando ob peccatum futurum, siue à iure feratur, siue ab homine: à iure, quãdo ius sic imponit suspensionem, puta Clericus, qui intra triduum non restituerit, vel non soluerit decimas, ipso iure pænam suspensionis incurrat. Ab homine, si Episcopus proferat sententiam contra Clericum in hunc tenorem, si ex loco discesseris, suspendo te ab officio &c. In pænam autem delicti fertur quãdo fertur ob præteritum aliquod delictum, puta si à Iudice puniente Clericũ conuictum ab aliquo crimine imponatur suspensio à celebrando, vel prædicando, vel aliquo alio ministerio Ecclesiastico exercendo.

2. Secundo quæritur, quos suspensos teneamur euitare? Respondeo ex communi Doctorum sententia in hoc conuenire suspensionem cum excommunicatione, quod videlicet non teneamur euitare suspensos, nisi sint nominatim excõmunicati, & sententiati, vel sint suspensi ob notoriam Clerici percussionem.

Quod si dicas in quibus tenemur euitare nominatim suspensos? Respondeo quod in eo tantum in quo sunt suspensi; vt si sunt suspensi à celebratione Missæ, non possumus ab eis licite Missam audire. Si sunt suspensi à Confessione, non possumus illis confiteri, & in hoc differt suspensio ab excommunicatione, quod excommunicatum euitare tenemur in omnibus contentis in illo versiculo os, orare, vale &c. suspensum vero tenemur euitare tantum in illa re à qua est suspẽsus.

3. Tertio quæritur quando ferenda est suspensio? Respondeo & dico primo, quod ex decreto Innocentij IV. vt habetur capitulo primo de sententia excommunicationis in sexto, ferri debet in scriptis exprimentibus causam suspẽsionis, & nota hic quod illud capitulum procedit quo ad suspensionem latam ab homine; secundo quod si aliter feratur iniusta quidem est, sed est valida; tertio quod licet valida sit talis tamen illam ferens incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officijs per mensem, & in his suspensio conuenit cum excommunicatione.

Dico secundo suspensionem ferri debere præcedente canonica monitione; vt habetur capitulo reprehensibilis de appellationibus, quod quidem procedit non de suspensione, quæ à iure fertur, sed ea quæ fertur ab homine. Secundo non de ea, quæ fertur ab homine in pænam delicti, sed de ea, quæ fertur ob contumaciam.

4. Dico tertio, quod suspensio lata post legitimam appellationẽ nulla est, & in hoc conuenit cum excommunicatione; at vero suspensionem iam latam non suspendit appellatio sequens, sicut neque excommunicationem, saltem in materie spiritualibus, & de hoc vide Syluestrum in summa verbo suspensio.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

De potestate absoluendi à suspensione.

1 *Quis possit absoluere à suspensione.*
2 *Per quæ verba tollatur suspensio.*
3 *Vigore Iubilæi an possit quis absolui à suspensione.*

1 QVæritur primo quis possit absoluere à suspensione. Pro responsione notandum est, quod aliter dicendum est de suspensione lata à iure, aliter de lata ab homine; ideo de vtraque seorsim breuiter dicendum est.

Et quidem quo ad suspensionem latam à iure Doctores in vno conueniunt, & in altero discrepant; conueniunt enim in hoc quod si lata sit ad tempus à iure, nō possit Episcopus ab ea absoluere, & pro hac opinione citant communiter Doctores & sequuntur Innocentium in capitulo, secundo de absolutionibus, si vero lata sit à iure suspensio simpliciter; discrepant Doctores aliqui enim affirmant posse ab Episcopo tolli talem suspensionem, quotiescunque eius non reseruat illam Papa, ita Syluester in summa verbo suspensio, & alij. Aliqui cum distinctione sic loquuntur, quod si suspensio sit à iure simpliciter lata ob contumaciam possit ab ea Episcopus absoluere non autem si in pænam delicti ita Panormitanus, quem citat & sequitur Nauarrus loco citato nu. 162.

Ego dico nunc per Concilium Tridētinū sess. 24. c. 6. de reformatione licere Episcopis dispensare in omnibus irregularitatibus & suspensionibus, quæ proueniunt ex delicto occulto, excepta ea, quæ venit ex homicidio voluntario, & ijs quæ sunt deductæ ad forum contentiosum, vnde infertur posse Episcopum absoluere à suspensione, quæcunque illa sit siue ob contumaciam, siue in pænam delicti dummodo non sit deducta ad forū contentiosum.

Quod secundam opinionem idest, quæ ab homine lata est notandum est, quod dupliciter potest fieri vno modo simpliciter, puta contra aliquem Clericum nominatim altero modo generaliter, puta qui hoc, vel illud fecerit, hoc vel illud omiserit sit ipso facto suspensus, & sic Respondeo & dico primo si priori modo lata est nullus alius potest ab ea absoluere, quam qui eam tulit, vel eius superior Prælatus. ita Syluester loco citato & communiter alij omnes, si vero posteriori modo, potest absoluere quicunque, qui potest absoluere ab excommunicatione.

Quod si dicas, quid de eo, qui suspensus est sub aliqua conditione, verbigratia, sub hac forma, donec satisfaciat. Respondeo quod nulla absolutione est opus, quotiescunque adimpleta sit conditio, ita Nauarrus in summa cap. 27. nu. 161. & notandum est quod quando per sententiam lata est à Iudice, suspēsio sub conditione donec satisfaciat, cautus debet esse suspensus in satisfaciendo, vt cō stet de satisfactione, ita vt probari possit.

2. Secundo quæritur per quæ verba tollatur suspensio? Respondeo tolli posse per quæcunque verba significantia illa tolli; non enim ex præscripto Ecclesiæ certam aliquam formam retinemus, quanquam vsu communi, & consuetudine recepta est hæc videlicet casu quo quis certo in eam incurrit absoluatur sub hac forma. Absoluo te à vinculo suspensionis, quā ob talem causam incurristi, & restituo te pristinæ executioni, casu vero quo dubium sit num Clericus incurrerit suspensionem absoluitur sub hac forma absoluo te ex vinculo suspensionis si quam incurristi, vel ex Nauarro in Manuali capitulo 27. numero 161.

 si te-

si teneris aliquo vinculo suspensionis à quo ego possim te absoluere te absoluo.

Et aduertendum est hic suspensionem in hoc conuenire cum excommunicatione, quod ante absolutionem debet præcedere satisfactio, & iuramentum de stando præceptis Ecclesiæ.

3. Dices, quam facultatem tribuunt confessarijs absoluendi à suspensione Iubilæa, vel aliæ Bullæ concedentes, vt quis possit sibi eligere Confessarium, qui absoluat ab omni peccato, censura, & pæna Ecclesiastica? Aliqui recentiores contendunt probare nullam tribuere facultatem. Verum contraria sententia est vera, & tenenda, quam docet Medina in sua instructione confessorum cap. 11. quod videlicet Confessarij electi virtute Iubilæorum absoluere possint ab omnibus suspensionibus, sicut diximus Concilium Tridentinum concedere Episcopis, videlicet in foro pænitentiæ tantum, & hæc sententia apertè probari videtur ex verbis, quæ habentur in Iubilæis, & Bullis, in quibus legimus, quod quis absolui possit ab omni censura, & pæna Ecclesiastica; & qui totum dicit nihil excludit cum ergo dicitur, ab omni censura, & pæna Ecclesiastica, non video quomodo facultas hæc nõ se extendat ad suspensionem.

Aduerte hic etiam posse quem virtute Iubilæi absolui à Confessario electo à suspensione, quam incurrit recipiendo sacros ordines ante legitimam ætatem, non tamen poterit dispensari, vt possit ministrare ante legitimam ætatem in ordinibus susceptis, absolutio enim ista, si quid prodest illi, tantum proderit vt statim ac peruenerit ad legitimam ætatem possit ministrare in ordinibus susceptis; quippe quod duo sunt consideranda in promoto ad ordines ante legitimam ætatem, Vnum est suspensio, quam ipso facto incurrit ex constitutione Pij, secũdi, quæ incipit, cum ex sacrorum alterũ est irregularitas, in qua remanet ob defectum ætatis legitimæ, primum tollitur per confessionem modo dicto. Secundum remanet donec completa sit ætas, nisi tamen sic suspensus celebrasset iam ante legitimam ætatem, quia tunc aliam incurrisset irregularitatẽ ex vigore eiusdem constitutionis, quæ egeret dispensatione.

CAPVT VLTIMVM.

De suspensionibus in particulari.

1 *Quibus modis incurratur suspensio.*
2 *Suspensiones latæ ex Decreto.*
3 *Pæna inflicta violantibus suspensionem.*
4 *Suspensiones latæ in Concilio Tridentino.*
5 *Suspensiones latæ in Decretalibus.*

1 QVæritur primo, quibus casibus incurratur in suspensionem? Respondeo, esse multiplices. Quorum alij continentur in Decreto, Alij in Decretalibus. Alij in sexto. Alij in Clementinis. Alij in Extrauagantibus in corpore iuris. Alij in Concilio Tridentino, & seorsim de singulis dicendum est.

Ex Decreto.

2 VBi primo sunt ipso iure suspensi Clerici, qui publice sunt concubinarij, seu notorij fornicatores. dist. 42. cap. nullus. & dist. 8. capitulo si quis.

Et notandum est hic, quod ad hoc vt incurratur in hãc suspẽsionem debet casus, ita esse notorius, vt nulla possit tergiuersatione celari ex decreto Gregorij noni, quod habetur capitulo finali, de cohabitatione Clericorum, & mulierum.

Notandum est secundo, quod olim erat

erat vitandus Clericus concubinarius publicus, ideſt non erat ab eo audienda Miſſa, neque percipienda ſacramenta: nunc vero non eſt talis obligatio; quia post Concilium Cōſtantienſe ſunt vitandi tantum excommunicati, ſuſpenſi, aut interdicti, nominatim denunciati, vel notorij clericorum percuſſores. Bartol. Medina in ſua ſumma cap. 11. dicit non incurri amplius in hanc ſuſpenſionem, quia canones antiqui, quo ad hoc non ſunt amplius in vſu, ſed hoc non auderem ita facile affirmare.

Secundo ſuſpenſi remanent Epiſcopi per annum à celebratione Miſſæ ſi ordinant ſcienter pænitentem ſolemniter vt habetur d 55. cap. nullus.

Tertio ſuſpenſi remanent Epiſcopi per annum à celebratione Miſſæ ſi ordinant inuitum, & reclamantem, vt habetur d.74.cap.1.

Quarto duobus menſibus ſuſpenſi remanent ab officio clerici, qui poſt celebratam Synodum Prouincialem infra ſex menſes non conuocant omnes præſbiteros ſuæ ciuitatis, & diœceſis illis acta omnia talis Synodi referendo; ita d.78.cap. vltimo.

Quinto ſuſpēditur Epiſcopus ſi in ſua diœceſi ordinat Monacum ſine licentia ſui Abbatis ita d.85. cap. vltimo.

Sexto remanet ſuſpenſus ille, qui recipit ordines ſcienter ab Epiſcopo Simoniaco, licet non ſimoniace; ita d.1. qu.1. cap. ſi quis ſimoniacè.

Septimo remanet ſuſpenſus, ille, qui ordinatur abſque titulo Beneficij, vel Patrimonij; ita d.20. capitulo neminem.

Octauo remanet ſuſpenſus ille per annum à celebratione Miſſæ, qui Miſſam dimittit incompletam, ſine graui neceſſitate; vt habetur d. 7. qu. 1. capitulo nihil de conſecratione d.1. cap. nullus Epiſcopus.

Quod ſi dicas liceret ne celebranti Miſſam in aliquo caſu dicto iam introitu, Gloria in Excelſis; Epiſtola, vel etiam Euangelio redire rurſum ad inchoādam Miſſam. Immiſſelanijs, Miſſelaneo 87. dicit licere vrgenti caſu, & dicit quod ipſe auderet etiam dicto Euangelio redire ad introitum, quando aliquis Princeps magna comitatus caterua iter faciens, & diuertens ad Eccleſiam iuxta iter poſitam, in qua ipſe Miſſa, et id rogaret, dicit itē hoc licere, quando ſuperuenirent, tot, & tales operarij, vel negotiatores, qui ſi diutius expectarent tædio afficerentur, vel iacturam negotiorum ſuorum facerent; & ita dicendum eſt. Imo auditur quod Romæ id practicatur, quotieſcunq; Miſſæ ſuperueniunt Cardinales, vel Epiſcopi, nec hoc eſt mirum, quia id non prohibetur à iure.

Nono remanet ſuſpenſus per annum à communione Sacerdos celebrans, & non communicans in Miſſa quam dicit, etiā ſi plures dicat eodem die.

Decimo remanet per tres annos cum dimidio ſuſpenſus Diaconus, qui Laicū mortuum palla altaris inuolueret, vel ea ſcapulas ipſius operiret; ita de conſecratione d.1. can.1.

13. Quæritur ſecundo, quam incurrat pænam ille, qui violat ſuſpenſionem.

Reſpondeo primo, quod qui violat ſuſpenſionem peccat mortaliter ex natura rei, ſecundo eſt excommunicatus ſi ſcienter eam violat, Tertio eſt deponendus ſi ſcienter celebret, quarto incurrit in irregularitatem, licet ſint aliquis caſus de quibus eſt dubium apud Doctores vtrum violantes ſuſpenſionem incurrant in irregularitatem? Reſpondeo ſecundo eſſe aliquot particulares caſus, de quibus dubitatur, num ſuſpenſus fiat irregularis.

Primo eſt quando ſuſpenſus exercet actus quatuor ordinum minorum. Quidam enim negant fieri irregularem; ita D. Antoninus 3.p. tit. 28. cap. 1. contraria ſententia communis eſt Summæ Angelicæ in verbo irregularitas 1. §. 4. vbi alij citant Sylueſtrum in ſumma verbo irregularitas. §. 15. Tabiena verbo irregularitas. Nauarr. in Man. cap. 27. nu. 163. ratio eſt quia canones loquuntur abſolutè, nec diſtinguunt inter maiores & minores ordines, ſed dicunt abſolute quod ordinatus, qui cum ſit ſuſpenſus ex officio exercet munus ſuorum ordinum ipſo facto ſit irregularis, dicunt tamen Doctores citati, quod duo requiruntur vt ſuſpenſus ordinatus exercens actum ſui ordinis fiat irregularis. Primum eſt

quòd sciat se esse suspensum, nam si ignorat se esse suspensum, & celebrat in suo officio nō fit irregularis, modo ignorantia non sit culpabilis. Secundum est vt exerceat actus dictorum ordinum solemniter vel ex officio, puta vt ordinatus ad tale officium, non autem si exerceat vt quilibet alius Laicus. Est notandum hic quod non dicuntur Clerici quātum ad hoc propositum ex officio, vel solemniter exercere actus minorum ordinum, quotiescunque induti superpelliceis ministrant Missæ; sed quando his ordinibus initiati ad sic seruiendum sunt in Ecclesia destinati, & designati propterea nunquam ferè arbitror Clericos suspensos incurrere in irregularitatem ex eo quod exercent actus suorum ordinū minorum, ex eo quod vsus sic solemniter exercendi sit ab Ecclesia sublatus; non enim aliqua differentia sit inter Acolytū, & simplicem Clericum ad inseruiendū Missæ, sed promiscuè vtimur Clericis & non ordinatis in functionibus ordinum minorum secus tamen esset si quis ordinatus in minoribus semel fungeretur officio suorum ordinum, vt haberet fidē functionum, vt posset ad vlteriores ordines promoueri; nam tunc se exerceret ex officio proprio intendendo exercere actum sui ordinis, tunc enim si esset suspensus fieret irregularis. Secundus casus est de Clerico primæ tonsuræ tantum qui suspēsus exercet officium suū, cōmētatur Sum. Angelicæ in verbo irregularitas 1. §. 4. dicit talem incurrere in irregularitatē, sed communis opinio quod non, quia prima tonsura non est ordo, & canones dicunt, quod ordinatus qui ex officio cum fit suspensus ab officio se exerceat in suis ordinibus sit irregularis, sed simpliciter Clericus non dicitur ordinatus.

Tertius casus est de Clerico, qui cū sit suspensus ab ordine inferiori exercet actum superioris ordinis. Quidam dicunt talem tantum peccare mortaliter, quia qui à minori opere prohibetur, prohibetur etiam à maiori. Contraria sententia est communis, quod videlicet fiat irregularis; ita Angelus Syluester, & alij verbo suspensio.

Quartus casus est de Clerico suspenso ab ordine inferiori, qui recipit ordinem superiorem. Notandum est hic quod ex eo pendet tota difficultas, vtrùm cōtingat illi inter ordinationem exercere illius actum ordinis à quo suspensus est, vel superioris, quem recipit puta cantandi Epistolam solemniter, vel Euangeliū. Et sic Respondeo ad casum dicendo.

Primo quod si non contingat illi hoc nullam incurrit irregularitatem, vt dicūt omnes Doctores, quia suspensus nō prohibetur recipere ordines, sed se exercere in ordinibus.

Dico secundo, quod si hoc illi contingat probabilius est incurrere in irregularitatem, licet nonnulli videantur id negare.

Quod si obijciat quod licet non contingat hoc illi decantare solemniter tamen incedit inter indutos vestibus, & in signibus Diaconi, vel Subdiaconi de more Ecclesiæ. Respondeo hoc non esse exercere actum annexum ordini solemniter, nisi etiam cantet Epistolam, vel Euangelium.

Quintus casus est de Sacerdote suspenso ab officio, qui benedicit aquam, oua, vel facit aliquem similem actum, qui ex vsu & consuetudine Ecclesiæ est annex⁹ ordini sacro. Respondeo secundum cōmunem Doctorum opinionem, quod talis sit irregularis.

Sextus casus est de Clerico, qui suspensus ab officio sub hac conditione donec illum pæniteat, & exercet actum sui ordinis ante pænitentiam vtrum fiat irregularis, Angelus, Tabiena, & Syluester cum alijs dicunt quod non, & ratio est, quia talis suspensio videtur esse Dei, & nihil addit Canon, & sic dicendum est propter vtilitatem Doctorum & rationem.

De

De suspensionibus ex Concilio Tridentino.

4 SVspensi sunt ordinati, & litteras dimissorias capituli sede vacante infra annum ad beneplacitum futuri prælati, vt habetur sess. 7. cap. 10. de reformatione, & sess. 23. de reformatione cap. 10.

Item suspensi sunt ordinati ab Episcopo in Diœcesi alterius Episcopi sine licentia illius expressa, ita sess. 6. cap. vltimo de reformatione.

Item ordinati ab alijs Episcopis sine consensu proprij Episcopi sunt suspensi ad arbitrium proprij Episcopi; vt habetur sess. 14. cap. 2. & sess. 23. cap. 8. de reformatione.

Item suspensus est Parochus, vel quilibet alius Sacerdos alterius Parochiæ Suspensos audentes coniungere Matrimonio, vel benedicere, sine licentia illorum Parochi; vt habetur sess. 24. de reformatione matrimonij cap. 1.

Ex Decretalibus.

5 REcipientes duos ordines sacros eodem die sine dispensatione Papæ sunt ipso iure suspensi, vt habetur in capitulo vltimo de eo qui furtim ordines suscipit.

Item suspensus est ordinatus per saltu idest omisso medio ordine transiens scilicet de Subdiaconatu ad Sacerdotium omisso Diaconatu.

Item suspensi sunt ordinantes coniugatum ad primam tonsuram, & ordinantes Bigamum, vel Neofitum, vt passim tradunt Doctores.

Atque hoc de Suspensione.

TRACTATUS DE EXCOMMVNICATIONE.

Hic tractatus diuiditur in quatuor partes.

In quarum prima agetur de excommunicatione secundum se.

In secunda de potestate excommunicandi.

In tertia de absolutione ab excommunicatione.

In quarta de casibus, in quibus incurritur in excommunicationem ipso iure.

PARS PRIMA.

De Excommunicatione secundum se.

Haec pars diuiditur in quatuor capita.

In quorum primo dicam de nomine excommunicationis.

In secundo dicam de deffinitione excommunicationis.

In tertio dicam de effectibus excommunicationis.

In quarto dicam de diuisione excommunicationis.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

De Nomine Excommunicationis.

1 *Quid veniat nomine Excommunicationis.*
2 *Anathema quid sit.*
3 *Excommunicatio Gladius, seu Mucro Episcopi.*

1 Excommunicatio apud sacros Doctores pluribus nominibus appellatur; sed horum præcipua sunt hæc tria, Excommunicatio, Anathema, & Gladius, seu Mucro Episcopi.

Dicitur primo Excommunicatio, quasi priuatio, & suspensio à communione. excommunicare enim perinde est ac extra communionem ponere, communio vero est vnio, qua homines sunt vniti in aliqua re. Vnde Dominicus Sotus in 4. sent. d. 22. q. 1. ar. 1. dicit quod ex eo, quia Sanctissima Ecclesia per antonomasiam dicitur communio, eo quod, vt ait D. Dionysius Areopagita in libro de Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. vt etiam ego explicaui in tractatu de Sacramentis p. 4. per illud Sacramētum potissimum Christo capiti nostro coadunamur, & per illud in vnum corpus compingimur nos, qui membra Ecclesiæ sumus, ab hac sancta communione deriuatum fuit in primitiua Ecclesia Excommunicationis nomen, quod antea non fuerat in vsu. Nam notior excommunicandi mos ille primū fuit, vt homines propter manifesta peccata, à Sacrosanctæ Ecclesiæ communione arcerentur; quare excommunicari idē erat, quod extra Sanctam Communionē fieri, ne subinde à reliquorum Sacramentorum perceptione cohiberi, deinde vero, qui contumax erat, & pertinax in delicto trina monitione præmissa expellebantur à cætu Fidelium, & à suffragijs, & orationibus communibus; & ille, qui hoc modo erat excommunicatus dicebatur anathema, & hæc, vt ait Sotus loco citato, est distinctio inter maiorem, & minorem excommunicationem; nam excommunicatio maior includit minorem, & aliud addit.

2. Est ergo anathema idem prorsus, quod excommunicatio maior, vt habetur in quinta synodo can. certum 24. qu. 3. nisi quod anathema videtur incutere quendam maiorem terrorem, & ideo in concilijs, & in iure frequentior est vsus huius nominis anathematis, quam excōmunicationis. Et quidem differentia hæc, quæ est inter excommunicationem maiorem, quæ dicebatur anathema, & minorem quæ simpliciter dicebatur excommunicatio colligitur ex verbis Nicolai Papæ cap. de Presbiteris 17. qu. 4. vbi habetur, quod prius fratres delinquētes à sacra communione priuentur, deinde si obstinati fuerint ab Ecclesiæ compage sub anathematis interdicto resecentur.

Secundo excommunicatio dicitur anathema, quo vocabulo, vtuntur Concilia potissimum, vt patet in Tridentino & alijs etiam, & Summi Pontifices in multis capitulis sacrorum Canonum.

Quod si dicas quid proprie significat hoc

hoc vocabulum anathema, & an sit Hębreum, an Græcum? Respondeo de hoc esse duas opiniones; nam D. Hieronymus in Epistola D. Pauli ad Galatas cap. 1. dicit anathema esse vocabulum Hæbraicum, quo significatur id quod detestatio ni, maledictioni; & execrationi habetur, seu quo significatur detestatio ipsa, execratio, vel maledictio, & hoc probat quia numerorum cap. 21. legitur de illis ciuitatibus Cananæorum, quod postquã Hæbrei illas subuerterant vocarunt eas anathema, & Iosiè capite 6. cum Hierico esset subuertenda dicit Iosue fit ciuitas hæc de anathæma: in quo sensu, ait D. Paulus in Epistola prima ad Corinthios ca 12. nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Iesu, idest detestatur, & execratur Iesum, quare ex Hæbreis Ecclesia secundum D. Hieronymum desum psit hoc vocabulum anathema ad significandum excommunicationem eo, quod excommunicatus homo fit detestabilis, abominabilis, & execrabilis, hãc expositionem D. Hieronymi laudat Sotus in 4. d. 22. q. 1. ar. 1.

Alij Doctores dicunt anathema esse nomen Græcum significans idem, quod sepositum, seu separatum, aut sursum positum, vnde donaria, quæ templis afferebãtur, quia in ipsis templis suspendebãtur, itaut non possent tangi propter honoré, quia erant Dijs dicata anathemata appellabantur, quasi semota ab vsu humano, & propter hanc metaphoram excommunicati dicuntur anathemata, seu anathema tizati, quia sunt ab Ecclesia separati, & non licet cum eis communicare.

Primam opinionem tanquam magis verisimilem sequitur Sotus loco citato secundam vero, quæ est D. Augustini, vt videre est in expositionibus super libris Nummerorum, secuti sunt D. Hilarius, & Caetanus in expositione epistolæ Diui Pauli ad Romanos, circa illa verba optabam ego ipse anathema esse in Christo pro fratribus meis. Vtraque sententia est probabilis, & notandum est, quod si sequamur opinionem D. Augustini, quod videlicet vocabulum anathema deducatur ex voce Græca penultima ipsius syllaba erit producenda, si vero sequamur expositionem D. Hieronymi erit corripienda, vt ait Alphonsius de Vualdo in suo candelabro in tractatu de sententia excommunicationis nu. 17. Huic vocabulo anathema aliquando additur, & illud aliud maranata, vt in Epistola prima D. Pauli ad Corinthios ca. 16 vbi legitur si quis non amat D. N. Iesum Christum, sit anathema maranata, & capitulo Gulisetius 23. qu. 4. idem habetur. Exponitur autem hoc vocabulum maranata idest in aduentum Domini, scilicet nisi excommunicatus resipiscat.

3. Excommunicatio dicitur mucro, seu gladius Episcopi, vnde D. Cyprianus Epist. 11. libri primi Epistolarum docet pœnam excommunicationis in Euangelio successisse pœnæ legis veteris, quæ erat mors temporalis. Notandum enim est quòd cum in lege veteri pro multis criminibus Deus statuerit pœnam capitis in Euangelio Christus nullam huiusmodi statuit pœnam, sed tantum Principibus sæcularibus reliquit gladium ad vlciscendum crimina, Ecclesiæ vero tantum reliquit gladium spiritualem, & rationem quia lex vetus seu circuncisio erat carnalis, vt ait D. Paulus ad Colossenses secundo, nunc vero lex noua est mere spiritualis, vnde cum Deuteronomij 27. lata esset lex, vt quicunque Sacerdotem non exaudiret morte moreretur, loco illius in Ecclesia reliquit excõmunicationem, vt gladius, qui tunc erat ferreus esset in Euangelio spiritualis, atque hinc deriuatum est, vt potestas excõmunicandi dicatur Gladius, & mucro Episcopi, vt habetur 17. q. 2. capitulo viris.

Atque hæc sunt tria præcipua nomina quibus excommunicatio præcipuè appellatur. Dicitur etiam vinculum excommunicationis quia excommunicatus, est ligatus ne aliorum communioni se immisceat, dicitur etiam pœna excommunicationis, qua nulla maior reperitur in Ecclesia, nominatur etiam censura excommunicationis, vt modo dicam in cap sequenti, & dicitur sententia excommunicationis, vt habetur in Rubrica de sententia excommunicationis.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

De deffinitione excommunicationis.

1 EXcōmunicatio maior à Dom. Soto d. 22. in suo textu cap. 1. ita deffinitur, excommunicatio est censura Ecclesiastica, qua homo priuatur à participatione actiua & passiua Sacramentorum, à suffragijs, & orationibus communibus Ecclesiæ, & à cōmertio hominū. Excommunicatio vero minor est censura Ecclesiastica, qua homo priuatur à participatione passiua Sacramentorum; est enim duplex excommunicatio, altera maior, & altera minor, vt infra in ca. 4. explicabitur. Et pro declaratione dictarum deffinitionem.

Notandum est primo, quod tam excōmunicatio maior, quam minor deffinitur per nomen censuræ Ecclesiasticæ, quia cēsura Ecclesiastica est genus, quod comprehendit excommunicationem, suspensionem, & interdictum, reliqua vero, quæ ponuntur in dictis definitionibus, ponuntur loco differentiæ, in illis enim distinguitur excommunicatio maior, siue minor à suspensione, vel interdicto, & in hoc distinguitur excommunicatio minor ab excommunicatione maiori, quia excommunicatus excommunicatione minori est tantum priuatus à participatione passiua Sacramentorum, quia non potest ea recipere, licet possit ea ministrare, excommunicatus vero excommunicatione maiori, nec potest Sacramenta legitime recipere, nec alijs ministrare, & insuper est priuatus à participatione suffragiorum communium Ecclesiæ, & est separatus à fidelium commertio.

2. Et notant hic Doctores, quod communio fidelium est triplex, vna qua communicant inter se in charitate, & gratia, & hac non priuatur homo per excōmunicationem, sed per peccatum mortale, quod semper supponitur excommunicationi; Altera communio est in qua fideles communicant in orationib. & suffragijs communibus Ecclesiæ, & Sacramentis, & ea priuantur excommunicati. Tertia est in qua communicant fideles in commertijs, & hac etiam priuantur excommunicati, vt fusius explicabitur in capitulo sequenti.

CAPVT TERTIVM.

De effectibus excommunicationis.

ctum communem fidelium.

10 *Quid intelligant per verbum Orare.*

11 *Quid per Vale.*

12 *Quid per verbum Communio.*

13 *Quid nomine Mensa.*

14 *Excommunicatus non nominatim, an possit cum fidelibus participare.*

15 *Quod peccatum sit participatio cũ excommunicato?*

16 *In quot casibus peccet quis participando cum excommunicato.*

17 *Quomodo peccet participans cum nominatim excommunicato, aut publico Clerici percussore.*

18 *Cum his an liceat recitare officiũ.*

29 *An liceat aliquando cum his participare.*

20 *An liceat ab illis recipere sacramẽta, & quando.*

21 *An ex participatione cum excommunicato contrahatur excommunicatio.*

22 *An aliquando liceat participare.*

23 *Excommunicatus in vna ciuitate, an sit vbique vitandus.*

64 *A quorum perceptione priuet excõmunicatio.*

25 *Beneficiatus excommunicatus an faciat fructus suos.*

26 *Excommunicatus exercens actum ordinis sit irregularis.*

22 *Priuatur Ecclesiastica sepultura, & facit actus nullos.*

QVoniam deffinitio excommunicationis allata in capitulo antecedenti data est per effectus ipsiusmet excommunicationis, ideo in hoc capite statim post deffinitionem excommunicationis agitur de effectibus ipsius, & quia effectus excommunicationis maxime maioris multi sunt, ego in hoc capite ne nimis longum faciam tantũ præcipuos ennumerabo.

De primo effectu excommunicationis maioris qui est quod excommunicatus sit priuatus à participatione Sacramentorum.

1 ET hic primo quæritur vtrum excommunicatio priuet hominẽ à participatione Sacramẽtorũ, ita vt nõ solũ peccet excommunicatus illa suscipiens, vel ministrans, sed etiam Sacramentum sit nullum & inualidum. Et ad hoc, Respondeo quod si loquamur de omnibus sacramentis præterquam de Sacramento pænitentiæ nulla est dubitatio quin sacramentum valeat, licet propter excommunicationem ille, qui illud suscipit, & ministrat, peccet mortaliter, & qui illud suscipit non recipiat fructum Sacramenti, qui est gratia gratũ faciens, vt omnes Doctores fatentur, nam si duo Christiani excommunicati inuicem matrimonium contrahant, licet peccent mortaliter, si tamẽ sunt cętera requisita ad Matrimonium, validum est Matrimoniũ; similiter licet excommunicatus ordinetur, peccet ordinẽ recipiendo, remanet tamẽ ordinatus, & sic de alijs sacramentis. Tantũ restat dubium de sacramento pęnitẽtiæ, vtrũ validũ sit, si ab excõmunicato recipiatur, vel ministretur.

De quo sacramento Pænitentiæ in primis non est dubium, quin tam excommunicato etiam excommunicatione maiori, vel minori accedere ad Sacramentũ pænitentiæ, quam Sacerdoti illud ei administrare sit peccatũ, quia per excõmunicationem & vnus prohibitus est recipere, & alter conferre sacramenta quælibet, etiã si sit Sacramentum pænitẽtiæ: ita ait Caietanus in summa verbo absolutio, Sotus in 4. sent. d. 22. q. 1. artic. 1. & alij omnes, & cum collatio Sacramentorum, & susceptio eorundem sit res

res magni momenti, fit vt tale peccatū sit mortale, quare nunquam licet à peccatis aliquem absoluere antequam absoluatur ab excommunicatione si est notum quod sit excommunicatus nisi forte casus contingeret, vt quis dum confitetur, tam proximus esset morti, vt animā iam exalaret, adeo vt præmitti nequiret absolutio ab excommunicatione sine periculo, & moreretur sine absolutione à peccatis, in hoc enim casu ait Adrianus quæstione 2. de Clauibus dicto penultimo, absoluendum esse illum à peccatis antequam absoluatur ab excommunicatione, sed licet hoc verum sit si casus posset contingere, quia intentio piæ Ecclesiæ non est obijcere obstaculum saluti morientis, qui per absolutionem à peccatis posset fieri de atrito contritus, est tamen casus qui nunquam contingere potest, quia vnico verbo posset fieri absolutio ab excommunicatione, & peccatis, imo hoc verbum Absoluo re cum intentione absoluendi ab vtroque sufficeret: ita Sotus loco supra citato.

Sed hoc ante præmisso dubium est vtrum si excommunicatus priuatus absoluretur à peccatis antequam absoluatur ab oxcommunicatione, sacramentum teneret. Ad hoc respondeo cum Caetano loco supra citato tria.

Primo quod si scienter absoluitur, vel per ignorantiam vincibilem à peccatis antequam absoluatur ab excommunicatione, non percipit fructus Sacramēti, quia accedit in peccato; imo committit nouum peccatum, & ideo ponit obicem gratiæ, & hoc quidem certum est nec de illo dubitari potest.

Secundo ait quod si accedat ignorans inuincibiliter vel factum, (scilicet se esse excommunicatum,) vel ius (videlicet excommunicato non licere accedere ad sacramentum) tunc non solum sacramētum est validum, sed etiam fructū gratiæ recipit, & hoc verū est & in hoc etiam consensit. Adrianus loco supra citato, & Pal. d. 14. q. 4. licet Sotus in 4. & Sylueller in summa contrariū videantur dicere, & suffragatur bona ratio, nā aliter nemo esset tutus, an vere esset absolutus, quia nemo scit certe, se nō esse excōmunicatum saltem excommunicatione minori; item quia licet excōmunicatus celebrans incurrat in irregularitatē, tamen si inuincibiliter ignorans celebrat, non incurrit in irregularitatem, quia excusatur à culpa, idem ergo erit si ignoranter sacramentum recipiat.

Tertio addit Caetanus, quod absolute loquendo absolutio sacramentalis impensa excommunicato valet, quantū ad sacramentum ipsum, licet non quantum ad fructum, vt quando scienter excōmunicatus accedit ad sacramentum pœnitentiæ, vt absoluatur prius à peccatis, quare si integrè confiteatur, inquit Caetanus, etiam de illa excommunicatione, & ab ignaro Sacerdote absoluatur non tenetur iterare confessionem, sed sufficit contritio ad recipiēdam postea gratiā.

Sed in hoc maxime errat Caetanus, vt dicunt quamplurimi alij Doctores, & vltimo Franciscus Toletus lib. 1. Institutionis Sacerdotis cap. 9. num. 4. & ratio est, quia ad hoc, vt aliquod sacramentū sit validum, necessario requiritur materia, & forma illius Sacramenti cum intētione Ministri faciendi saltem id, quod facit Ecclesia; sed quando excommunicatus scienter accedit ad sacramentum pœnitentiæ, & petit absolutionem à peccatis, ibi non est materia Sacramenti pœnitentiæ, quia non est contritus, non enim potest esse contritus ille, qui habet intentionem peccandi, nō recipiēdi absolutionem à peccatis, quod est illi prohibitum, & illicitum, & tamen contritio est præcipua pars Sacramenti Pœnitentiæ, vt dictum & probatum fuit, vbi actum est de Sacramento pœnitentiæ.

Dicendum igitur est, quod si quis sciēter excommunicatus vult absolutionem à peccatis, antequam absoluatur ab excommunicatione peccat mortaliter, quia excommunicatio eum priuat à participatione Sacramentorum, & quod absolutio à peccatis non esset valida propter deffectum contritionis, quia tunc peccat, & contritus non

 potest

non potest esse ille, qui habet animum peccandi mortaliter, imo neque attritus.

Secundo quæritur vtrum excommunicatus possit ministrare Sacramenta.

Ad hoc respődēdū est eo modo quo responsum est in tractatu de Sacramentis, vbi egimus in prima parte de Ministro Sacramentorum, quod videlicet excommunicatus excommunicatione maiori semper peccat mortaliter ministrando aliquod sacramentum, excepto Baptismo in casu necessitatis, & fortassis excepto sacramento pœnitentiæ in casu necessitatis; & ratio huius est, quia excommunicatus est priuatus non tantum participatione passiua, sed etiam actiua sacramentorum si est excommunicatus excommunicatione maiori, si vero sit excommunicatus excõmunicatione minori, potest ministrare sacramenta, sine peccato, quia excommunicatio minor tantum priuat participatione passiua sacramentorum, vt supra dictum est, & infra dicetur in capitulo sequenti, an vero sit peccatum mortale petere sacramenta à sacerdote excommunicato, dicetur infra, prout etiam responsum fuit in tractatu de Sacramentis in prima parte.

De secundo effectu excõmunicationis maioris, qui est priuatio à communibus suffragijs Ecclesiæ, & orationibus, seu precibus.

4 Certum est excommunicatū non participare de fructu earum precationum, orationum & sacrificiorum, quæ pro omnibus Christifidelibus nomine Ecclesiæ quotidie communiter offeruntur Deo, cuiusmodi sunt Missarū sacrificia, horariæ preces, quæ offerūtur à Sacerdotibus, & ab ijs qui sunt in sacris, & qui obtinent Beneficia, & maxime à Canonicis, & omnes orationes, quæ fiunt in vniuersa Ecclesia.

Et hic quæritur primo, vtrum excommunicatus, qui redit ad cor, idest quem pœnitet omnium suorum peccatorum, & qui facit quod potest vt absoluatur ab excommunicatione, & sit vere contritus sit priuatus his suffragijs.

Sotus in 4. dist. 22. quæst. 1. art. primo dubitatione secunda, & nonnulli alij affirmant.

Sed contraria sententia deffenditur à multis alijs, & à Nauarro in Manuali cap. 27. num. 36. à Coaruuia super capitulo Alma Mater, à Ricardo in 4. distintione 18 articulo 7. quæstione secunda, & alijs; & ratio eorum est, quia non videtur esse mens Ecclesiæ, quod talis excommunicatus, qui est in gratia Dei per contritionem, & facit quod potest vt ab excommunicatione absoluatur, remaneat priuatus communibus Ecclesiæ suffragijs.

6. Secundo quæritur, num pro excõmunicato possit Sacerdos in celebratione Missæ secreto orare in illa oratione, quæ dicitur Memento; Dominicus Sotus loco citato, Angelus in summa verbo Missa §. 51. & Syluester verbo excommunicatio primo. §. secundo Thabiensis in

in summa verbo excommunicatio primo §. primo, & alij nonnulli negant, & ratio eorum est, quia Missa est oratio publica. Sed alij Doctores affirmant, & fundamentum illorum est, quia illud tẽpus conceditur sacerdoti, vt priuato nomine possit Deo commendare quem vult, etenim in Missæ sacrificio sacerdos fungitur munere duarum personarum, publicæ videlicet & priuatæ, & vt publica persona solum potest orare pro his pro quibus vult Ecclesia, & persona priuata potest orare pro illis pro quibus vult, sed vt persona priuata orat in ea precatione, quæ dicitur memento.

7. Dices potest ne sacerdos applicare excommunicato eam partem, quæ sibi debetur ex sacrificio Missæ? Respondeo affirmatiuè, & ratio huius est quia iste fructus est particularis istius Sacerdotis; ita Nauarrus in Manuali cap. 27. nu. 36.

Aduertendum hic est, quod licet Ecclesia prohibeat ne nomine & intentione Ecclesiæ orationes publicæ applicentur excommunicatis, potest tamen quilibet suo nomine priuato orare pro excommunicatis, maximè vt Deus eos conuertat.

††

De tertio effectu excommunicationis, qui est priuatio à communi conuictu fidelium.

8 HIc primo quæritur an excõmunicatis sit prohibita participatio cum fidelibus, & an fidelibus sit prohibita participatio cum excommunicatis, quantum ad communem conuictũ. Et respondeo affirmatiuè ex iure canonico, vt etiam dicunt omnes Doctores, est tamen differentia inter antiqua iura, & ius nouum, tempore Sancti Thomæ non licebat participare cum excommunicato siue esset occultus, siue manifestus, siue denuntiatus, at vero 1400. tempore Martini Papæ V. & Sigismundi Imperatoris in Concilio Constantiensi edita est constitutio, vt fideles non teneantur euitare excommunicatos siue in diuinis, siue extra diuina, præterquam in duobus casibus. Quorum primus est quando excommunicatus est nominatim, & publice denuntiatus. Secundus quando quis est manifestus percussor Clerici, licet non sit denuntiatus.

9. Secundo quæritur, quid intelligũt Doctores per conuictum communem fidelium. Respondeo quod intelligunt illa quinque comprehensa in illo carmine, quod communiter à Scolasticis, Canonistis, & Summistis describitur, vt videre est apud Maiorem in 4. d. 18. qu. 2. apud Sotum in 4. d. 22. qu. 1. art. 4. & apud summistas in verbo excommunicatio, quod carmen est hoc.

Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.

Tertio quæritur, quid intelligatur in dicto carmine per os. Respondeo quod intelligitur interdici quæuis locutio, siue ea per ipsammet personam fiat, siue per nuntium, siue per litteras actiuè, vel passiuè, idest mittendo, & remittendo, vel recipiendo, nisi vt infra dicetur ad salutem eius pertineat, quod vulgo dicitur in conuertendo, vel nisi coram excõmunicato ipso aliquis concionatur, vel

Theo-

Theologiam legat, quia hæc spectant ad illius correctionem. Itē per hos intelligitur interdici osculum pacis, amplexus in signum charitatis &c. Ita Alphōsius Viualdus, vbi agit de excommunicatione nu. 27. & alij omnes.

10. Quarto quæritur, quid intelligatur in dicto carmine per orare. Respondeo quod intelligitur prohiberi orare cū excōmunicato oratione publica, idest quod non licet audire Missam cū eo simul, nec interesse simul diuinis; nec recitare horas Canonicas cum illo, nec interesse processioni cum illo.

Sed dices an liceat intra eandem Ecclesiam in alio Sacello audire Missam excōmunicato audiente in alio. Respondeo quod sic, ita Armilla, Caetanus, Nauarrus, & alij vbi agunt de excommunicatione.

Rursus dices an sit communicare cum excommunicato, si excōmunicatus obiter transit per Ecclesiam, dum ego audio sacrum, licet aliquantulum oret: itē si sit in aliqua parte Ecclesiæ negotiādo. Respondeo cum Caetano, & Armilla hoc non esse communicare, quia parum pro nihilo reputatur: & ille, qui est in Ecclesia, vt negotietur, non dicitur formaliter adesse sacris, sed tantum materialiter, potest tamen adesse concioni, & lectioni sacræ scripturæ, & potest cū illo recitari oratio Angelica mane, meridie, & vesperi cum datur illius signū.

11. Quinto quæritur, quid intelligatur per vale in dicto carmine? Respondeo quod intelligitur prohiberi salutationem, vt resalutationem quamcunque non solum per verba in presenti, sed etiam per nuntium. Hic aduertit summa Armilla verbo excommunicato n. 40. secuta D. Antoninum in 3. p. suę sum. tit. 22. cap. 2. & Alphonsium Viualdum, vbi de excommunicatione in suo Candelabro n. 87. quod neq; in casibus particularib⁹ in quibus licite cum excommunicatis participatur vtendum est solita salutatione in loquendo vel scribendo, sed dicendum est, Deus te emendet, vel Deus te conuertat, vel spiritum consilij senioris det tibi Deus.

Sed dices prohibetur ne hic detegere caput, vel assurgere excōmunicato absque vllo verbo, cum non sit loqui, & cū pœnæ non sint extendendę, sed potius restringendæ, & cum aperire caput, vel assurgere non sit salutare, Angelus in verbo excommunicato 8. nu. 8. tenet partē negatiuam, similiter S. Antoninus 3. p. tit. 25. cap. 2. Arm. in summa verbo excommunicatio nu. 41. licet etiam afferat contrariam opinionem, quam sequitur Dominicus Sotus in 4. d. 22. q. 1. ar. 4. & Maior in 4 q. 10. art. 2.

Sed contraria opinio est communior, vt ait Syluester in summa verbo excommunicatio 5. & eū sequitur Nau. in Man. cap. 27. nu. 20. & probatur quia in communi hominum conuictu, & pollicia aperire caput, & assurgere sunt signa cōmunicationis politicæ, & salutationis.

Ego dico secundam sententiam esse veriorem, primam tamen posse iudicari probabilem, & Nauarrus loco citato dicit illā posse sustineri, dummodo aperitio capitis non fiat animo salutandi, sed subintelligatur, Deus te conuertat.

12. Sexto quæritur quid intelligatur nomine, communio, in dicto carmine. Respondeo quod intelligitur quæcunq; communicatio, quæ fit quocunque contractu, aut commertio operando, faciēdo, aut habitando in aliqua eadem domo, vel eius parte; aduerte tamen quod si quis pro diuerso negotio esset cum excommunicato in eadem domo, non diceretur participare cum excommunicato, ita Armilla in summa verbo excommunicatio num. 42. quæ sequitur Innocentium primum Summum Pontificem quē citat.

13. Septimo quæritur, quid intelligatur nomine Mensæ in dicto carmine. Respondeo quod per mensam intelligitur prohiberi quæcunque cōmunicatio, quæ fit in eadem mensa, vel conuiuio, vel lecto, & ita omnes Doctores.

Sed dices quid si ego essem inuitatus ad aliquod festum, vel conuiuiū, & reperiam pariter ibi esse inuitatum aliquem excommunicatū? Respondeo mihi recedendū esse, neque accumbendum esse in aliqua alia etiam mensa, neque etiam in alia domus parte ipsius inuitantis:

Tun-

Fundamentum est quia tunc simul inuitati dicimur simul commedere, etiam si distinctis locis accumbamus; ita D. Antoninus 3.p. tit.25. cap 2. vers. 4 & Nauarrus loco citato, & alij communiter. Secus omnino esset si quo in aliquo hospitio extāte ad mensam accedens excōmunicatus sedeat in eadem mensa, vel in diuersa ad manducandum, quia illud non esset communicare ad manducandum in Mensa, quia sunt diuersa formaliter prandia, quando nō sunt socij ad comendendum.

Secundo dicet aliquis, quid si aliquis amico excommunicato venienti comedere in domū suā mittat claues, & permittat eum separatim cōmedere in sua domo? D. Antoninus loco supra citato, Dicit primo, quod si hoc faciat in fraudem, vt eum non offendat, seu vt fauorē eius requirat, incurrit in excommunicationem minorem. Dicit secundo quod talem excommunicationem non incurrit si facit hoc, quia timet ne forte ille vim inferat.

14. Octauo quæritur vtrum excommunicatus non nominatim possit cum alijs loqui, orare, alios salutare &c. Pro responsione notandum est diligenter, quod constitutio concilij Constantiensis de qua supra diximus, quod non prohibet vitari excommunicatum nisi sit nominatim denuntiatus, vel notorius Clerici percussor, non suffragatur quicquam ipsi excommunicato, vt in ipsa dicitur expresse, sed tantum facta est in fauorem fidelium, qui non sunt excommunicati, vnde infert Nauarrus in Manuali cap.27. Coaruuias cap. Alma Mater. Alphonsus Viualdus, vbi de excommunicatione. nu.77. & alij Doctores cōmuniter quod excommunicati oēs, qui scienter sunt excommunicati tenentur abstinere ab ijs, quæ sunt interdicta excommunicatis eo modo quo tenebantur ante dictam constitutionem, idest etiā si sint occulti; nam ante dictam constitutionem sicut fideles non poterant communicare cum excommunicatis etiam si essent non nominatim excōmunicati, ita & excommunicati quicunque non poterant cum alijs participare, sed per dictam constitutionem in fidelium fauorem statutum est, vt fideles non teneantur euitare eos excommunicatos, qui nō sunt nominatim excommunicati, vel publici Clericorum percussores possint cum alijs communicare. Quare etiam nunc excommunicati occulti tenentur non communicare cum infidelibus sicuti ante dictam constitutionem. Quod quidem intelligendum est, vt dicit Coaruuias loco citato secutus Syluestrū, vbi de excommunicatione, Alphōsū de Castro, & Nauarrum, quotiescunque excōmunicati possint non communicare cū alijs absque graui scandalo, & sui perditione, seu manifestatione, secus non, alioquin peccarent.

Sed obijcies non prodesse quicquam fidelibus constitutionem Concilij Constantiensis, nisi etiam prosit & suffragetur excommunicatis non denuntiatis, vel publicis Clericorum percussoribus; & ratio est quia si excommunicatus occulte peccabit loquendo mecum, peccabo & ego loquendo cum eo, quia cooperabor peccato illius. Alphonsus Viualdus loco citato nu.78. secutus Sotum sic distinguit; aut fidelis prior incipit communicare cum excommunicato, aut è contra; si primum, neuter peccabit, nō fidelis, quia habet priuilegium, non excommunicatus, quia conceditur illi respondere in fauorem fidelis: si vero excommunicatus prior loquitur, ipse tantum peccabit.

Nota hic quod ita est prohibitum excommunicato participare cū alijs excōmunicatis, sicut & cū reliquis fidelibus, & æquè peccat communicando cum illis, ac cum fidelibus, & æque incurrit in excommunicationem minorē, alioquin excommunicati essent melioris conditionis, ita omnes Doctores.

15. Nono quæritur, quod peccatū sit communicare cū excōmunicato nominatim, vel publico percussore Clerici in illis casibus, qui continentur in supra scripto carmine.

Notandum est primo pro Respōsione quod magis peccat excommunicatus si communicat cum alijs, quam alij si communicant cum excommunicato, & ratio

ratio huius est, quia excommunicatus propter proprium delictum in pœnam ipsius proprij delicti obligatur ad vitandum alios, alij vero qui non sunt excōmunicati tenentur euitare ipsum excommunicatum, vt optime dicit Coaruuias super capitulo Alma Mater.

Notandum est secundo, quod hic non loquimur de communione, quæ est in perceptione, vel in administratione Sacramentorum de qua supra diximus, sed tantum de ea communione, quæ dicitur ciuilis, & quæ continetur in dicto carmine.

His notatis. Dico primo, quod generaliter loquendo fidelis communicando similiter cum excommunicatis non peccat plusquam venialiter, & ita dicunt omnes Doctores, & fuse probat Gabriel in 4.d.28. qu.5. art. 5.

Dico secundo, quod etiam generaliter loquendo fidelis, qui participat cum excommunicato nominatim, vel publico Clerici percussore, præter peccatum veniale, quod facit, incurrit etiam in excommunicationem minorem, vt etiam dicunt omnes Doctores.

Dico tertio, quod aliquando fidelis peccat mortaliter communicando cum excommunicatis non telleratis ab Ecclesia idest nominatim denuntiatis, vel publicis Clericorum percussoribus. Et quidem Doctores varios refferunt casus in quibus est peccatum mortale communicare cum dictis excommunicatis, & ego pro maiori dilucidatione, & breuitate respondebo per conclusiones.

Prima Conclusio.

1 IN quinque casibus peccat mortaliter fidelis communicando in humanis cum excommunicato.

Primus casus est quando aliquis communicat cum excommunicato in contēptum Ecclesiasticæ censuræ, idest quando aliquis communicat cum excommunicato, vt ostendat alijs vt paruifaciat excommunicationem.

Secundus casus est quando aliquis cō municat cum excommunicato in crimine pro quo lata est excommunicatio, vt si quis sit excommunicatus, quia dormiuit cum infante absque debita, & præscripta cautione, & alter illi suadet, vt ab hoc non abstineat.

Tertius casus est quando communicatio est causa, vt excommunicatus pertinax maneat in excommunicatione.

Quartus casus est, quando lata est excommunicatio maior contra participantes cum talibus excommunicatis denuntiatis.

Quintus casus est quando communicatio cum excommunicato est nimis frequens, Alphonsus Viualdus in Candelabro suo, vbi de excommunicatione, dicit hoc procedere tantum quando ista frequentatio generet graue scandalum, vel versatur in contemptum clarium. Hoc casus refferunt Doctores communiter, Nauarrus in Manuali ca.27. nu. 28. & infra, Coaruuias super canonem Alma Mater, Alphonsus Viualdus loco citato nu. 92.

Secunda Conclusio.

17 PEccant mortaliter fideles participando cum excommunicatis nominatim, vel publicis Clericorum percussoribus in Diuinis, quæ quidem communicatio consistit in tribus potissimū, primo in ministrandis, & recipiendis Sacramentis, secundo in officijs Ecclesiasticis, quæ solemniter fiunt, & publice dicuntur nomine Ecclesiæ, tertio in sepulturis Ecclesiasticis.

Aduerte primo hic quod Panormitanus, & alij quos citat Coaruuias loco citato censuerūt omnino interdictum esse ingressū Ecclesiæ excōmunicationis; Cōmunis tamen Doctorū sentētia est, quod possit ingredi in Ecclesiā vt oret, dūmodo non oret cum alijs, aut audiat diuina officia, siue solus siue cum alijs, potest tamen ingredi in Ecclesiā, dū habetur concio, & illam potest audire, potest etiam recitare solus horas Canonicas etiam in Ecclesia, licet non possit dicere Dominus Vobiscum, quia hoc est communicare

nicare cum Ecclesia; ita Sotus in 4. d. 22. q. 1. artic. 4. Coaruuias loco citato, D. Antoninus, quem citat, & sequitur Vialdus, & alij omnes.

Aduerte secundo, quod Durandus in quarto dicit, quod audire Missam, vel diuina officia præsente excommunicato non sit communicare de illo in officijs Ecclesiasticis; communis tamen omniũ Doctorũ opinio est contraria, & sine dubio dicendum est non posse nos interesse vna cum excommunicato Missis, precibus, orationibus, alijsue Ecclesiasticis officijs, etiam quando ab aliquo tertio fiunt.

18. Sed dicet hic aliquis primo vtrũ sit peccatũ mortale dicere preces horarias cũ excõmmunicatis nominatim, vel publicis Clericorũ percussorib. extra Ecclesiã, & priuatim; Coarr. super Can. Alma Mater negat esse mortale, & eũ sequitur Viu., sed Nau. ca. citato dicit, quod quando dicitur peccare mortaliter ille, qui cõmunicat in diuinis, intelligendũ est de oratione publica, quæ fit nomine Ecclesiæ, quales sunt Missæ, Horæ Can. quas cantant, & recitant sui ministri nomine ipsius, qualis est cõsecratio altaris, & benedictio Virginũ facta solẽniter ab Episcopo, & benedictio aquæ, & officiũ defunctorum, & sepulcrorũ, non autem de oratione priuata, vt est salutatio Angelica matutina, meridiana, & vesperti na, & qualis est benedictio simplex Missæ, & aliæ similes.

19. Secunda difficultas est an liceat in aliquo casu ministrare sacramenta excommunicato. Ad hoc licet respõsum sit in principio huius capitis, tamen hic nonnulla repetuntur.

Dico primo, quod excõmmunicatis nõ toleratis ab Ecclesia licet administrare sacramenta solũ in extrema necessitate.

Dico secũdo, quod si sint tolerati ab Ecclesia, & occulti, & sacramenta publice petant, non peccat sacerdos illa eis administrando, propter scandalum; peccaret autem si occulte peterentur, vel si excommunicati sint publice excommunicati.

20. Tertio difficultas est vtrum liceat aliquando recipere sacramenta ab excõmunicatis; & q a difficultas hæc præbet nobis occasionẽ soluẽdi multas quæstiones, quæ ad confessarios pertinent, ideo præter ea, quæ de hac difficultate supra tetigimus, ab altiori principio ordiemur, quærendo scilicet, nũ liceat accipere sacramenta à malo ministro.

Aduerte primo, quod iste minister potest esse in duplici differentia, idest vel talis, vt teneatur ministrare sacramenta ex officio, vt est Sacerdos, Parochus, vel Episcopus; vel talis, vt non teneatur ministrare sacramenta ex officio.

Aduerte secundo, quod iste minister, qui ex officio, vel nõ ex officio ministrat sacramenta adhuc potest esse in duplici differentia, idest vel talis vt sit paratus ministrare sacramenta se offerendo, verbigratia si est Confessarius sedens in Cõfessionali, aut verbo se offerens ad ministrandũ sacramenta, vel talis non sit paratus ministrare sacramenta.

Aduerte tertio, quod rursus iste minister potest esse in duplici differentia; vno modo, vt sit ab Ecclesia toleratus, verbigratia si est in peccato mortali, vel occulte excommunicatus, altero modo, vt non sit toleratus ab Ecclesia: huiusmodi est excommunicatus nominatim denuntiatus, vel notorius Clerici percussor.

Aduerte quarto, quod recipiens sacramẽta potest esse in duplici differẽtia, vno modo vt sit constitutus in extrema necessitate; altero modo, vt non sit constitutus in extrema necessitate; sed ad libitum velit percipere sacramenta.

Prima propositio, à quocũq; ministro peccatore tolerato ab Ecclesia licet recipere sacramẽta, si ipse sit parat⁹ ea ministrare; & hoc siue recipiẽs sit in extrema necessitate, siue non; & fundamentũ est, quia si quid obstaret, esset potissimũ ne recipiens cooperetur peccato ministrantis, sed tantum dicitur cooperari alterius peccato ille, qui est causa peccati eius, seu vt faciat illud peccatũ, vt ait Dom. Sot. in 4 d. 1. q. 5. a. 6. quod non accidit, quando suscipiens sacramenta nullatenus mouet ministrãtem, quippe qui iam paratissimus sit ea ministrare.

Secundo id patet expresse ex Can.

 sufici-

hoc vocabulum anathema, & an sit Hebreum, an Græcum? Respondeo de hoc esse duas opiniones; nam D. Hieronymus in Epistola D. Pauli ad Galatas cap. 1. dicit anathema esse vocabulum Hæbraicum, quo significatur id quod detestationi, maledictioni, & execrationi habetur, seu quo significatur detestatio ipsa, execratio, vel maledictio, & hoc probat quia numerorum cap. 21. legitur de illis ciuitatibus Cananæorum, quod postquã Hæbrei illas subuerterant vocarunt eas anathema, & Iosuè capite 6. cum Hierico esset subuertenda dicit Iosue sit ciuitas hæc de anathæma: in quo sensu, ait D. Paulus in Epistola prima ad Corinthios ca. 12. nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Iesu, idest detestatur, & execratur Iesum, quare ex Hæbreis Ecclesia secundum D. Hieronymum desum psit hoc vocabulum anathema ad significandum excommunicationem eo, quod excommunicatus homo fit detestabilis, abominabilis, & execrabilis, hãc expositionem D. Hieronymi laudat Sotus in 4. d. 22. q. 1. ar. 1.

Alij Doctores dicunt anathema esse nomen Græcum significans idem, quod sepositum, seu separatum, aut sursum positum, vnde donaria, quæ templis afferebãtur, quia in ipsis templis suspendebãtur, itaut non possent tangi propter honorẽ, quia erant Dijs dicata anathemata appellabantur, quasi semota ab vsu humano, & propter hanc metaphoram excommunicati dicuntur anathemata, seu anathema tizati, quia sunt ab Ecclesia separati, & non licet cum eis communicare.

Primam opinionem tanquam magis verisimilem sequitur Sotus loco citato secundam vero, quæ est D. Augustini, vt videre est in expositionibus super libris Numerorum, secuti sunt D. Hilarius, & Caetanus in expositione epistolæ Diui Pauli ad Romanos, circa illa verba optabam ego ipse anathema esse in Christo pro fratribus meis. Vtraque sententia est probabilis, & notandum est, quod si sequamur opinionem D. Augustini, quod videlicet vocabulum anathema deducatur ex voce Græca penultima ipsius syllaba erit producenda, si vero sequamur expositionem D. Hieronymi erit corripienda, vt ait Alphonsus de Vjualdo in suo candelabro in tractatu de sententia excommunicationis nu. 17. Huic vocabulo anathema aliquando additur, & illud aliud maranata, vt in Epistola prima D. Pauli ad Corinthios ca. 16 vbi legitur si quis non amat D. N. Iesum Christum, sit anathema maranata, & capitulo. Guilisetius 23. qu. 4. idem habetur. Exponitur autem hoc vocabulum maranata idest in aduentum Domini, scilicet nisi excommunicatus resipiscat.

3. Excommunicatio dicitur mucro, seu gladius Episcopi, vnde D. Cyprianus Epist. 11. libri, primi Epistolarum docet pœnam excommunicationis in Euangelio successisse pœnæ legis veteris, quæ erat mors temporalis. Notandum enim est quòd cum in lege veteri pro multis criminibus Deus statuerit pœnam capitis in Euangelio Christus nullam huiusmodi statuit pænam, sed tantum Principibus sæcularibus reliquit gladium ad vlciscendum crimina, Ecclesiæ vero tantum reliquit gladium spiritualem, & rationem quia lex vetus, seu circuncisio erat carnalis, vt ait D. Paulus ad Colossenses secundo, nunc vero lex noua est mere spiritualis, vnde cum Deuteronomij 27. lata esset lex, vt quicunque Sacerdotem non exaudiret morte moreretur, loco illius in Ecclesia reliquit excõmunicationem, vt gladius, qui tunc erat ferreus esset in Euangelio spiritualis, atque hinc deriuatum est, vt potestas excõmunicandi dicatur Gladius, & mucro Episcopi, vt habetur 17. q. 2. capitulo viris.

Atque hæc sunt tria præcipua nomina quibus excommunicatio præcipuè appellatur. Dicitur etiam vinculum excommunicationis quia excommunicatus, est ligatus ne aliorum communioni se inmisceat, dicitur etiam pæna excommunicationis, qua nulla maior reperitur in Ecclesia, nominatur etiam censura excommunicationis, vt modo dicam in cap. sequenti, & dicitur sententia excommunicationis, vt habetur in Rubrica de sententia excommunicationis.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

De deffinitione excommunicationis.

1 *Definitio excommunicationis maioris, & minoris.*
2 *Communio fidelium quotuplex sit.*

1 EXcõmunicatio maior à Dom.Soto d.22. in suo textu cap.1. ita deffinitur, excommunicatio est censura Ecclesiastica, qua homo priuatur à participatione actiua & passiua Sacramentorum, à suffragijs, & orationibus communibus Ecclesiæ, & à cõmertio hominũ. Excommunicatio vero minor est censura Ecclesiastica, qua homo priuatur à participatione passiua Sacramentorum; est enim duplex excommunicatio, altera maior, & altera minor, vt infra in ca. 4. explicabitur. Et pro declaratione dictarum deffinitionem.

Notandum est primo, quod tam excõmunicatio maior, quam minor deffinitur per nomen censuræ Ecclesiasticæ, quia cẽsura Ecclesiastica est genus, quod comprehendit excommunicationem, suspensionem, & interdictum, reliqua vero, quæ ponuntur in dictis definitionibus, ponuntur loco differentiæ, in illis enim distinguitur excommunicatio maior, siue minor à suspensione, vel interdicto, & in hoc distinguitur excommunicatio minor ab excommunicatione maiori, quia excommunicatus excommunicatione minori est tantum priuatus à participatione passiua Sacramentorum, quia non potest ea recipere, licet possit ea ministrare, excommunicatus vero excommunicatione maiori, nec potest Sacramenta legitime recipere, nec alijs ministrare, & insuper est priuatus à participatione suffragiorum communium Ecclesiæ, & est separatus à fidelium commertio.

2. Et notant hic Doctores, quod communio fidelium est triplex, vna qua communicant inter se in charitate, & gratia, & hac non priuatur homo per excõmunicationem, sed per peccatum mortale, quod semper supponitur excommunicationi; Altera communio est in qua fideles communicant in orationib. & suffragijs communibus Ecclesiæ, & Sacramentis, & ea priuantur excommunicati. Tertia est in qua communicant fideles in commertijs, & hac etiam priuantur excommunicati, vt fusius explicabitur in capitulo sequenti.

CAPVT TERTIVM.

De effectibus excommunicationis.

1 *Excommunicatio quomodo priuat participatione Sacramentorum.*
2 *Excommunicatus si absoluatur à peccatis, an absolutio teneat.*
3 *Excommunicatus an possit ministrare Sacramenta.*
4 *Excommunicatus priuatur suffragijs Ecclesiæ.*
5 *Quid si talis excommunicatus pænitens sit, & dolens?*
6 *Vtrum in missa possit Sacerdos orare pro excommunicato.*
7 *An possit illi Sacerdos applicare suam partem sacrificij.*
8 *An excommunicato sit prohibita particip atio cum fidelibus.*
9 *Doctores quid intelligant per conui*

ctum communem fidelium.
10 *Quid intelligant per verbum Orare.*
11 *Quid per Vale.*
12 *Quid per verbum Communio.*
13 *Quid nomine Mensæ.*
14 *Excommunicatus non nominatim, an possit cum fidelibus participare.*
15 *Quod peccatum sit participatio cũ excommunicato?*
16 *In quot casibus peccet quis participando cum excommunicato.*
17 *Quomodo peccet participans cum nominatim excommunicato, aut publico Clerici percussore.*
18 *Cum his an liceat recitare officiũ.*
29 *An liceat aliquando cum his participare.*
20 *An liceat ab illis recipere sacramẽta, & quando.*
21 *An ex participatione cum excommunicato contrahatur excommunicatio.*
22 *An aliquando liceat participare.*
23 *Excommunicatus in vna ciuitate, an sit vbique vitandus.*
24 *A quorum perceptione priuet excõmunicatio.*
25 *Beneficiatus excommunicatus an faciat fructus suos.*
26 *Excommunicatus exercens actum ordinis sit irregularis.*
22 *Priuatur Ecclesiastica sepultura, & facit actus nullos.*

QVoniam deffinitio excommunicationis allata in capitulo antecedenti data est per effectus ipsiusmet excommunicationis, ideo in hoc capite statim post deffinitionem excommunicationis agitur de effectibus ipsius, & quia effectus excommunicationis maxime maioris multi sunt, ego in hoc capite ne nimis longum faciam tantũ præcipuos enumerabo.

De primo effectu excommunicationis maioris qui est quod excommunicatus sit priuatus à participatione Sacramentorum.

1 ET hic primo quæritur vtrum excommunicatio priuet hominẽ à participatione Sacramẽtorũ, ita vt nõ solũ peccet excommunicatus illa suscipiens, vel ministrans, sed etiam Sacramentum sit nullum & inualidum. Et ad hoc, Respondeo quod si loquamur de omnibus sacramentis præterquam de Sacramento pænitentiæ nulla est dubitatio quin sacramentum valeat, licet propter excommunicationem ille, qui illud suscipit, & ministrat, peccet mortaliter, & qui illud suscipit non recipiat fructum Sacramenti, qui est gratia gratũ faciens, vt omnes Doctores fatentur, nam si duo Christiani excommunicati inuicem matrimonium contrahant, licet peccent mortaliter, si tamẽ sunt cętera requisita ad Mattrimonium, validum est Matrimoniũ; similiter licet excommunicatus ordinetur, peccet ordinẽ recipiendo, remanet tamẽ ordinatus, & sic de alijs sacramentis. Tantũ restat dubium de sacramento pęnitẽtiæ, vtrũ validũ sit, si ab excõmunicato recipiatur, vel ministretur.

De quo sacramento Pænitentiæ in primis non est dubium, quin tam excommunicato etiam excommunicatione maiori, vel minori accedere ad Sacramentũ pænitentiæ, quam Sacerdoti illud ei administrare sit peccatũ, quia per excõmunicationem & vnus prohibitus est recipere, & alter conferre sacramenta quælibet, etiã si sit Sacramentum pænitẽtiæ: ita ait Caetanus in summa verbo absolutio, Sotus in 4. sent. d. 22. q. 1. artic. 1. & alij omnes, & cum collatio Sacramentorum, & susceptio eorundem sit

res

res magni momenti, fit vt tale peccatũ sit mortale, quare nunquam licet à peccatis aliquem absoluere antequam absoluatur ab excommunicatione si est notum quod sit excommunicatus nisi forte casus contingeret, vt quis dum confitetur, tam proximus esset morti, vt animã iam exalaret, adeo vt præmitti nequiret absolutio ab excommunicatione sine periculo, & moreretur sine absolutione à peccatis, in hoc enim casu ait Adrianus quæstione 2. de Clauibus dicto penultimo, absoluendum esse illum à peccatis antequam absoluatur ab excommunicatione, sed licet hoc verum sit si casus posset contingere, quia intentio piæ Ecclesiæ non est obijcere obstaculum saluti morientis, qui per absolutionem à peccatis posset fieri de attrito contritus, est tamen casus qui nunquam contingere potest, quia vnico verbo posset fieri absolutio ab excommunicatione, & peccatis, imo hoc verbum Absoluo te cum intentione absoluendi ab vtroque sufficeret: ita Sotus loco supra citato.

Sed hoc ante præmisso dubium est vtrum si excommunicatus priuatus absoluetetur à peccatis antequam absoluatur ab oxcommunicatione, sacramentum teneret. Ad hoc respondeo cum Caetano loco supra citato tria.

Primo quod si scienter absoluitur, vel per ignorantiam vincibilem à peccatis antequam absoluatur ab excommunicatione, non percipit fructus Sacramẽti, quia accedit in peccato; imo committit nouum peccatum, & ideo ponit obicem gratiæ, & hoc quidem certum est nec de illo dubitari potest.

Secundo ait quod si accedat ignorans inuincibiliter vel factum, (scilicet se esse excommunicatum,) vel ius (videlicet excommunicato non licere accedere ad sacramentum) tunc non solum sacramẽtum est validum, sed etiam fructũ gratiæ recipit, & hoc verũ est & in hoc etiam consensit. Adrianus loco supra citato, & Pal. d. 14. q. 4. licet Sotus in 4. & Syluester in summa contrariũ videantur dicere, & suffragatur bona ratio, nã aliter nemo esset tutus, an vere esset absolutus, quia nemo scit certe, se nõ esse excõmunicatum saltem excommunicatione minori; item quia licet excõmunicatus celebrans incurrat in irregularitatẽ, tamen si inuincibiliter ignorans celebrat, non incurrit in irregularitatem, quia excusatur à culpa, idem ergo erit si ignoranter sacramentum recipiat.

Tertio addit Caetanus, quod absolute loquendo absolutio sacramentalis impensa excommunicato valet, quantũ ad sacramentum ipsum, licet non quantum ad fructum, vt quando scienter excõmunicatus accedit ad sacramentum pœnitentiæ, vt absoluatur prius à peccatis, quare si integrè confiteatur, inquit Caetanus, etiam de illa excommunicatione, & ab ignaro Sacerdote absoluatur non tenetur iterare confessionem, sed sufficit contritio ad recipiẽdam postea gratiã.

Sed in hoc maxime errat Caetanus, vt dicunt quamplurimi alij Doctores, & vltimo Franciscus Toletus lib. 1. Institutionis Sacerdotis cap. 9. num. 4 & ratio est, quia ad hoc, vt aliquod sacramentũ sit validum, necessario requiritur materia, & forma illius Sacramenti cum intẽtione Ministri faciendi saltem id, quod facit Ecclesia; sed quando excommunicatus scienter accedit ad sacramentum pænitentiæ, & petit absolutionem à peccatis, ibi non est materia Sacramenti pænitentiæ, quia non est contritus, non enim potest esse contritus ille, qui habet intentionem peccandi, nõ recipiẽdi absolutionem à peccatis, quod est illi prohibitum, & illicitum, & tamen contritio est præcipua pars Sacramenti Pænitentiæ, vt dictum & probatum fuit, vbi actum est de Sacramento pænitentiæ.

Dicendum igitur est, quod si quis sciẽter excommunicatus vult absolutionem à peccatis, antequam absoluatur ab excommunicatione peccat mortaliter, quia excommunicatio eum priuat à participatione Sacramentorum, & quod absolutio à peccatis non esset valida propter deffectum contritionis, quia tunc peccat, & contritus non

non poteſt eſſe ille, qui habet animum peccandi mortaliter, imo neque attritus.

Secundo quæritur vtrum excommunicatus poſſit miniſtrare Sacramenta.

Ad hoc reſpõdẽdũ eſt eo modo quo reſponſum eſt in tractatu de Sacramentis, vbi egimus in prima parte de Miniſtro Sacramentorum, quod videlicet excommunicatus excommunicatione maiori ſemper peccat mortaliter miniſtrando aliquod ſacramentum, excepto Baptiſmo in caſu neceſſitatis, & fortaſſis excepto ſacramento pœnitentiæ in caſu neceſſitatis; & ratio huius eſt, quia excommunicatus eſt priuatus non tantum participatione paſſiua, ſed etiam actiua ſacramentorum ſi eſt excommunicatus excommunicatione maiori, ſi vero ſit excommunicatus excõmunicatione minori, poteſt miniſtrare ſacramenta, ſine peccato, quia excommunicatio minor tantum priuat participatione paſſiua ſacramentorum, vt ſupra dictum eſt, & infra dicetur in capitulo ſequenti, an vero ſit peccatum mortale petere ſacramenta à ſacerdote excommunicato, dicetur infra, prout etiam reſponſum fuit in tractatu de Sacramentis in prima parte.

De ſecundo effectu excõmunicationis maioris, qui eſt priuatio à communibus ſuffragijs Eccleſiæ, & orationibus, ſeu precibus.

4 Certum eſt excommunicatũ non participare de fructu earum precationum, orationum & ſacrificiorum, quæ pro omnibus Chriſtifidelibus nomine Eccleſiæ quotidie communiter offeruntur Deo, cuiuſmodi ſunt Miſſarũ ſacrificia, horariæ preces, quæ offerũtur à Sacerdotibus, & ab ijs qui ſunt in ſactis, & qui obtinent Beneficia, & maxime à Canonicis, & omnes orationes, quæ fiunt in vniuerſa Eccleſia.

Et hic quæritur primo, vtrum excommunicatus, qui redit ad cor, ideſt quem pœnitet omnium ſuorum peccatorum, & qui facit quod poteſt vt abſoluatur ab excommunicatione, & ſit vere contritus ſit priuatus his ſuffragijs.

Sotus in 4. diſt.22. quæſt.1. art.primo dubitatione ſecunda, & nonnulli alij affirmant.

Sed contraria ſententia deffenditur à multis alijs, & à Nauarro in Manuali cap.27. num.36. à Coaruuia ſuper capitulo Alma Mater, à Ricardo in 4. diſtinctione 18 articulo 7. quæſtione ſecunda, & alijs; & ratio eorum eſt, quia non videtur eſſe mens Eccleſiæ, quod talis excommunicatus, qui eſt in gratia Dei per contritionem, & facit quod poteſt vt ab excommunicatione abſoluatur, remaneat priuatus communibus Eccleſiæ ſuffragijs.

6. Secundo quæritur, num pro excõmunicato poſſit Sacerdos in celebratione Miſſæ ſecreto orare in illa oratione, quæ dicitur Memento; Dominicus Sotus loco citato, Angelus in ſumma verbo Miſſa §. 51. & Syluester verbo excommunicatio primo. §. ſecundo Thabienſis in

in summa verbo excommunicatio primo § primo, & alij nonnulli negant, & ratio eorum est, quia Missa est oratio publica. Sed alij Doctores affirmant, & fundamentum illorum est, quia illud tẽpus conceditur sacerdoti, vt priuato nomine possit Deo commendare quem vult, etenim in Missæ sacrificio sacerdos fungitur munere duarum personarum, publicæ videlicet & priuatæ, & vt publica persona solum potest orare pro his pro quibus vult Ecclesia, & persona priuata potest orare pro illis pro quibus vult, sed vt persona priuata orat in ea precatione, quæ dicitur memento.

7. Dices potest ne sacerdos applicare excommunicato eam partem, quæ sibi debetur ex sacrificio Missæ? Respondeo affirmatiuè, & ratio huius est quia iste fructus est particularis istius Sacerdotis; ita Nauarrus in Manuali cap. 27. nu. 36.

Aduertendum hic est, quod licet Ecclesia prohibeat ne nomine & intentione Ecclesiæ orationes publicæ applicentur excommunicatis, potest tamen quilibet suo nomine priuato orare pro excommunicatis, maximè vt Deus eos conuertat.

††

De tertio effectu excommunicationis, qui est priuatio à communi conuictu fidelium.

8 Hic primo quæritur an excõmunicatis sit prohibita participatio cum fidelibus, & an fidelibus sit prohibita participatio cum excommunicatis, quantum ad communem conuictũ. Et respondeo affirmatiuè ex iure canonico, vt etiam dicunt omnes Doctores, est tamen differentia inter antiqua iura, & ius nouum, tempore Sancti Thomæ non licebat participare cum excommunicato siue esset occultus, siue manifestus, siue denuntiatus, at vero 1400. tempore Martini Papæ V. & Sigismondi Imperatoris in Concilio Constantiensi edita est constitutio, vt fideles non teneantur euitare excommunicatos siue in diuinis, siue extra diuina, præterquam in duobus casibus. Quorum primus est quando excommunicatus est nominatim, & publice denuntiatus. Secundus quando quis est manifestus percussor Clerici, licet non sit denuntiatus.

9. Secundo quæritur, quid intelligãt Doctores per conuictum communem fidelium. Respondeo quod intelligunt illa quinque comprehensa in illo carmine, quod communiter à Scolasticis, Canonistis, & Summistis describitur, vt videre est apud Maiorem in 4. d. 18. qu. 2. apud Sotum in 4 d. 22. qu. 1. art. 4. & apud summistas in verbo excommunicatio, quod carmen est hoc.

Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.

Tertio quæritur, quid intelligatur in dicto carmine per os. Respondeo quod intelligitur interdici quæuis locutio, siue ea per ipsammet personam fiat, siue per nuntium, siue per litteras actiuè, vel passiuè, idest mittendo, & remittendo, vel recipiendo, nisi vt infra dicetur ad salutem eius pertineat, quod vulgo dicitur in conuertendo, vel nisi coram excõmunicato ipso aliquis concionatur, vel Theo-

Theologiam legat, quia hæc spectant ad illius correctionem. Itē per hos intelligitur interdici osculum pacis, amplexus in signum charitatis &c. Ita Alphōsius Viualdus, vbi agit de excommunicatione nu. 27. & alij omnes.

10. Quarto quæritur, quid intelligatur in dicto carmine per orare. Respondeo quod intelligitur prohiberi orare cū excōmunicato oratione publica, id est quod non licet audire Missam cū eo simul, nec interesse simul diuinis; nec recitare horas Canonicas cum illo, nec interesse processioni cum illo.

Sed dices an liceat intra eandem Ecclesiam in alio Sacello audire Missam excōmunicato audiente in alio. Respondeo quod sic, ita Armilla, Caetanus, Nauarrus, & alij vbi agunt de excommunicatione.

Rursus dices an sit communicare cum excommunicato, si excōmunicatus obiter transit per Ecclesiam, dum ego audio sacrum, licet aliquantulum oret: itē si sit in aliqua parte Ecclesiæ negotiādo. Respondeo cum Caetano, & Armilla hoc non esse communicare, quia parum pro nihilo reputatur: & ille, qui est in Ecclesia, vt negotietur, non dicitur formaliter adesse sacris, sed tantum materialiter, potest tamen adesse concioni, & lectioni sacræ scripturæ, & potest cū illo recitari oratio Angelica, mane, meridie, & vesperi cum datur illius signū.

11. Quinto quæritur, quid intelligatur per vale in dicto carmine? Respondeo quod intelligitur prohiberi salutationem, vt resalutationem quamcunque non solum per verba in presenti, sed etiam per nuntium. Hic aduertit summa Armilla verbo excommunicato n. 40. secuta D. Antoninum in 3. p. suę sum. tit. 22. cap. 2. & Alphonsium Viualdum, vbi de excommunicatione in suo Candelabro n. 87. quod neq; in casibus particularibus in quibus licite cum excommunicatis participatur vtendum est solita salutatione in loquendo vel scribendo, sed dicendum est, Deus te emendet, vel Deus te conuertat, vel spiritum consilij senioris det tibi Deus.

Sed dices prohibetur ne hic detegere caput, vel assurgere excōmunicato absque vllo verbo, cum non sit loqui, & cū pœnæ non sint extendendę, sed potius restringendæ, & cum aperire caput, vel assurgere non sit salutare, Angelus in verbo excommunicato 8. nu. 8. tenet partē negatiuam, similiter S. Antoninus 3. p. tit. 25. cap. 2. Arm. in summa verbo excommunicatio nu 41. licet etiam afferat contrariam opinionem, quam sequitur Dominicus Sotus in 4. d. 22. q. 1. ar. 4. & Maior in 4 q. 10. art. 2.

Sed contraria opinio est communior, vt ait Syluester in summa verbo excommunicatio 5. & eū sequitur Nau. in Man. cap. 27. nu. 20. & probatur quia in communi hominum conuictu, & pollicia aperire caput, & assurgere sunt signa cōmunicationis politicæ, & salutationis.

Ego dico secundam sententiam esse veriorem, primam tamen posse iudicari probabilem, & Nauarrus loco citato dicit illā posse sustineri, dummodo aperitio capitis non fiat animo salutandi, sed subintelligatur, Deus te conuertat.

12. Sexto quæritur quid intelligatur nomine, communio, in dicto carmine. Respondeo quod intelligitur quæcunq; communicatio, quæ fit quocunque contractu, aut commertio operando, faciēdo, aut habitando in aliqua eadem domo, vel eius parte; aduerte tamen quod si quis pro diuerso negotio esset cum excommunicato in eadem domo, non diceretur participare cum excommunicato, ita Armilla in summa verbo excommunicatio num. 42. quæ sequitur Innocentium primum Summum Pontificem quē citat.

13. Septimo quæritur, quid intelligatur nomine Mensæ in dicto carmine. Respondeo quod per mensam intelligitur prohiberi quæcunque cōmunicatio, quæ fit in eadem mensa, vel conuiuio, vel lecto, & ita omnes Doctores.

Sed dices quid si ego essem inuitatus ad aliquod festum, vel conuiuiū, & reperiam pariter ibi esse inuitatum aliquem excommunicatū? Respondeo mihi recedendū esse, neque accumbendum esse in aliqua alia etiam mensa, neque etiam in alia domus parte ipsius inuitantis:

Tun-

Fundamentum est quia tunc simul inuitati dicimur simul commedere, etiam si distinctis locis accumbamus; ita D. Antoninus 3.p. tit.25. cap 2. vers. 4 & Nauarrus loco citato, & alij communiter. Secus omnino esset si quo in aliquo hospitio extãte ad mensam accedens excõmunicatus sedeat in eadem mensa, vel in diuersa ad manducandum, quia illud non esset communicare ad manducandum in Mensa, quia sunt diuersa formaliter prandia, quando nõ sunt socij ad comendendum.

Secundo dicet aliquis, quid si aliquis amico excommunicato venienti comedere in domũ suã mittat claues, & permittat eum separatim cõmedere in sua domo? D. Antoninus loco supra citato, Dicit primo, quod si hoc faciat in fraudem, vt eum non offendat, seu vt fauorẽ eius requirat, incurrit in excommunicationem minorem. Dicit secundo quod talem excommunicationem non incurrit si facit hoc, quia timet ne forte ille vim inferat.

14. Octauo quæritur vtrum excommunicatus non nominatim possit cum alijs loqui, orare, alios salutare &c. Pro responsione notandum est diligenter, quod constitutio concilij Constantiensis de qua supra diximus, quod non prohibet vitari excommunicatum nisi sit nominatim denuntiatus, vel notorius Clerici percussor, non suffragatur quicquam ipsi excommunicato, vt in ipsa dicitur expresse, sed tantum facta est in fauorem fidelium, qui non sunt excommunicati, vnde infert Nauarrus in Manuali cap.27. Couaruias cap. Alma Mater. Alphonsus Viualdus, vbi de excommunicatione. nu.77. & alij Doctores cõmuniter quod excommunicati oẽs, qui scienter sunt excommunicati tenentur abstinere ab ijs, quæ sunt interdicta excommunicatis eo modo quo tenebantur ante dictam constitutionem, idest etiã si sint occulti; nam ante dictam constitutionem sicut fideles non poterant communicare cum excommunicatis etiam si essent non nominatim excõmunicati, ita & excommunicati quicunque non poterant cum alijs participare, sed per dictam constitutionem in fidelium fauorem statutum est, vt fideles non teneantur euitare eos excommunicatos, qui nõ sunt nominatim excommunicati, vel publici Clericorum percussores possint cum alijs communicare. Quare etiam nunc excommunicati occulti tenentur non communicare cum infidelibus sicuti ante dictam constitutionem. Quod quidem intelligendum est, vt dicit Couaruias loco citato secutus Syluestrũ, vbi de excommunicatione, Alphõsũ de Castro, & Nauarrum, quotiescunque excõmunicati possint non communicare cũ alijs absque graui scandalo, & sui perditione, seu manifestatione, secus non, alioquin peccarent.

Sed obijcies non prodesse quicquam fidelibus constitutionem Concilij Constantiensis, nisi etiam prosit & suffragetur excommunicatis non denuntiatis, vel publicis Clericorum percussoribus; & ratio est quia si excommunicatus occulte peccabit loquendo mecum, peccabo & ego loquendo cum eo, quia cooperabor peccato illius. Alphonsus Viualdus loco citato nu.78. secutus Sotum sic distinguit; aut fidelis prior incipit communicare cum excommunicato, aut è contra; si primum, neuter peccabit, nõ fidelis, quia habet priuilegium, non excommunicatus, quia conceditur illi respondere in fauorem fidelis: si vero excommunicatus prior loquitur, ipse tantum peccabit.

Nota hic quod ita est prohibitum excommunicato participare cũ alijs excõmunicatis, sicut & cũ reliquis fidelibus, & æquè peccat communicando cum illis, ac cum fidelibus, & æque incurrit in excommunicationem minorẽ, alioquin excommunicati essent melioris conditionis, ita omnes Doctores.

15. Nono quæritur, quod peccatũ sit communicare cũ excõmunicato nominatim, vel publico percussore Clerici in illis casibus, qui continentur in supra scripto carmine.

Notandum est primo pro Respõsione quod magis peccat excommunicatus si communicat cum alijs, quam alij si communicant cum excommunicato, & ratio

nicare cum Ecclesia; ita Sotus in 4. d. 22. q. 1. artic. 4. Coaruuias loco citato, D. Antoninus, quem citat, & sequitur Vitualdus, & alij omnes.

Aduerte secundo, quod Durandus in quarto dicit, quod audire Missam, vel diuina officia præsente excommunicato non sit communicare de illo in officijs Ecclesiasticis; communis tamen omniũ Doctorũ opinio est contraria, & sine dubio dicendum est non posse nos interesse vna cum excommunicato Missis, precibus, orationibus, alijsue Ecclesiasticis officijs, etiam quando ab aliquo tertio fiunt.

18. Sed dicet hic aliquis primo vtrũ sit peccatũ mortale dicere preces horarias cũ excõmmunicatis nominatim, vel publicis Clericorũ percussorib. extra Ecclesiã, & priuatim; Coarr. super Can. Alma Mater negat esse mortale, & eũ sequitur Viu., sed Nau. ea. citato dicit, ꝙ quando dicitur peccare mortaliter ille, qui cõmunicat in diuinis, intelligendũ est de oratione publica, quæ fit nomine Ecclesiæ, quales sunt Missæ, Horæ Can. quas cantant, & recitant sui ministri nomine ipsi⁹, qualis est cõsecratio altãris, & benedictio Virginũ facta solẽniter ab Episcopo, & benedictio aquæ, & officiũ defunctorum, & sepulcrorũ, non autem de oratione priuata, vt est salutatio Angelica matucina, meridiana, & vesperti na; & qualis est benedictio simplex Missæ, & aliæ similes.

19. Secunda difficultas est an liceat in aliquo casu ministrare sacramenta excommunicato. Ad hoc licet respõsum sit in principio huius capitis, tamen hic nonnulla repetuntur.

Dico primo, quod excõmmunicatis nõ toleratis ab Ecclesia licet administrare sacramenta solũ in extrema necessitate.

Dico secũdo, quod si sint tolerati ab Ecclesia, & occulti, & sacramenta publice petant, non peccat sacerdos illa eis administrando, propter scandalum; peccaret autem si occulte peterentur, vel si excommunicati sint publice excommunicati.

20. Tertio difficultas est vtrum liceat aliquando recipere sacramenta ab excõmunicatis; & q a difficultas hæc præbet nobis occasionẽ soluẽdi multas quæstiones, quæ ad confessarios pertinent, ideo præter ea, quæ de hac difficultate supra tetigimus, ab altiori principio ordiemur, quærendo scilicet, nũ liceat accipere sacramenta à malo ministro.

Aduerte primo, quod iste minister potest esse in duplici differentia, idest vel talis, vt teneatur ministrare sacramenta ex officio, vt est Sacerdos, Parochus, vel Episcopus; vel talis, vt non teneatur ministrare sacramenta ex officio.

Aduerte secundo, quod iste minister, qui ex officio, vel nõ ex officio ministrat sacramenta adhuc potest esse in duplici differentia, idest vel talis vt sit paratus ministrare sacramenta se offerendo, verbigratia si est Confessarius sedens in Cõfessionali, aut verbo se offerens ad ministrandũ sacramenta, vel talis non sit paratus ministrare sacramenta.

Aduerte tertio, quod rursus iste minister potest esse in duplici differentia; vno modo, vt sit ab Ecclesia toleratus, verbigratia si est in peccato mortali, vel occulte excommunicatus, altero modo, vt non sit toleratus ab Ecclesia: huiusmodi est excommunicatus nominatim denuntiatus, vel notorius Clerici percussor.

Aduerte quarto, quod recipiens sacramẽta potest esse in duplici differẽtia, vno modo vt sit constitutus in extrema necessitate; altero modo, vt non sit constitutus in extrema necessitate; sed ad libitum velit percipere sacramenta.

Prima propositio, à quocũq; ministro peccatore tolerato ab Ecclesia licet recipere sacramẽta, si ipse sit parat⁹ ea ministrare; & hoc siue recipiẽs sit in extrema necessitate, siue non; & fundamentũ est, quia si quid obstaret, esset potissimũ ne recipiẽs cooperetur peccato ministrantis, sed tantum dicitur cooperari alterius peccato ille, qui est causa peccati eius, seu vt faciat illud peccatũ, vt ait Dom. Sot. in 4 d. 1. q. 5. a. 6. quod non accidit, quando suscipiens sacramenta nullatenus mouet ministrãtem, quippe qui iam paratissimus sit ea ministrare.

Secundo id patet expresse ex Can.

Z z sufici-

suscitantibus qu. 8. vbi Nicolaus Papa scribit hanc eandem conclusionem, videlicet quod recipiens sacramenta ab eo qui est paratus ea ministrare non dicitur eum inducere ad peccatum si minister est malus.

Tertio idem probatur ex communi Doctorum sententia, omnes enim Doctores dicunt licere recipere sacramēta à malo ministro, si est toleratus ab Ecclesia, & paratus ea ministrare.

Notandum hic est quod ante Concilium Constantiense nō procedebat hæc propositio respectu mali ministri, qui erat excommunicatus, sed post dictum concilium procedit, & respectu Ministri mali, qui non est excommunicatus, & respectu Ministri mali, qui est excommunicatus, modo non sit nominatim excommunicatus, vel publicus percussor Clerici, idest modo sit toleratus ab Ecclesia, quia vt dictū fuit in dicto Concilio ad fauorem timoratarum conscientiarum fuit edita constitutio, quod in posterum non peccarent fideles non excōmunicati participando cum excommunicatis modo non sint nominatim denuntiati, vel publici Clericorum percussores.

Secunda propositio, si talis Minister non est paratus ad ministranda sacramēta, & non instat extrema necessitas, vel non tenetur extra necessitatem minister ex officio ministrare sacramenta, peccat mortaliter ille, qui ab eo recipit sacramenta, & hæc est communis Doctorum sententia, & ratio est quia hoc est directe cooperari peccato, nam sicut de dāno ait regula iuris, quod ille, qui causam damni dat, damnum dedisse videtur, ita ille qui dat causam peccati, culpam peccati dedisse videtur, vt ait Sotus loco citato.

Quod si dicas ille, qui verbigratia petit Sacramentum pænitentiæ à tali Ministro, non inducit illum vt faciat peccatum, sed vt sacramentum cōferat, quod ipse recipiens potest iustè exigere. Respondet Sotus, quod si ille, qui inducit, scit, aut credit ministrum non conuenientē dum iri, licet non concurrat formaliter ad eius peccatum, concurrit tamen materialiter ad illud opus, in quo scit, aut credit fore peccatum; dat exemplum, vt si quis delectationis causa, non vt malum faciat, succenderet ignem quo scit arsuras segetes, neutique eximeretur à culpa, secus autem est dicendum quando minister est paratus, quia tunc petens neq; mouetur ad peccandum formaliter, neque materialiter.

Tertia propositio, minister peccator tolleratus ab Ecclesia, licet non sit paratus, nec instet extrema necessitas, si tenetur ex officio, potest induci ad ministrādum sacramentum, & in tali casu inducens non peccabit; & ratio est, quia ille, qui vtitur iure suo nemini facit iniuriā, vt ait Innocentius tertius, & vt habetur capitulo cum Ecclesia Volterana de electione & electi potestate: dum tamen id non faciat animo nocendi, vt ibi ait Glosa; nam inducens talem ministrum, nihil aliud facit, quam quod vtitur iure suo, ergo non peccat, & hoc est ex communi Doctorum sententia. Nam ita dicit Adrianus in quarto, vbi de Sacramento Baptismi, Caetanus in commentarijs supra tertiam partem D. Thomæ qu. 64. ar. 6. Sotus in quarto, Ledes. prima parte quæst 5. art. 6. dub 8. & citat in eandem sententiam D. Thomam Durandum & alios.

Dices primo, sub tempus Paschæ verbigratia teneor confiteri, & habeo priuilegium eligendi quemcunque confessarium voluero, possum ne eligere peccatorem non paratum, puta quia est doctior? Respondet Sotus, quod nonnisi teneatur ex officio, & ratio est, quia; licet priuilegium faciat mihi facultatem eligendi, nemo tamen qui non est meus Prælatus, vel Parochus, tenetur audire meam confessionem, maxime cum suo dispendio, propterea neque etiam mihi licebit illum inducere, excepto casu necessitatis.

Dices secundo, inducere ad malum de se est malum, ergo neque licet inducere ad ministrandum sacramenta illū, qui tenetur ex officio. Respondet Sotus quod non est proprie inducere ad malū, sed ad id, quod est ius petentis, quod quidem tenetur alter facere, atque ideo benefa-

benefacere, quòd si nolit benefacere sit in caput suum.

Dices tertio, vtrum talis minister si sit excommunicatus occultè, & illum pœniteat sui peccati ob quod est excommunicatus, & aliorum omnium saltem mortalium, ita aut nihil aliud obstet ei, quā quod sit excommunicatus; peccabit ministrando sacramenta illi, qui habet ius exigendi ea ab eo. Medina tractatu de confessione q. 2. & alij nonnulli tenent partem affirmatiuam, & ratio illorum est, quia Concilium Constantiense non suffragatur quicquam excommunicatis & excommunicatus etiam si sit occultus est priuatus ob à participatione actiua, & passiua vt supra dictum est sacramentorum. Idem dicit Franciscus Toletus existimans hanc sententiam esse magis probabilem.

Contraria sententia, & verior est Nauarri, vbi de oratione Missel anea 47. nu. 3. Sotus in 4. d. 22. q. 1. ar. 4. & dist. 1. qu. 5. ar. 6. & ratio est quia hoc non redundat plusquam in fauorem recipientium; imo Concilium Constantiense nullum fauorem præstitisset fidelibus non excōmunicatis, si excommunicati peccarent sic conferendo sacramenta, quia se subtraherent ab eorum collatione, dicendo quia nolunt peccare. Adde, quod est onus excommunicatorum, vt teneantur conferre sacramēta absque eo, quod peccent ex vi excommunicationis, deinde non debet dari casus, in quo vnus sit ita perplexus, vt peccet mortaliter, tam si aliquid facit, quam si illud non facit; sed in dicto casu peccaret mortaliter excommunicatus si non ministraret sacramenta si est Parochus, si de iure ab ipso petuntur, ergo non peccaret si excommunicatus ea ministraret, alioquin esset perplexus, quia peccaret si ministraret, & peccaret si nō ministraret, quod est intolerabile; nam si sic esset, aliquis peccaret inuoluntariè, quod non potest esse, quia omne peccatum est voluntarium.

Dices postremo, & sit casus; minister malus, qui non vult conteri de peccato propter quod est excommunicatus, vel de alio peccato mortali precatur me, vt ab aliquo alio sumam sacramenta, dandò mihi licentiam, vt ab eo summam sacramenta; possem ne sine peccato illum inducere, vt ipsemet mihi ea ministret, si ego scio eum esse in peccato, vel probabiliter credo id?

Adrianus in 4. vbi de Sacramento Baptismi dicit, quod non peccabo, dummodò sperem quod saltem futuro tempore cauebit ab huiusmodi indispositione propter meam inductionem, quia dabo illi occasionem aduertentiæ, vt non maneat in peccato diutius.

Quarta propositio, in extrema necessitate licet sine peccato recipere sacramenta à malo ministro siue sit paratus ea ministrare, siue non, siue sit ab Ecclesia tolleratus, siue non; & ratio est. Primo quia in extrema necessitate rerum temporalium non prohibet Ecclesia requirere ab eiusmodi auxilium ergo multo magis in extrema necessitate spirituali nō prohibet Ecclesia requirere ab illo auxilium spirituale.

Secundo tales ministri non peccāt in tali casu ministrando ex vi censuræ, vel alio impedimento extrinseco, ergo neq; alij recipiendo; antecedens declarat simulque probat Sotus loco citato, quia si tunc Ecclesia illos prohiberet, non satis succurrisset necessitati Baptismi, quia cum non sint facienda mala, vt eueniant bona, se excusarent ab illa functione Baptizandi, quia hoc sine culpa præstare nō possent.

Dices quando intelligimus vnum esse in extrema necessitate? Respondeo quādo aliquis est in tali casu, quod si ab aliquo non reciperet sacramentum Baptismi, vel pænitentiæ, sine tali sacramēto moreretur; reliqua vero sacramenta non sunt adeo necessaria, vt aliquis dicatur respectu illorum aliquando esse in extrema necessitate.

Vltima propositio, extra casum extremæ necessitatis non licet sine peccato mortali recipere sacramenta à malo ministro non tolerato ab Ecclesia etiam parato, & hoc ob inobedietiam; per ministrum non toleratum intelligitur ille, qui est suspensus publice, vel nominatim

Zz 2

natim excommunicatus, & cum ministro nominatim excommunicato multoties supradictum est quod non licet communicare maxime in diuinis, quod intelligendum est extra casum necessitatis, quia extrema necessitas non est subiecta legi, vnde dicitur communiter quod necessitas non habet legem.

21. Decimo quæritur vtrum ex participatione cum excommunicato aliquando quis incurrat in excommunicationem maiorem. Respondeo affirmatiuè cum omnibus Doctoribus, & hoc in tribus casibus, quorũ primus est quando Clericus cum excommunicato à Romano Pontifice nominatim & iudicialiter communicat admittendo eum ad officia Ecclesiæ scienter, & sponte. Ita decernit Clemens Papa tertius, vt habetur capitulo significatis de sententia excommunicationis.

Et notandum est hic quod Nauarrus in Manuali cap. 27. nu. 93. secutus Caetanum, & Iacobus de Graphijs lib. 45. aurearum decisionum ca. 12. nu. 27. secutus Abbatem dicunt, sex debere concurrere ad hoc vt incurratur talis excommunicatio.

Primo est, quod talis communicans sit Clericus; Quod ille cum quo communicat sit excommunicatus à Papa; tertio, quod sit excommunicatus iudicialiter & nominatim, Imo post Concilium Constantiense requiritur etiam vt sit denuntiatus; quarto quod hæc communio cum tali excommunicato fiat sponte sine vllo metu etiam leui, vel iniusto, vt ait Caetanus in summa verbo excommunicatio excommunicatione 38. quod Nauarrus loco citato dicit procedere quo ad excommunicationem, non autem quo ad peccatum mortale, & Iacobus de Graphijs dicit quod hoc procedit quo ad excommunicationem in foro interiori, non autem in foro exteriori, in quo habebitur pro excommunicato, nisi constet de metu cadente in constantem virum; quinto requiritur quod scienter hoc faciat, idest quod sciat se participare in diuinis cum excommunicato à Papa; sexto, quod hæc participatio sit in diuinis, non qualiscunque, vt ait Caetan⁹ loco citato sed receptitia ad diuina, non enim excommunicaretur Clericus ille si interesset diuinis, tanquã vnus de populo.

Secundus casus est quando quis quicũque ille sit participat cum excommunicato in crimine criminoso, vt habetur in capitulo, nuper, de sententia excommunicationis, & notandum est hic quod crimẽ criminosũ est illud propter quod alter fuit excõmunicatus, puta bellum, furtum, concubinatus &c.

Notandum est secundo, quod hæc participatio consistit in præstando consilium, fauorem, auxiliũ &c. excõmunicato, vt est aliquis excommunicatus, quia bellũ gerit, vel quia non restituit rẽ quã furatus est, vel quia non reijcit concubinam, alter consilium illi dat ne cesset à bello, vel ne restituat, vel ne dimittat concubinam, vel fauorem, & auxiliũ ad hoc illi præstat.

Tertius casus est quando quis participat, vel communicat cũ excõmunicato post latam sententiam contra omnes participantes, vel communicantes cum illo, vt si Papa excommunicaret, vel denunciaret tanquam excommunicatos eos, qui inuadunt, vel inuaserunt Archiepiscopatum ad hoc, vt euitentur à fidelibus, & simul diceret quod excommunicati sint ipso facto illi, qui cum talibus participant, tunc tales non solum peccarent participando cum dictis excommunicatis à Papa, sed incurrerent in excommunicationem maiorem.

22. Vndecimo quæritur, num aliquando possit quis cõmunicare cum excommunicato absque eo quod incurrat in aliquod peccatum, vel excommunicationem? Respondeo quod potest aliquis participare cum excommunicato, & denuntiato nominatim vel publico percussore Clerici sine periculo peccati, vel excommunicationis in quinque, quæ continentur in hoc versu.

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Et notandum est primo, quod per vtile in dicto versu intelligitur. Primo vtilitas spiritualis ipsius excommunicati; videlicet ad hoc vt resipiscat, & absolutio-

solutionem requirat, quod fit prædicando illi, illum admonendo, adhortando &c. licet aliqua alia interponantur, vt commodius persuadeamus. Et Angelus in summa verbo excommunicatio 8. §.6. bene notat, quod tandiu possimus cum excommunicatis participare pro eorum salute, quamdiu habemus spem probabilem de eorum correctione, & non plus, idem dicit Syluester & alij.

Secundo per vtile intelligitur in dicto versu vtilitas spiritualis ipsius communicantis cum excommunicato, videlicet petendo consilium spirituale pro se ipso, aut pro alijs præsertim cum non occurrat occasio consulendi alios.

Tertio vtilitas temporalis eiusdem communicantis cum excõmunicato, videlicet petendo consilium ab eo temporale valde necessarium, aut petendo debitum siue in iuditio, siue extra iuditiũ, item depositum accommodatum.

Dices intelligiturne per vtile vtilitas temporalis ipsius excommunicati? Syluester in summa verbo excommunicatio videtur dicere quod nõ, cum dicit nec potest quisque ei in vestibus, aut alimentis subuenire; nisi in casu quo ad istã ex præcepto charitatis tenetur, idest in extrema necessitate, vel in necessitate quasi extrema, verum quidem est ait Syluester, quod si quis debebat aliquid ante excommunicationem præsertim cum iuramento, tenetur ad soluendum tempore debito.

Sed contrarium sentiunt alij, qui dicunt satis esse deponere debitum in sacra æde. Iacobus de Graphijs libro 4. decisionum aurearum, ait quod si quid debeo excommunicato durante excommunicatione excusor à solutione, siue dicta promissio fuerit facta ante excommunicationẽ, siue durante excõmunicatione etiam cum iuramento, quia tunc illicitum fuit tale iuramentũ, si cogitauit soluere tempore excommunicationis, quia obligauit se ad peccatũ hoc est ad communionẽ tibi iure prohibitã, vnde cum dictũ iuramentum sit cõtra iuris dispositionẽ est temerarium, & per consequens non est seruãdũ. Limita tamẽ hoc nisi excommunicatus multũ indigeret, vt supra dictum est, quia sicut in tali casu liceret illi dare eleemosynam charitatis vasa, multo magis debitum ei reddendum esset.

Notandum est secundo, quod per legem intelligitur lex matrimonialis secũdum quam coniuges possunt communicare, & sibi inuicem reddere debitũ coniugale, licet excommunicatus minime possit petere; excipitur tamẽ vnus casus quando excommunicatio fuisset lata in casu matrimoniali, vt quia lis erat, an matrimonium esset legitime contractũ, & ideo erat per iudicem Ecclesiasticũ interdictũ carnale commertiũ inter maritum & vxorem, & nihilominus maritus cognoscebat vxorem, quare fuit vir excommunicatus, & tunc mulier consentiens carnali commertio eadem sententia, & peccato inuolueretur; ita Dom. Sot. in 4. sent. d. 2. q. 1. ar. 4. conclusione 4 & Iacobus de Graphijs lib. 4. decis. aurearum, cap. 13. nu. 7.

Notandum est tertio, quod per humile intelligitur subiectio, vnde filij, serui, famuli tam vrbani quam Rusticani communicare possunt cum Hero, vel Hera excommunicatis, & Nauarrus in Manuali cap. 27 nu. 26. dicit hoc procedere quo ad eos qui ante excommunicationem se obligauerunt ad seruiendum, non autem post, saltem scienter, idest dũ scirent de tali excommunicatione, ita habetur capitulo quoniã, capitulo quod in dubijs, capitulo inter alia de sententia excommunicationis.

Dices possunt ne simul è conuerso cõmunicare parentes cum filijs excõmunicatis, & Domini, aut Heri cum famulis, aut seruis &c. excõmunicatis; Negat Glossa in dicto capitulo quoniã, sed cõtrariũ sensit Adrianus, quem citat, & sequitur Nau. in Manuali. cap. 27. num. 26. & Sotus articulo citato. Docet tamen Sotus parentes posse communicare solum cũ illis excommunicatis, quos habet domi, vel etiã qui sunt cõmensales, nõ autẽ cũ emancipatis. Item dicit Sotus quod Domini possunt participare cum seruis, & famulis excommunicatis in his officijs, quæ sibi debentur.

Quod si dicas quid de Clericis erga suam

suum Antistitem excommunicatum pos sunt neloqui cum ipso, vel communicare? Sotus articulo citato dicit quod possunt communicare, aliqui alij dicūt, quod non, sed dicendum est cum Syluestro in summa verbo excommunicatio quinto num. 4. quod Clerici possunt cōmunicare cum suo Episcopo excommunicato, quando sunt deputati suo seruitio, secus non.

Rursus dices, quid de regularibus circa suos prælatos excommunicatos. Syluester, Sotus & alij dicunt posse communicare.

Notandum est quarto, quod per rem ignoratam intelligitur, quando aliquis nescit, quod alius sit excommunicatus.

Et hic quæritur, quid si quis tantū audiuerit ab aliquo aliquem esse excōicatum tenetur ac illum vitare. Respōdeo quod si ille qui dixit mihi talem esse excommunicatum, est fide dignus, & dixit etiā esse nominatim denuntiatū, teneor illū euitare; ita Angelus in summa verbo excommunicatio 8. & Nauarrus in Manuali cap. 27. secus si id audiuissem à personis non fide dignis.

Dices secundo, quid si dubius essem, quia nescirem verbi gratia eum qui mihi id dixit esse fide dignum. Nauarrus capitulo citato dicit, quod ego non teneor eum euitare in aliorum præsentia, quia inferrem illi iniuriam.

Dices tertio, teneor ne vitare semper eum, qui semel fuit denuntiatus excommunicatus, vel notoriè Clericum percussit, donec mihi de absolutione constiterit: affirmat Angelus in summa verbo excommunicatio 8 § 16. Nauarrus in Manuali cap. 27. Coaruuias super capitulū Alma Mater, & alij præterquam in tribus casibus.

Primus est quando ipse, qui fuit excōmunicatus, est fide dignus, & dicit se esse absolutum.

Secundus est quando licet ipse non dixerit, communi tamen opinione absolutus existimatur.

Tertius est quando esset relapsum à tempore excommunicationis aliquod tempus ita longum, vt attenta qualitate personæ præsuponendum sit arbitrio boni viri eum iam absolutum esse.

23. Dices quarto vtrum ille, qui est excommunicatus in vna ciuitate, vt à Iudice Ecclesiastico, sit vbique locorum vitandus. Respondeo affirmatiuè, quia excōmunicatio sequitur excommunicatum, sicut lepra leprosum, vt dicit Coaruuias in capitulo Alma Mater, vbi dicit hanc sententiam esse communem Doctorum, quorum multos citat, à quibusdam tamen ait esse limitatam, ita vt procedat, quando ille, qui vult euitare excommunicatum potest probare alicubi esse excommunicatum & denūtiatū, si autem id non posset probare, non teneretur eum euitare, nisi in eo loco, vbi est excommunicatus & denuntiatus, intelligi publice, quia secreto tenebitur vbiqȝ eum euitare, idem sentit Armilla verbo excommunicatio §. 61.

Et hinc infertur quid faciendum esset Sacerdoti, qui dum celebraret Missam videret ingredi excommunicatum ipsi soli in eo loco cognitum, non enim teneretur ipsum expellere, ne eum infamaret, neque consequenter Missam dimittere.

¶Notandū est vltimo, quod pernecesse, in suprascripto versu intelligitur necessitas excommunicati, vel alterius, qui vult cum eo participare, & communicare, puta si alter alterius eleemosyna indigeret, quam ab alijs habere commode non posset, & ita dicunt omnes Doctores, vel vt etiam dicit Paludanus; in itinere inuicem sociari propter securitatem. Posset igitur excommunicatus sine peccato mortali, vel alij in casu necessitatis ex fidelibus exquirere eleemosynam cibi, potus, medicinarum, vestium &c. & similiter alij ab excommunicato, si non haberent alium, qui illis subueniret.

Verum enim vero magna controuersia est inter Doctores vtrum metus mortis excuset hominem, vt citra periculum peccati liceat cum excommunicato denuntiato communicare, & hoc præcipue intelligitur de communicatione in Diuinis.

De hoc sunt duæ sententiæ. Prima est metum mortis nunquam excusare cōmuni-

municantem cum excommunicato,& ratio eorum est, quia Innocentius tertius capitulo satis, de ijs quæ vi metuè fiunt dicit peccatum mortale esse communicare cum excommunicato, nullo autem metu debere quenquam induci ad peccādum mortaliter. Huius sententiæ sunt Adrianus,Paludanus, Durandus, & Gabriel in quarto sententiarum, & Caetanus prima secundæ q.96.a.4. & multi ex Canonistis.

Secunda sententia est aliorum,qui dicunt metum cadentem in constantem virum excusare participantem cum excommunicato etiam in Diuinis, & ratio est quia non est credendum, quod Ecclesia intendat velle obligare nos ad euitandum excommunicatum cum periculo mortis maxime cum propter necessitatē liceat cum excommunicato communicare. Hanc sententiam sequitur Rosella verbo excommunicatio 6. in principio Angelus verbo excommunicatio 8.§.18. Maior in 4. d.18. q. 4. Sotus in 4. d. 22. qu.1. art.4.Nauarrus in Manuali cap.27. Victoria in summa de sacramentis, vbi de excommunicatione,& hæc sententia est magis probabilis, & vera quia Ecclesia nunquam condidit legem obligantem in periculo mortis, & quod dicit Innocentius capitulo citato intelligendū est in casu in quo quis communicaret in diuinis cum excommunicato in irrisionem,& contemptum clauium, & potestatis Ecclesiasticæ, vel in odium fidei, & Religionis Christianæ, vnde si quis Hæreticus contemnens excommunicationem in contemptum Ecclesiæ comminaretur alicui mortem, nisi cum eo in diuinis communicaret;potius mortem pati deberet is,quam cum eo ita communicare.

Sed si quis Tirannus metu cogeret sacerdotem,vt coram ipso celebraret Missarum solemnia non in contemptum Religionis,aut vilipendium fidei, sed ad ostendendum se non esse iustè excommunicatum, vel pro sua libidine,non peccaret talis celebrando coram illo, quod si non peccaret propter mortem quis participando in Diuinis cum excommunicato, multo minus si participaret in humanis,vt si Rex,vel Dux,aut alius vir potens excommunicatus,& denunciatus inuitaret fidelem ad cœnam, qui si non iret periculum esset ne occideretur, aut percuteretur, aut alijs afficeretur iniurijs.

Concludendum igitur est cum supradictis omnibus in hoc capite quod participare cum excommunicato aliquando est tantum veniale peccatum, vt participare in humanis præterquam in supradictis quinque casibus. Aliquando est peccatum mortale, vt participare in dictis quinque casibus, & participare in diuinis,vt dictum est, & aliquandó præter peccatum mortale, est pœna excommunicationis maioris, vt in prædictis tribus casibus. Atque hæc de effectibus excommunicationis maioris,quæ continentur in definitione excommunicationis allata, idest de priuatione actiua sacramentorum, de priuatione à participatione orationum publicarum, & suffragiorum totius Ecclesiæ, & de priuatione commertij fidelium.

Sed quoniam præter dictos tres effectus alij sunt,ideo vt tractatus sit perfectus de ipsis est agendum etiam in hoc eodem capite.

De

De effectu excommunicationis maioris, qui est quod priuat excommunicatum à perceptione sacramentorum.

24 Hic notandum est, quod de hoc effectu aliqua sunt clara apud Doctores de quibus nulla est controuersia. Et primo clarum & certum est, quod collatio Beneficij Ecclesiastici facta excommunicato nulla est ex decreto Innocentij tertij, quod decretum habetur in capitulo postulastis de Clerico excommunicato.

Secundo certum est, quod pro excommunicato intelligitur quilibet excommunicatus, siue occultus ille sit, siue notus, siue denuntiatus, siue non, siue sit excommunicatus à iure siue ab homine, & ita Coaruuias capitulo Alma Mater prima parte § 7. nu. 1. 2. & 3. vbi etiam citat Doctores.

Tertio certum est, quod per collationē beneficij intelliguntur hæc omnia, vt bene dicit Nauarrus in Manuali. cap. 27. nu. 36. idest præsentatio ad Beneficia, electio, institutio, collatio, & permutatio, ita etiam Coaruuias loco citato, hæc enim omnia nulla sunt, idest sunt inualida si fierent excommunicato; immo nulla est etiam impetratio Beneficij, imo etiam impetratio litterarum Apostolicarum ad lites, & quascunque gratias impetrandas, vt bene dicit Coaruuias, & propterea inducta est praxis, vt simul cum litteris dictis, & collationibus Beneficiorum detur absolutio à quacunque censura ad eius effectum tantum, vt dicit Nauarrus in Man. cap. 27. nu. 21. & 22.

Sed dices primo quid si collatio Beneficij sit facta excommunicato, cuius excommunicatio est iniusta? Ad hoc respondet Coaruuias vbi supra, vbi & alios citat in eandem sententiam, talem collationem esse validam si excommunicatio est iniusta & inualida simul, non autem si tantum iniusta, sed valida.

Dices secundo, quod si excommunicatus post collatum Beneficium absoluatur ab excommunicatione, fiet ne valida illa collatio facta, seu præsentatio? Negant communiter Doctores & præcipuè Nauarrus loco citato, & Coaruuias, vnde licet postea absoluatur, tenebitur si vult possidere Beneficium efficere, vt iterum conferatur, & tenebitur ad restitutionem fructuū interim perceptorū, ita Syluester in summa verbo excommunicatio 3. §. 1. & Angelus verbo excommunicatio 1. §. 10. & alij.

Dices tertio, excommunicatus, qui excommunicatur post collatum Beneficiū amisit ne Beneficium? Respondeo quod non, si non erat excommunicatus ante, nisi diu, idest per tres annos remaneat in excommunicatione scienter absque eo, quod procuret absolutionem.

25. Dices quarto Beneficiatus excōmunicatus facit ne fructus suos sui Beneficij Ecclesiastici? Respondeo negatiuè si sit iustè excommunicatus. Ita Coaruuias lib. 3. variarum resolutionum, c. 17. nu. 8. vers. 12. & hoc procedit quando excommunicatus est in mora petendi absolutionem; secus si facit quod in se est, idest quod potest vt absoluatur, ita Paludanus in 4 d. 17. q. 4. Syluester in summa verbo excommunicatio 3. §. 1. vers. 9. Item id procedit quando non est in extrema necessitate, nam in tali casu poterit tantum percipere de fructibus, quantum opus habet ad extremam suam necessitatem subleuandam, & ratio est quia etiam in tali casu posset tantundem furari, vt dicunt omnes Doctores.

Quod si dicas, teneretur ne talis excōmunicatus, qui non potest facere suos fructus, sui Beneficij soluere pensiones, si quæ impositæ essent suo Beneficio? Respondeo affirmatiuè, & hoc fusè probat Gigas in suo tractatu de pensionibus qu. 64. tenetur etiam soluere charitatiuum subsidium, quod proprio Episcopo, vel Romano Pontifici debetur, vt dicit idē Gigas in suo tractatu ibidem.

De

De effectu excommunicationis maioris, qui est quod excommunicatus tali excõmunicatione incurrit in irregularitatem si exercet aliquem actum ordinis sacri.

26 NOtandum quod excõmunicatus excõmmunicatione maiori, interdictus, aut suspensus, si exercet actũ ordini sacro deputatum, efficitur irregularis. Ita Nauarrus in Man. cap 27. nu. 144 & Alphonsus Viualdus in suo Candelabro, vbi agit de irregularitate, & communiter omnes Doctores, & dixi excommunicatione maiori excõmunicatus, quia si esset tantum excõmunicatus excõmunicatione minori non fieret irregularis exercendo actũ ordini suo deputatum, neque peccaret mortaliter, vt habetur capitulo si celebrat de Clerico, ex communicato.

Sed dubitatio est de eo, qui ignorat se esse excommunicatũ, & exercet actũ proprium ordini sacro, an incurrat in irregularitatem. Et respondeo secundum communem Doctorum opinionẽ, quod non incurrit in irregularitatem si ignorantia est probabilis, secus si est crassa.

Secunda dubitatio est vtrum excommunicatus, qui est in sacris ordinatus incurrat in irregularitatem, si faciat aliquem actum publicum, vt iudicando, visitando, castigando, eligendo &c. incurrat in irregularitatem? Respondeo cum Nauarro loco citato quod nõ, quia hoc nullibi habetur, peccat tamen vt dicunt omnes Doctores.

Tertia dubitatio quid intelligant Doctores per actum deputatum alicui ordini. Respondeo quod intelligunt Baptizare videlicet solemniter non autem sine solemnitate, quia sine sollemnitate etiam Laici Baptizant, ministrare sacramentum ordinis, vel Confessionis, vel Sanctissimæ Euchatistiæ, Pænitentiæ, & extremæ Vnctionis, non autem interesse contractui Matrimonij, quia tunc sacerdos non exercet actum ordini deputatum.

Quarta dubitatio vtrum ille, qui recitat Horas Canonicas, & cantat responsoria ad sepulcra Mortuorum, aut Psalmos in Choro fiat irregularis si est ordinatus in sacris, & excommunicatus? Respondeo cum Nauarro loco citato quod non, quia hoc etiam aliquando faciunt Clerici in minoribus constituti, imo & Laici.

Quod si dicas Sacerdos excommunicatus, qui benedicit aquam incurrit ne in irregularitatem? Ad hoc respondet Syluester affirmatiuè in summa verbo aqua benedicta.

Quinta dubitatio vtrum fiat irregularis ille ordinatus in sacris, qui cum sit excommunicatus cantat Epistolam sine Manipulo, aut Euangelium sine stolla. Respondeo quod non, quia cantare Epistolam sine Manipulo, & Euangelium sine Stolla, non est actus alicui ordini deputatus, ita Nauarrus in Man loco citato, fieret autem irregularis Subdiacon⁹, qui cum Manipulo cantaret Epistolam in excommunicatione, vel Diaconus cũ Stolla cantaret Euangelium.

Sexta dubitatio vtrum Prælatus excommunicatus, qui facit Sacerdotem coram se celebrare, fiat irregularis. Respondeo affirmatiuè, vt dicunt omnes, & vt habetur in lege Canonica, sicut ẽ conuerso fit irregularis si facit celebrare coram se sacerdotem excommunicatum, licet non sit excommunicatus.

Septima dubitatio vtrum excommunicatus, qui recipit ordinem sacrum fiat irregularis? Respondeo affirmatiuè vt habetur capitulo cum illorum de sententia excommunicationis, similiter & si recipit ordinem minorem secundum communem Doctorum opinionẽ, licet contrarium dicat Sotus in 4 distinctione 22. quæst. prima, secus esset si recipit.

primam tonsuram, quia prima tonsura non est ordo, similiter si recipiat ordinē cum ignorantia inuincibili, idest ignorando inuincibiliter se esse excommunicatum.

Octaua dubitatio vtrum excommunicatus ignorans se esse excommunicatum si celebrat excusetur ab irregularitate, sicut si recipit ordines; Respondeo affirmatiuè, vt habetur capitulo Apostolica de Clerico excommunicato, pariter ille, qui bona fide credens se rectè absolutum esse celebraret, non esset irregularis, quia celebratio excommunicati, nisi sit peccatum mortale non inducit irregularitatem, ita Panormitanus in capitulo Pastoralis de appellatione, & Nauarrus in Manuali capitulo 27. & libro 5. de sententia excommunicationis consilio 18. num. 2.

Nona dubitatio vtrum excommunicatus occultus possit celebrare, etiam si sciat se esse excommunicatum, vbi immineat non solum periculum mortis, sed etiam grauis scandali, seu infamiæ, vt si sacerdos occidisset Clericum occultè, & si non celebraret, homines existimarent Clericum ab eo fuisse occisū, & propterea eum non celebrare; Coaruuias in capitulo alma mater, & multi alij dicunt talem peccare mortaliter, & fieri irregularem si celebraret, & ratio eius est, quia Ecclesia reddit excommunicatos inhabiles ad sacramenta, & ad diuina officia, sed Nauarrus & optimè in Man. c. 27. n. 234. contrariū dicit, scilicet licitum esse celebrare post debitā contritionem illi Sacerdoti, qui probabiliter credit, quod si non celebraret infamaretur, & ratio eius est, quia lex naturalis de deffendēda sua fama præstat legi humanæ de abstinendo à celebratione cum quis est excommunicatus. Iacobus de Graphijs lib. 4. decisionū aurearū c. 11. n. 16. idē dicit, & affert exemplū etiā de moniali, quæ incidit in cēsuram Papalem, quod ante moram petendi absolutionem possit Eucharistiam recipere, eo tempore quo aliæ ad id tenentur, & ratio est, quam diximus, quia lex naturalis, & diuina de deffendenda sua fama præstat legi humanæ de abstinendo à sacro ob irregularitatem, & opinio Nauarri est melior, quam opinio Coaruuiæ propter ratioñē, quam affert ipse Nauarrus.

27. Decima dubitatio vtrum excommunicatus possit sepeliri in Ecclesia. Respondeo negatiuè, si est nominatim denuntiatus, vel publicus Clerici percussor, vt optimè dicit Nauarrus in Manuali cap. 27. nu. 23. & habetur capitulo sacris, de sepulturis, similiter nec possunt celebrari diuina officia pro tali mortuo excommunicato, nisi prius absoluatur ab excommunicatione; quo modo excommunicatus mortuus possit absolui dicetur infra.

Decimaprima dubitatio vtrum contractus facti ab excommunicato sint validi, vt emptio, venditio, locatio, conductio &c. Respondeo affirmatiuè, vt dicit Nauarrus in Manuali cap. 27. nu. 36. nisi essent actus, vel contractus pertinentes ad iurisdictionem Ecclesiasticā humanam, quales sunt præsentatio ad Beneficia, electio, collatio &c. de quibus supra dictum est, valet etiam Testamentum factum ab excommunicato, nisi sit excommunicatus propter Hæresim.

Vltima dubitatio quid facere debeat Sacerdos celebrans, cum videat excommunicatum ingredi in Ecclesiam, quando cognoscit talem Excommunicatum esse denuntiatum nominatim, vel publicum Clerici percussorem. Nau. in Man. cap. 27. nu. 34. dicit quod in tali casu Sacerdos debet publicè monere excommunicatum quod exeat, quod si ille nolit exire, nec commode possit expelli, dimittat Missam Sacerdos, si adhuc non inchoauit Canonem, qui incipit, vt dicit Nau. ibidem, Te igitur; Si vero antequā excommunicatus ingrederetur Ecclesiam, vel Sacerdos sciret eum esse ingressum, iam inchoauerat Canonē, dicit Nauarrus, quod debet prosequi ipse solus cum illo tantum, qui assistit, seu ministrat, nam reliqui fideles exire debent, nisi velint peccare mortaliter, donec sumpserit sacramentum, quo sumpto anteaquā dicatur post cōmunionē, moneat (inquit Nauarrus) iterum excommunicatum vt exeat, quod si nolit exire,

exire, nec sacerdos possit facere eum exire, reuertatur in Sacristiam, & ibi dicat post communionem, & finiat Missam.

Aliter dicunt alij quoad Canonem, imo & ipse Nauarrus in lib. de Oratione cap. 16. nu. 60. & Sotus in 4. d. 22. q. 1. ar. 4. quod videlicet Sacerdos teneatur dimittere Missam etiam si inceperit Canone vsq; ad cõsecrationem exclusiuè, nam si incæpta esset consecratio tunc prosequendum esset vsque ad sumptionem, reliqua vero facienda sunt in sacrario.

CAPVT QVARTVM.

De Diuisione excommunicationis.

1. *Quotuplex sit excommunicatio.*
2. *Excommunicatio minor vnde dicatur.*
3. *Excommunicatus excommunicatione minori an possit eligi ad beneficium.*
4. *Quomodo incurratur excommunicatio minor.*
5. *Quis possit absoluere ab excommunicatione minori.*
6. *Dolor requisitus, vt quis absoluatur ab excommunicatione minori.*
7. *Excommunicatio alia à iure, alia ab homine.*
8. *Alia iusta, alia iniusta.*
9. *Alia lata, alia ferenda.*

1 IN hoc capite quæritur quotuplex sit excommunicatio? Respondeo quod à Doctoribus excõmunicatio multipliciter diuiditur, & præsertim à Nau. in Man. cap. 27. in quinque primis numeris.

Et prima diuisio excommunicationis est in maiorem & minorem, maior excommunicatio est illa, quæ priuat hominem à participatione actiua, & passiua Sacramentorum, precibusque & suffragijs communibus Ecclesiæ, & à commercio fidelium. Minor autem est illa, quæ tantum priuat à participatione passiua Sacramentorum, non autem actiua, neque à participatione orationum, aut suffragiorum Ecclesiæ, aut à commertio fidelium, vt modo dicam. Et quoniam in capitulo antecedenti fusè explicati sunt effectus excommunicationis maioris; sed nihil vel parum dictũ fuit de excommunicatione minori; ideo hic aliqua dicentur de effectibus excommunicationis minoris; item de casibus in quibus incurritur; item & de alijs, quæ Doctores solent afferre de excommunicatione minori, de qua postea nulla alia erit mentio, quia pauca sunt ea, quæ Doctores de ea dicunt.

2. Notandum igitur est primo, quod excommunicatio minor ideo dicitur minor non quia illi, qui in eam incurrũt peccent tantum venialiter semper, nam aliquando aliqui incurrunt in excõmunicationem minorem propter peccatũ mortale, vt sunt illi qui participant cum excommunicato maiori excõmunicatione in diuinis peccãt mortaliter, vt dictũ est in capite antecedenti, & incurrũt in excommunicationem minorem; sed dicitur minor, quia solum priuat à cõmunione passiua Sacramentorum, & non ab actiua, neque à suffragijs, & orationibus communiter, & commertio fidelium. Vnde dicitur excommunicatio minor; quia eius effectus est multo minus, quã sit effectus excõmunicationis maioris.

Notandum est secundo, quod effectus excommunicationis minoris facile cognoscuntur ex ijs, quæ habentur capitulo si celebrat de Clerico excõmunicato, vbi est. Primo quod si minori excõmunicatione ligatus celebrat grauiter peccat, non autẽ fit irregularis. Secundo quod licet possit eligere, vel exercere ea, quæ sibi competunt ratione iurisdictionis,

non tamen potest eligi ad aliquod beneficium Ecclesiasticum, eius electio enim esset irritanda, si eligeretur ad tale Beneficium.

3. Et propterea quæritur secundo nũ excõmunicati excommunicatione minori possint eligi ad Beneficium Ecclesiasticum. Et aliqui affirmant, quia in dicto capitulo si celebrat, dicitur, quod si excõmunicatus excõmunicatione minori eligitur, eius electio erit irritãda, non autem dicitur quod sit irrita, ita dicit Filinus in capitulo dilecti de exceptione, contrarium sensit Angelus in summa verbo excommunicatio primo, Armilla in summa verbo excommunicatio. § 5. & alij omnes, qui dicunt excõmunicatum excommunicatione minori esse inhabilem ad recipienda beneficia, & consequenter si eligatur ad Beneficium dicunt, quod talis electio est nulla. Et ad rationem prioris sententiæ, Respondet Coaruuias illud verbum, esse irritandum in Canone citato, intelligi debere esse declarandam irritam, vt patet ex antecedentibus, & consequentibus in dicto capitulo ita inquam, vt dicit Coaruuia in capitulo Alma Mater.

Quod si dicas excommunicatus excõmunicatione minori est ne priuatus fructibus Beneficij illius, quod obtinebat ante excommunicationem? Respondeo quod non, quia hæc pœna non est in iure expressa.

Sed dices vtrum participans cum excommunicato excommunicatione minori peccet, vel fiat excommunicatus? Respondeo quod non secũdum communem Doctorum opinionem, habet enim (vt inquit Dom. Sotus lib. 4. sent. d. 22. q. 2. ar. 3.) excommunicatio minor hanc qualitatem, vt non transeat in aliam personam, quia qui communicat cum huiusmodi excommunicato non excommunicatur.

4. Tertio quæritur in quo casu quis incurrat in excommunicationem minorem? Syluester in summa verbo excommunicatio 4. reffert multos casus, quibus olim incurrebatur in excommunicationem minorem, qui casus hodie non sunt in vsu, vt ait Sotus in 4. d. 22. quæst. 2. artic. 3. vbi dicit cum communi Doctorum opinione duo. Quorum primũ est excommunicationem minorẽ nũquã infligi ab homine, quia nullus iudex vnquam aliquid præcipit sub pœna excommunicationis minoris, sed quòd semper infligitur à iure. Secundũ est quod nunc tantũ incurritur propter participationẽ cum excommunicato maiori excommunicatione denuntiato nominatim, vel cum publico percussore Clerici, in diuinis vel humanis, nisi excusetur per ea, quæ continentur in illo versu.

Vtile, Lex, Humile, &c. suprascripto in capitulo antecedenti, & declarato.

Sed dices hic, quando excommunicationi nõ additur quod sit maior, vel minor, est ne intelligenda maior, vel minor? Respondeo quod semper est intelligenda maior, vt declarauit Gregorius primus capite penultimo de excommunicatione.

Quarto quæritur, quis possit absoluere ab excommunicatione minori. Respondeo secundum communem Doctorum opinionem, quod ab excommunicatione minori potest absoluere quicunque sacerdos, qui sit Confessarius, hoc est, qui habet iurisdictionem absoluendi à peccatis mortalibus. Et pariter quia excommunicatio minor priuat à participatione passiua sacramentorum, & ideo qui potest ministrare sacramenta ex officio, potest etiam absoluere ab excommunicatione minori.

Quod si dicas in excommunicationẽ minorẽ aliquando incurritur solum per peccatum veniale, vt dictum est supra nempe participatione cum excommunicato in humanis, sacerdos autem simplex absque vlla iurisdictione potest absoluere à venialibus, vt dictum est in tractatu de Sacramento Pœnitentiæ, ergo omnis sacerdos, etiamsi non possit absoluere à mortalibus poterit absoluere à minori excommunicatione? Respondeo quod excommunicatio minor vere est censura quæ incurritur à iure, censura vero est actus iuridicus, ac proinde non potest ab ea absolutio fieri, nisi per

cum,

eum,qui habeat iurisdictionem. Contrariæ opinionis fuit Nauarrus in Manuali cap.27. numer. 25. qui dicit simplicem Sacerdotem posse absoluere ab excommunicatione minori, contra Caetanum, sed Caetani opinio est communior, idest quod ad absolutionem excommunicati in excommunicatione minori, requiritur vt absoluens habeat aliquam iurisdictionem propter rationem dictam, quæ iurisdictio non est in simplici Sacerdoti,qui nullam habet iurisdictionem, sed in Confessario, qui vel ordinariam,vel delegatam iurisdictionem habet.

6. Hic quæritur vtrum requiratur dolor,ad hoc vt aliquis absoluatur ab excommunicatione minori. Ad hoc respõdeo quod non, quia etiam inuitus potest absolui ab excommunicatione tam maiori,quam minori, vt habetur ex Iacobo de Graphijs lib.4. decisionum aurearum cap.1. nu.15.& ex alijs Doctoribus, secus esset si quis vellet absolui à peccato propter quod incurrit in excõmunicationem,nam tũc esset necessaria contritio,vel sufficiens attritio.

Quod si dicas quid ergo requiritur ad hoc vt excommunicatus excommunicatione minori possit absolui? Respondeo quod tantum requiritur, vt proponat obedire Ecclesiæ ab eo peccato abstinendo, quod habet anexam hanc excommunicationem, idest à participatione cum excommunicato nominatim denũtiato,vel publico Clerici percussore.

Demum dicet quis, quale peccatum erit si excommunicatus excommunicatione minori recipiat Sacramenta? Respondeo esse mortale, vt dicunt communiter Doctores in 4. sent. maxime Sotus d.22. quæst.1. ar.1. & qu.2. ar.4. Atque hæc de excommunicatione minori, & de prima diuisione excõmunicationis, quæ est in maiorem & minorem.

Secunda diuisio excommunicationis est in illam,quę imponitur à iure,& illã quæ imponitur ab homine.Excõmunicatio à iure est illa, quæ infligitur ab aliquo canone, vel constitutione,vel statuto. Excommunicatio vero ab homine est illa, quæ infligitur ab aliquo iudice Ecclesiastico extra canones,vel statuta, vt si quis iudex præcipit alicui vt restituat,vel soluat alteri,vel compareat tali die sub pœna excommunicationis, & quia noluit comparere,soluere, aut restituere, ab eodem iudice excommunicatus fuit.

Et inter has excommunicationes est hoc discrimen, quod illa quæ est à iure durat etiam post mortem conditoris canonis,vel statuti: at vero illa quæ est ab homine cessat post mortem eius, qui eã infligit, aut cessante eius officio, vt est communis Doctorum sententia; quod quidem procedit quo ad eos,qui non incurrunt in excommunicationem, antequam excommunicans moreretur, vel moueretur ab officio, nam in tali casu sine absolutione non cessaret excommunicatio.

Rursus excõmunicatio lata à iure duplex est,vna est à lege communi,quæ lata est aliqua lege Concilij Generalis,vel Papæ; & in corpore iuris continetur. Altera est quã statuit conuentus aliquis Episcoporum, vel aliqua constitutio Synodalis,vel statutum aliquod Episcopi.

Rursus excommunicatio lata ab homine duplex etiam est,altera Generalis, & altera specialis. Generalis est illa, quæ à Iudice Ecclesiastico lata est generaliter contra quẽcũq;,qui hoc vel illud fecerit. Specialis vero est ea, quæ à Iudice Ecclesiastico lata est specialiter contra aliquem particulariter, quia nõ obediuit in hoc vel illo.

8. Tertia diuisio est in iustã, vel iniustã.Excõmunicatio iusta est illa, quæ fertur à legitimo iudice ob iustã causã seruatis debito ordine,& fine. Iniusta vero est illa,cui deest aliqua ex cõditionibus assignatis excommunicationis iustæ.

Rursus iniusta duplex est, vna valida, altera inualida. Valida est illa, quæ est firma & rata secundum leges Ecclesiæ, licet alioquin prohibita sit, nam multa fieri vetantur, quæ tamen facta tenent; inualida est illa, quam irritam reddunt leges Ecclesiæ, & de his dicam infra capite vltimo sequentis partis.

9. Quarta & vltima diuisio est in ex-

commu-

communicationem ferendam, & latam, excommunicatio ferenda eſt illa in qua dicitur iubemus, vel præcipimus, vt hoc fiat, vel illud fiat ſub pœna excommunicationis, nec aliud additur.

Secundo quando dicitur excommunicetur, vel aliud verbũ imponitur, quod ſignificet actionem iudicis futuram.

Excommunicatio lata infligitur multis modis. Primo quando dicitur excommunicamus, Anathematizamus.

Secũdo cum dicitur declaramus, vel denuntiamus, hunc vel illam excommunicatum, vel Anathematizatum.

Tertio quando dicitur ipſo iure, vel ipſo facto, vel auctoritate noſtra, vel auctoritate noſtræ conſtitutionis, vel nulla alia expectatata ſententia, ſeu declaratione, continuo, ſtatim, confeſtim, excommunicationem incurrat.

Quarto quando dicitur ſub pœna excõmunicationis latæ ſententiæ.

Quinto cum dicitur, ſubiaceat excõmunicationi, vel incurrat in excommunicationem.

Sexto cum dicitur, ſciat, nouerit, vel intelligat eſſe excommunicatum.

Poſtremo dicitur, eſt, vel eſto excommunicatus.

PARS SECVNDA
DE POTESTATE EXCOMMVNICANDI.

Haec pars diuiditur in quinque capita.

In quorum primo agam de ijs qui possunt excommunicare.

In secundo agam de ijs qui possunt excommunicari.

In tertio agam de causa ob quam potest ferri excommunicatio.

In quarto agam de modo, qui est seruandus in ferenda excommunicatione.

In quinto & vltimo agā de excommunicatione iusta, & iniusta.

CAPVT PRIMVM.

De ijs qui possunt excommunicare.

1 *Vtrum in Ecclesia sit potestas excommunicandi.*

2 *Quis possit in Ecclesia excommunicare.*

3 *Vtrum omnes praelati possint ferre excommunicationem à iure, an verò illam solum ab homine.*

4 *Parochus an habeat facultatem excommunicandi.*

5 *Iudex excommunicatus, vel suspensus vtrum validè possit aliquem excommunicare.*

1 IN hoc capite primo quaeritur vtrum in Ecclesia sit potestas excommunicandi. Et respondeo quod licet Luterani, Caluinistae, & alij Haeretici nostri temporis negēt paenes Ecclesiam esse potestatē excommunicādi. Certissima fide tamen credendum est in Ecclesia esse talem potestatem, & licet ad hoc probandum nobis sufficeret

ret vniuersalis, & antiqu⁹ Ecclesiæ mos, & vsus tamen hic etiam aperte potest probari ex his locis sacræ scripturæ.

Primo ex ijs, quæ habentur Matthæi 18. sit sibi sicut Ethnicus, & publicanus, si non audierit Ecclesiam, vbi subditur, Amen dico vobis quæcunque ligaueritis super terram erunt ligata in Cælo, quasi diceret Christus, qui non audierit Ecclesiam, idest qui non obediuerit mandatis Ecclesiæ sit sibi sicut Ethnicus, idest priuatus communibus Ecclesiæ suffragijs, orationibus, & Sacramentis, sicut est priuatus Ethnicus, nã quodcunque ligaueritis super terras erit ligatum in cælo.

Secundo in prima ad Chorintios 5. dicit D. Paulus contra illum incestuosum, qui Nouerca abutebatur, iudicaui illum qui sic operatus est, In nomine Domini N. I. C. tradere huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini N. I. C. quare, vt inquit D. Thomas & alij Doctores in expositione illius capitis, sicut Christus dedit Apostolis potestatem eijciendi Dæmones ab hominibus, ita è conuerso eisdem dedit potestatem tradendi homines Dæmonijs, quando essent Ecclesiæ inobedientes.

Tertio in prima ad Timothæum 1. dicit D. Paulus, quos tradidi Satanæ, loquens de Imeneo, & Alexandro, vt discerent non blasphemare, vbi D. Ambrosius, D. Crisostomus, Theophilus, & alij Doctores exponunt de excommunicatione.

Quarto ad Titum dicitur Hæreticum hominem post vnam, & secundam correctionem deuita.

Quinto in secunda Ioannis cap. 1. si quis venit ad vos, & hanc doctrinam nõ affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis, qui enim dixerit ei aue communicat eius malignis operibus.

Demũ ex antiquissimo Ecclesiæ vsu, & testimonio Patrum colligitur potestas excommunicandi, quæ est in Ecclesia.

Secundo quæritur quis possit excommunicari in Ecclesia. Pro responsione. Notandum est primo, quod potestas excommunicandi non est potestas ordinis, sed iurisdictionis, vt habetur capitulo transmissum de electione, vnde Episcopus electus nondum ordinatus, & consecratus potest excommunicare, etiam si nondum sit in minoribus, vel sacris ordinibus ordinatus, sed alias simplex Sacerdos ordinatus non potest excommunicare, quia ad excommunicationem non requiritur in excommunicãte potestas ordinis, qualis est in Sacerdote, sed iurisdictionis qualis est in Episcopo electo, etiam si non sit ordinatus.

Notandum est secundo, quod potestas excommunicandi non est potestas iurisdictionis sæcularis; sed Ecclesiastica, & spiritualis. Vnde superior Sæcularis, vt Princeps, Imperator, Rex, Dux non possunt excommunicare, sed quidem Papa, Episcopus, vel alius Ecclesiasticus, qui habet iurisdictionem.

Notandum est tertio, quod potestas Ecclesiastica excommunicandi non est in foro interiori pænitentiæ, sed in foro exteriori.

Notandum est quarto, quod quia potestas excommunicãdi est Ecclesiastica, & spiritualis, de iure Canonico requiritur, quod ille qui vult excommunicare sit saltem Clericus, idest habeat primam tonsuram. Et ex hoc infertur quod laicus quicunque, & fæmina quæcunque etiam si esset Abatissa, vel Priorissa non potest excommunicare, nisi haberet particularem facultatem excommunicandi à Papa.

Notandum est quinto, quod potestas excommunicandi potest haberi, vel ex officio, vel ex delegatione, idest potest esse ordinaria, vel delegata, & potest præscribi longa consuetudine. Vnde Doctores communiter præcipuè Nauarrus in Man. cap. 27. Coaruuias, & alij dicunt quod potestatem excommunicandi possunt aliqui habere, vel de iure Diuino, vel de iure Canonico communi, vel Canonico speciali, vel ex consuetudine, vel ex præscriptione, vel cõmissione, vt omnes sequentes videlicet. Papa primus, Patriarcha, Archiepiscopus, Episcopus,

pus,

pus, Concilium Generale, Concilium Prouinciale, legati, Nuntij Apostolici, Capitula sede vacante Conseruatores Apostolici, Visitatores, item & desti nati ab Episcopis Inquisitores Fidei Catholicæ, Archidiaconi multi, & multi Archipresbiteri, Monachorum, vel Religiosorum omnium præfecti, quales sunt Generales, Prouinciales, Priores, Guardiani, Rectores, & Ministri, qui conuentibus præficiuntur, & qui non cognoscunt alium superiorem in suis conuentibus, & etiam Abbates non benedicti, dummodo sint confirmati, hi enim omnes de iure possunt excommunicare.

Et aduertendum est hic, quod omnes illi præfecti Religiosorum habent auctoritatem excommunicandi ex officio suo, & concessione iuris, at vero eorum Vicarij, & etiam Vicarij Episcoporum, nonnisi ex delegatione, seu commissione, seu commissione, quanquam Vicarius Generalis Episcopi habeat id vt iudex ordinarius ex officio suo, & si vultis videre hæc omnia, quæ diximus legite capitulum cum ab Ecclesiarum Præfectis in titulo de officio iudicis ordinarij, & capitulũ sicut tuis in titulo de Simonia.

Quod si dicas Glosa 24. quæstione 3. capitulo corripiantur, videtur dicere, quod excommunicare sit proprium officium Episcopi, & non alterius prælati, & hoc etiam videtur probari ex eo, quod vt supra diximus in principio istius tractatus, excommunicatio dicitur mucro Episcopi, quomodo ergo Prælati Religiosorum, & Vicarij Generales Episcoporum habent potestatem excommunicandi ex officio suo? Respondeo vtrunque esse verum in suo sensu; nam iure diuino potestas excommunicandi est annexa officio Episcopali, vt habetur loco supra citato Matthæi 18. vbi Christus Dominus dicit Episcopis in persona Apostolorum, quæcunque ligaueritis super terram erunt ligata in cælo. At vero potestas excommunicandi conceditur Præfectis Religiosorum, & cæteris, qui non sunt Episcopi ex dicto, iure Canonico, communi ex officio suo, vt habetur capitulo ab Ecclesiarum Præfectis de officio iudicis ordinarij.

Et aduerte hic diligenter, quod licet iure diuino potestas excommunicandi sit annexa officio Episcopali tamen iustis de causis potest à Papa hæc potestas tolli à toto, vel minui ex parte.

Item aduertendum est, quod hæc potestas non potest exerceri ab Episcopo, nisi quando Episcopus habet subditum quare Episcopus, qui nullum habet Episcopatum non potest excommunicare, quia non habet subditos. His ergo tanquam certis positis.

3. Tertio quæritur, num dicti Prælati omnes indifferenter possint ferre excommunicationes, quæ dicuntur à iure, an vero eas tantum, quæ dicuntur ab homine? Respondeo & dico primo, quod omnes illi, qui habeãt potestatem condendi leges, statuta, & constitutiones possunt imponere excommunicationes, quæ dicuntur à iure.

Dico secundo, quod cæteri non habẽtes hanc potestatem non possunt imponere, nisi eas, quæ dicuntur ab homine, vnde duo infert Sotus in quarto dist. 22. qu. 2. art. 2. in fine conclusionis primæ. Primo quod Episcopi omnes, concilia Generalia, & Prouincialia, & legati Apostolici possunt ferre excommunicationes à iure. Secundo quod Præfecti Monacorum, seu Regularium, Inquisitores Catholicæ fidei, Conseruatores, Commissarij Apostolici, & capitula sede vacante nõ possunt ferre excommunicationes plusquam ab homine; & ratio est quia illi habeant potestatem condendi leges, statuta, & constitutiones, non autem isti, licet possint aliquid præcipere, vel prohibere sub pœna excommunicationis.

Quod si dicas ius commune positiuũ concedit ne Parocho facultatem excõmunicandi in aliquo casu? D. Thom. in 4. d. 10. q. 2. a. 2. dicit Parochis esse facultatem excommunicandi in aliquibus casibus, puta in furto, & rapina, & similib⁹, cui adhæret, & Syluester in summa verbo

excommunicatio.

Ego dico primo, Parocho nullam facultatem excommunicandi concedi à Iure Canonico; & ratio huius est, quia nullibi in iure communi reperitur hæc facultas concedi Parocho.

Dico secundo, quod Parochus aliquãdo solum habuit ex vsu, & legitima cõsuetudine loci potestatem excommunicandi in furto, & rapina; & ita intelligendus est D. Thomas loco citato, sed nunc per Concilium Tridentinum omnino sublata est hæc facultas Parochis, & certum est nobis, quod in Diœcesi Mediolanensi non est talis vsus, vel consuetudo.

5. Quarto quæritur, vtrum si iudex Ecclesiasticus excommunicatus, vel suspensus aliquem excommunicat, valeat excommunicatio. Doctores communiter conueniunt in hoc quod nullus Clericus, iudex, vel alius excommunicatus, vel suspensus, nominatim denunciatus, aut notorius Clerici percussor habet potestatem excommunicandi, quando, & vbi est manifestus, & si tentet ferre excommunicationem, talis excommunicatio erit nulla, & ratio huius est, quia ipse iudex talis non tolleratur ab Ecclesia, & est illi penitus ablata iurisdictio.

Sed controuersia tota est quando talis iudex excommunicatus, aut suspensus est occultus, multi enim afferunt talem iudicem non habere auctoritatem excõmunicandi, & quod si tentet excommunicare, excommunicationem esse nullã; ita Angelus in summa verbo excommunicatio, Ledesmus lib. 2. secutus Glosam 24. qu. 1. & ratio illorum est, quia excommunicatio & suspensio tollit iurisdictionem excommunicandi, & suspendendi. Contraria sententia est communis aliorum, quod iurisdictio excommunicandi, vel suspendendi non tollitur, nisi per manifestam sententiam.

CAPVT SECVNDVM.

1 *Quis possit excommunicari.*
2 *Prælatus existens extra suum territorium an possit suos subditos excõmunicare.*
3 *Episcopus an possit excommunicare subditum fugientem ad alium Episcopatum.*
4 *Excommunicatus an possit iterum excommunicari.*

1 IN hoc capite primo quæritur, quinam possit excommunicari? Respondeo quod nemo nisi sit homo Baptizatus, mortalis, habens superiorem.

Infertur primo ex eo, quod dixi, nisi sit homo, quod non possunt excommunicari locustæ, Brucus, aut aliud genus vermium, aut animalium irrationalium, vt dicit Nauarrus in Manuali cap. 27. nu. 13. quanquam possumus vti contra ea aqua benedicta, precibus, & adiurationibus sanctis fundatis in diuina bonitate, & suis sanctissimis verbis, & institutione Catholicæ Ecclesiæ. Quibus solis inquit Nauarrus vtinam vterentur illi, qui audacter promittunt se iacturos ea ab illa, aut illa regione, si illud, vel illud sibi detur, quãdoquidem nihil quod superet vires naturales, & effectum Sacramentorum, & institutionis Ecclesiæ, & reuelationem particularem, potest certo promitti, atque ipsi promittunt, nec pretium peti sine specie cuiusdam Simoniæ.

Infertur secundo ex eo, quod dicitur, qui potest excommunicari debet esse homo, quod vniuersitas, seu collegium non potest excommunicari, vt etiam dicit Nauarrus loco citato, & omnes alij, quia communitas, vel collegium non est

est homo; Et hic aduerte duo esse certa, idest quod potest excommunicari collegium, vel vniuersitas distributiuè, idest quod possunt excommunicari omnes personæ illius Collegij, qui contrafecerunt alicui decreto, & hoc modo remanebunt excommunicatæ illæ personæ illius Collegij, quæ contrafecerunt, non autem aliæ, quæ non contrafecerunt. Secundò certum est non licere excommunicare collectiuè totum Collegium, vel totam vniuersitatem, sed illos tantũ, qui culpabiles extiterunt, hoc enim expresse prohibet Innocentius quartus de sententia excommunicationis in 6. cap. Romano.

Infertur tertio, quod quia non potest excommunicari aliquid, nisi sit homo, non potest excommunicari Diabolus, neque Angelus.

Quod si dicas D. Paulum ad Galatas primo dixisse Anathema esse Angelum si aliter Euangelizaret, quam ipse? Respondeo quod D. Paulus dixit Angelum anathema esse si falsam Euangelizaret, sed sicut Angelus non potest falsum Euangelizare, ita non potest excommunicari, verba enim D. Pauli procedunt ex suppositione, supposito enim quod Angelus falsum Euangelizaret Anathema esset, sed sicut Angelus non potest Anathema esse idest excommunicari, ita nõ potest falsum Euangelizare.

Infertur quarto, quod non potest excommunicari Ethnichus, seu homo non Baptizatus. Et ratio cur Ethnicus, Iudæus, vel alius quicunque non Baptizatus, etiam si sit Chatecumenus non possit excommunicari, est, quia tales non sunt subiecti Ecclesiæ, vt dicit Nauarrus loco supra citato, quia per Baptismum homo ingreditur in Ecclesiam, licet Cathecumenus possit lucrari indulgentias, & illi prosint Missæ, & suffragia.

Infertur quinto, ex eo quod dicitur mortalis ille, qui excommunicari potest, quod non possit excommunicari homo mortuus, vt dicit Nauarrus loco citato, & Dom. Sotus in 4 d 22 & Coaru. in prima parte relectionis in Canonem Alma Mater, & ratio est quia mortui sunt exempti à communi Ecclesiæ iurisdictione.

Quod si dicas si quis moritur excommunicatus remanet excommunicatus post mortem, ita vt viui non possint cũ illo communicare suffragijs & eleemosyna. Nam in primis Ecclesiastica sepultura est interdictus, neque possunt eleemosinæ pro ipso recipi, saltem à ministris Ecclesiæ, deinde si aliqua signa contritionis in excommunicato ante mortẽ apparuerint, potest defunctus absolui, vt possit loco sacro solemniter sepeliri, ac pro illis possint suffragia offerri. Respondeo quod defunctus, prout defunctus non potest excommunicari propter peccatum, quod commisit quando viuebat, nam si crimen habebat annexam excommunicationem, iam erat excommunicatus antequam moreretur, si vero nõ habebat annexam excommunicationẽ, necessaria est ante excommunicationẽ canonica præmonitio, vt postea dicam in cap. 4. quæ defuncto fieri non potest. Potest tamen postquam est defunctus aliquis declarari, & iuridice pronuntiari, quod erat excommunicatus ante mortem, quod sæpe fit in crimine hæresis, solent enim aduersus Hereticos etiam post mortem pronuntiari sententiæ, quibus declarantur fuisse Hæretici, & inde priuantur Ecclesiasticis suffragijs, seu potius declarantur fuisse priuati suffragijs, & eorum ossa extrahuntur à sepulturis & comburuntur ad aliorum exemplum.

Infertur vltimo, quod nemo potest excommunicare se ipsum, aut æqualem, puta Episcopus non potest excommunicare Episcopum, Neque superiorem, vt Archiepiscopum; & ratio est, quia excommunicatio est actus iurisdictionis per quam nemo potest habere ius in se ipsum, vel æqualem, vel superiorem, cum actus iurisdictionis dicat superioritatem; & ex hoc sequitur quod Papa si percutiat Clericum, vel alium, crimen committat cui sit annexa excommunicatio, non remaneat excommunicatus, & quod Episcopus nunquam excommunicatur propter excommunicationẽ à se ipso latam, vt si Episcopus excommunicaret omnes, qui faciunt hoc vel illud, vel faciunt hoc, vel illud, si ipse fa-

ciet hoc, vel illud non remanebit excõmunicatus, vt dicunt omnes Doctores.

Quod si dicas potest ne excommunicari Amens? videtur enim quod sic, quia homo mortalis Baptizatus habens superiorem potest excommunicari, Amens est homo mortalis, & potest esse Baptizatus, & habet superiorem. Respondeo quod ille stultus non potest excommunicari, quia excommunicatio fertur propter aliquod peccatum mortale, vt dicam in capitulo sequenti, quod quidem non committitur à stulto, & propter eandem rationem non possunt excommunicari pueri, qui non habuerunt vsum rationis, si vero stultus aliquando habuit vsum rationis, & propter peccatum mortale, quod fecit antequam in amentiam caderet posset excommunicari non tamen expediret excommunicare, postquam factus est stultus.

2. Hic quærunt Doctores, vtrum Prælatus existens extra suum territorium possit excommunicare suos subditos. Respondeo quod non, & ratio est quia Prælatus non potest excommunicare aliquem sine cognitione causæ, causam vero non potest cognoscere, nisi sedens pro tribunali, at tribunal non potest habere extra suam Diœcesim. Excipiuntur tamen aliqui casus.

Quorum primus est, quando Episcopus excommunicat aliquem pro facto notorio in quo non requiritur cognitio causæ per testium examinationem.

Secundus casus est, quando Episcopus excommunicat de consensu illius Prælati in cuius territorio existit.

Tertius casus est, quando aliquis excommunicatus in Prouincia existente Episcopo extra prouinciam denuntiatur excommunicatus ab ipso Episcopo, & ratio est quia denuntiare aliquem esse excommunicatum non est eum excõmunicare.

3. Hic etiam quærunt Doctores vtrũ Episcopus possit excommunicare fugiẽtem ad alium Episcopatum. Gabriel in 4. qu. 2. conc. 6. negat, vnde infert, quod non potest Mediolanensis Archiepiscopus excommunicare subditum suum, qui est Papiæ. Sed hæc opinio Gabrielis est limitanda hoc modo, vt dicit Sotus in quarto distinctione 22. quæst. 2. artic. 1. si subditus Archiepiscopo Mediolanensi commisit crimen in alieno Episcopatu, Archiepiscopus Mediolanensis nõ potest illum excommunicare, ita enim determinatur in capitulo vt animarum de constitutionibus in sexto, est enim tale capitulum hoc modo sane intelligendum, si Archiepiscopus Mediolanensis per viam alicuius statuti, vel legis excommunicat omnes, qui furati sunt, non incurrunt in excommunicationem ipso facto subditi, qui furtum fecerunt in alieno Episcopatu.

Si autem Mediolanensis aliquis, qui furtum commisit Papiæ, Mediolanum reuertitur, & hic conuenitur vt restituat, potest quidem Mediolanensis iudex, si est excommunicatus, per excommunicationem eum cogere ad restituendum, & è contra si aliquis Mediolanensis Mediolani furatus est, & post in alienum Episcopatum fugit poterit ab Archiepiscopo Mediolanensi excommunicari. Nauarrus in Manuali cap. 27. numero sexto dicit quid ille, qui extra suum Episcopatum non residet, ligatur excommunicatione lata à suo Episcopo contra non residentes in Beneficijs suis eo quod non residentiam inceperint in Episcopatu, vel quia res est extra suum Episcopatum scita.

4. Demum hic quærunt Doctores vtrum excommunicatus possit iterum excommunicari. Et respondent omnes, quod excommunicatus potest iterum excommunicari propter aliud crimen nouum, imo & propter simile crimen propter quod iam fuit excommunicatus, & hoc ad maiorem terrorem, & confusionem; & ratio est quia licet non sit illud crimen alterius rationis, obstinatio tamen ipsa, qua induresciit, est digna maiori castigatione.

Quod si arguas, semel excommunicatus iam est priuatus suffragijs, & Sacramentis, & participatione fidelium ergo non est cur iterum priuetur. Respondeo quod excommunicatio eadem

potest

potest denuo insligi propter aliam causam, & sic erit priuatus ille suffragijs, & sacramentis propter duas causas, qui antea erat priuatus propter vnam causam, sicuti Bannitus propter vnum homicidium potest iterum banniri propter aliud homicidium, & sic ille non erit magis bannitus post secundum homicidium, quam ante, sed quia erat bannitus propter vnam causam, remanet bannitus propter duas causas.

Quod si arguas secundo, excommunicatus iam est traditus Satanæ, vt dicit D. Paulus in prima ad Corinthios quinto, & sic iam est extra Ecclesiam, non est sub iuditio Ecclesiæ, ergo non potest excommunicari, quod non sit sub iuditio Ecclesiæ dicit D. Paulus loco citato dicens, quid mihi de ijs, qui foris sunt iudicare? Respondeo quod D. Paulus per eos, qui sunt foris, intelligit infideles, qui cum Baptismum non susceperint, non sunt Ecclesiæ subditi, vt possit illos per aliquam censuram cogere, aut Ecclesiæ suffragijs priuare, cum non sint eorum participes, sed excommunicatus potest tradi Satanæ propter aliam causam, quia excommunicatus est subditus Ecclesiæ.

CAPVT TERTIVM.

De causa, ob quam potest ferri excommunicatio.

1 *Excommunicatio maior non potest ferri, nisi propter peccatum mortale.*

2 *Ad incurrendum excommmunicationem requiritur peccatum inobedientiæ aduersus Ecclesiam.*

3 *Inobedientiæ peccato prærequiritur contumacia.*

4 *Vtrum excommunicatio lata sine præuia monitione teneat.*

5 *Episcopus non debet inferre excommunicationem, nisi pro graui peccato.*

6 *Non est excõmunicatus inobediens in re, in qua non potest obedire.*

7 *Paucitas rei an excuset ab excommunicatione.*

8 *An possit iudex cogere subditos ad denunciandum aliquid sub pœna excommunicationis.*

9 *Ignorantia an excuset ab excommunicatione.*

10 *Ignorantia iuris an excuset ab excommunicatione.*

1 PRima propositio, Sẽtẽtia excommunicationis maioris non potest ferri, nisi ꝑpter peccatũ mortale, vt decretũ est in Cõcilio Meldensi, & vt habetur capitulo nemo Episcoporũ 11. q. 2. & ita D. Thomas in 4. dist. 18. qu. 3

&

& omnes Doctores vno consensu idem dicunt & probatur etiam ratione.

Primo quia per exccommunicationē excluditur homo quodammodo à regno cælesti, id est à suffragijs Ecclesiasticis, qui impenduntur Dei amicis, ergo Ecclesia non debet eam inferre, nisi vbi iudicauerit hominem peccasse mortaliter, propter quod ab eo gratia tollitur.

Secundo etiam probatur, quia crudele esset si Medicus in leuibus morbis vteretur atrocissimo medicamine, vt si Chirurgus sine causa amputaret membrum aliquod infirmo; ergo & crudele esset si Episcopus, vel aliquis alius excōmunicaret aliquem sine peccato mortali.

Hoc idem intelligitur ex verbis Mathæi cap. 18. vbi Christus dicens, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus, loquebatur de peccato mortali, vt patet legenti diligenter illam textum.

Atque ex hac propositione infertur primo, quod vbicunque siue à iure, siue ab homine aliquid præcipitur sub pæna maioris excommunicationis, intelligitur peccatum mortale esse non parere etiam si illius transgressio alias de se non esset peccatum mortale, & si sub pæna excommunicationis iuberentur Clerici ire ad processionem pro incolumitate Reipublicæ, vel ciues sub pæna excommunicationis iuberentur non ire in tale monasterium. Nam cum Prælati Ecclesiastici sint iudices in spiritualibus, eo ipso quod sub pæna excommunicationis aliquid præcipiunt, illud faciunt materiam peccati mortalis.

Secundo infertur quod quotiescunque aliquis scit se non peccasse mortaliter certus est se nullam apud Deum incurrisse excommunicationem, quanquam aliquando se debeat gerere vti excommunicatum, vel propter periculum scandali, vel propter præsumptionem in foro exteriori, ita D. Sotus in 4. d. 22. q. 1. art. 2. conc. 1. Nau. in Man. cap. 27. & alij omnes.

2. Secunda propositio, non sufficit ad excommunicandum peccatum mortale quodlibet, sed necessario requiritur peccatum inobedientiæ, quo quis non vult Ecclesiæ obedire. Hoc colligitur ex dictis Christi Domini Mathæi 18. quibus non tradidit potestatem excommunicandi, nisi eum qui præmissis salutaribus monitionibus noluit Ecclesiam audire, cum dixit si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus.

Ad hoc enim tantum Christus dedit gladium excommunicationis Ecclesiæ, vt subditos posset in suam obedientiam cogere, quare licet quis commiserit scelera & flagitia, non poterit excommunicari, dummodo sit paratus obedire Ecclesiæ, & excommunicatio si feratur sine inobedientia, & contumatia, est irrita et nulla, vt dicit Dominicus Sotus loco citato conclus. 2. & vt habetur cap. certū 11. q. 3.

3 Tertia propositio, nullus censetur incurrere inobedientiæ peccatum, ob quam excommunicatio sit ferenda nisi præcesserit admonitio sub commina tione excommunicationis, vel à iure, vel ab homine.

Hæc propositio elicitur ex antecedenti propositione, quia cum inobedientia non sit nisi respectu præcepti superioris, fit vt nisi admonitio præcesserit, nemo censeatur non audire Ecclesiā, & proinde illi inobediens esse; & certe cum admonitio fit à iure non est opus, vt fit bina, vel trina, quia admonitio iuris est solemnis, & ideo ipsa valet pro trina, qua propter qui contra admonitionem iuris incurrit in peccatum, cui excommunicatio est annexa, eo ipso in excommunicationem incurrit; quando autem fit à iudice, tunc propter maturitatem iudicij, quæ ante excommunicationem est necessaria, oportet per trinam admonitionem explorare, an tanta sit subditi inobedientia, vt digna sit quæ excommunicationis mucrone confodiatur, & hoc habetur in Concilio Rotomagensi 16. 7. capitulo omnes 10. sub his verbis, statuimus vt decimas dare nolentes secundum Domini præceptum admoneantur semel, secundo, & tertio, qui si non se emendauerint, anathematis vinculo feriantur.

Vnde iudices huiusmodi monitiones præter-

prætermittentes decreto Innocētij III. in capitulo sacrum de sententia excommunicationis interdicuntur ingressu Ecclesiæ per mensem, ex quo colligitur esse peccatum mortale omittere tales monitiones, & quamuis nonnunquam causa vrgente sufficiat vna monitio pro tribus, debēt tamen tria iusta interualla designari, vt Reus inducias resipiscendi habeat, vt cautum est in capitulo constitutionum de sententia excommunicationis in 6.

Quod si dicas verum illa trina monitio, vel vna cum interuallis sit ita de necessitate excommunicationis, vt nullo iuris ordine prætermisso excommunicatio sit nulla? Ad hoc respondet D. Sotus lib 4. sententiarum dist. 22. q. 1. ar. 2. conclusione 3. quòd non est de essentia, nam in allegato capitulo constitutionē, Pontifex non censet talem excommunicationem prætermisso illo ordine esse iure irritam, sed iubet recurrendum esse ad superiorem, qui illam si æquum fuerit irritet.

4. Dubium autem grauius est, vtrum si Episcopus ferret excommunicationē sine aliqua præmonitione excommunicatio esset valida, quod est quærere vtrum pro peccato præterito, quod peccatum nulla prorsus, vel à iure, vel ab homine admonitio præcessit, possit quis excommunicari sicut potest puniri pœna pecuniaria, aut alia quauis. Caetanus secunda secundæ qu. 69. art. 2. dicit quod sicut potest excommunicato comminari ne fiat peccatum futurum, ita & post factum peccatum excommunicari ille, qui fecit peccatum; & probatur exemplo Gregorij, qui in capitulo quidam maligni 5. qu. 1. excommunicauit quendam malignum secretum infamatorem, qui in publicum ediderat libellum famosum.

Contra autem sit quarta propositio, pro nullo peccato præterito quantumuis grauissimo, & enormissimo, cuius nulla admonitio præcessit sub pœna excommunicationis, potest ferri excommunicatio, imo admonitio aliqua sub pœna excommunicationis præcedens ex communicationem est adeo de essentia excommunicationis, vt absque illa excommunicatio sit inualida, & sane Doctores mirantur Caetanum doctissimum sensisse contrarium, non modo quia nemo hoc vnquam dixit, verum etiā quia videtur aduersari Euangelio Matthæi c. 18. nam in dicto Euangelio non apparet alia facultas concessa Ecclesiæ, vt aliquē habeat tanquam Ethnicum, & publicanum idest excommunicatum, quam si eā non audierit, nullus autem dicitur Ecclesiam non audire, nisi fuerit ab illa præmonitus, imo nec dicitur non audire, vt sit dignus excommunicatione, nisi fuerit iussus sub pœna excommunicationis.

Quod si dicas, ille, qui committit peccatum mortale, nonne satis præmonitus est a iure diuino, naturali, aut humano, vt illud non committat, ita vt possit excommunicari? Respondeo quod licet Deus condemnet transgressores iuris dānatione æterna, tamen pœnam excommunicationis ipsi Ecclesiæ commisit ferendam solum aduersus eos, qui ipsam Ecclesiam non audierint, vnde capitulo Romano de sententia excommunicationis in 6. nulli pro culpis præteritis excōmunicationis sententia absque præmissa competenti monitione promulgatur, ita vt si aliter feratur, sit nulla excōmunicatio, quia de iure diuino est, vt habetur capitulo omnes decimæ in 6. q. 7. vt qui excommunicandus est sit præmonitus, iuxta illud Matthæi 18. si Ecclesiam non audierit &c.

Demum hoc etiam potest probari ex vsu, & consuetudine Ecclesiæ, quæ nunquam excommunicauit aliquē pro peccato præterito licet excommunicauerit eum, verbigratia qui furatus est, & non restituerit, aut eum qui iniuriam intulit alicui si non satisfecerit.

Ad id vero, quod ex Gregorio affert Caetanus in capitulo quidam maligni. Respondetur quod Gregorius non excommunicauit eum eo, quod edidisset in publico libellum famosum; sed iussit sub pœna excommunicationis, vt ille infamator se proderet, quod iure naturæ tenebatur facere si aliter non poterat restituere famam infamato, & nisi periculū capitis ei immineret, & propterea inde

fit

fit quod nunquam excommunicatio fertur sub hac forma, quia hoc fecisti, sed sub hac nisi hoc feceris, vel si hoc feceris, excommunicatus sis, nisi iam præcesserit alia admonitio sub pœna excommunicationis.

5 Sed circa hæc quæ dicta sunt quæritur vtrum debeat inferri excommunicatio, pro quocunque peccato mortali etiam inobedientiæ.

Ad hoc dico primo, quod si Episcopus, vel alius qui potest excommunicare pro quocunque peccato mortali inobedientiæ inferat excommunicationem ipsa excommunicatio tenet.

Dico secundo, quod hoc tamen obstãte non deberet Episcopus, vel alius excommunicationem inferre, nisi pro graui, & enormi peccato, vt dicunt omnes Doctores, quia excommunicatio est maxima pœnarum, ideo non est imponenda, nisi pro maximis peccatis, quo circa Doctores præcipue Dominicus Sotus in quarto sententiarum distinctione 22. quæstione prima articulo secundo Lamentantur quod nunc Pastores nimis frequentes sint in excommunicationib., & excommunicent non solum pro damnis mere temporalibus, verũ etiam pro minimis causis, est enim excommunicatio maxima pœna spiritualis, & tamen in his temporibus aliquando infligitur pro rebus, pro quibus vix homo mulctaretur decem aureis nummis, scilicet vt ait Sotus pro furto olerum, vel fructuũ, insuper cum sit pœna, quæ non deberet adhiberi, nisi alijs tentatis remedijs, nihil inquit Sotus prorsus iudices præcipere sciunt, nisi sub pœna excommunicationis, & quidem in excommunicationibus quæ feruntur propter non soluta debita seruanda esset regula Concilij Tridentini, idest quod nullus sit excommunicandus, nisi tentatis prius alijs remedijs omnibus, vt debitum soluat.

6. Secundo quæritur, vtrum si feratur excommunicatio pro re in qua homo obedire non potest sit excommunicat⁹. Respondeo quod non, vt si quis aliena deprædatus est excommunicatur, nisi soluerit, & tempore, quo excommunicatur non sit soluendo non incurrit in excommunicationem, quare si est occultus sine scrupulo potest interesse diuinis; quanquam est cauenda fraus, si enim non potest in totum, tenetur tamen in parte quam potest etiam cum aliquo detrimẽto victus & vestitus, non enim licet re aliena maxime per iniuriam sublata honorem & existimationem proprij status seruare, & si tunc nõ habet vnde soluat, tenetur postea soluere sub pœna eiusdẽ excommunicationis, quia semper durat. Et viceuersa, si quando excommunicatur potest soluere, & non soluit incurrit in excommunicationem, quare licet postea in egestatem & paupertatem incidat, semper manet in foro Ecclesiæ excommunicatus, quamuis quo ad Deum possit esse in gratia.

Tertio quæritur vtrum si feratur excommunicatio contra eos, qui furati sũt talem rem si eam non restituerint, & Dominus eius eam clam sustulit, sit excommunicatus ipse Dominus, quia eam sustulit? Respondeo quod non, ita Dominicus Sotus in quarto sententiarum dist. 22. quæstione prima articulo secundo, maxime si eam aliter non poterat recuperare; & ratio huius est, quia id nõ est peccatum mortale, & si superior præcipiat, vt qui talem rem habuit restituat, in hoc casu Dominus rei, qui eam habuit non tenebitur ei obedire, imo nec tenebitur se manifestare, si præcipiatur, vt se manifestet.

Quarto quæritur, vtrum si quis furatus est aliquid alicui titulo compensationis, teneatur restituere si est pœna excommunicationis.

Ad hoc dico primo, quod si quis clã surripuit rem alienam titulo compensationis, quia debitor non vult ei soluere, & fertur excommunicatio contra non restituentem eam, non incurrit in excommunicationem, nec tenetur se manifestare; neque hoc scientes tenentur declarare, seu eum manifestare, quod quidem est verum, quando res est liquida, idest debitum est certum, secus si debitum est dubium, ita omnes Doctores.

Dico secundo, quod si excommunicatio præcipiat, vt manifestentur etiam res furto sublatæ, vel clam sublatæ titulo com-

id compensationis non tenebitur, vt dicit Sotus, & Syluester locis citatis se manifestare, quia talis non surripuit aliena, sed tantum id, quod de iure illi debebatur, & propterea non peccauit.

7. Quinto quæritur vtrum paucitas rei excuset ab excommunicatione? Respondeo quod excusat quando talis paucitas est talis, vt excuset à peccato mortali, & ita dicunt omnes Doctores.

8. Sexto quæritur vtrum ille, qui non paret Episcopo, vel iudici præcipienti sub pœna excommunicationis, vt denuntiet talia, vel talia crimina, sit excommunicatus si mandatum non exequitur; similiter si iudex præcipiat sub eadem pœna excommunicationis, vt denuntiet eos, qui talem rem habuerunt, & teneātur eam restituere? Respondeo cum Nauarro in Manuali cap. 25. num. 46. quod ille, qui absque causa non paret iudici præcipienti, vt denuntiet talia & talia crimina, vel debita, est excommunicatus, si mandatum fuit sub pœna excommunicationis ipso facto, vel latæ sententiæ, & tenetur damna restituere.

Dixi absq; causa, quia multa excusare possunt ab excommunicatione in ijs mādatis, & propterea est opus magna prudentia inquit Nauarrus ad recte parendum huiusmodi mandatis.

Quorum primum est quando peccatum est occultum, & peccator est iam emendatus, aut sola fraterna correctione probabiliter emendabilis; tunc enim non est parendum ante fraternam correctionem, etiam si præciperetur, vt fieret denuntiatio non habita ratione fraternæ correctionis, ita D. Thomas secunda secundæ quæst. 33. articulo 7. in responsione ad tertium argumentum, & D. Antoninus secunda parte tit. 9. cap. 6. §. 4.

Secundo deffectus probationis peccati denuntiandi.

Tertio quando ille à quo audiuit iam denuntiauit.

Quarto quando scit eum qui furatus est, vel tenet alienum, illud ratione compensationis alterius tāti, vel pluris quod sibi debetur retinere.

Quinto quando illud scitur per solam Sacramentalem Confessionem.

Sexto quando illud cognouit per solam consultationem secretam pro consilio habendo.

Septimo quæritur vtrum Nauarrus in Manuali capitulo 27. numero 10. erret, dum dicit excommunicationem sine monitione esse validam, quamuis peccet iudex. Ad hoc respondeo cum Aluysio Viualdo, vbi agit de excommunicatione nu. 18. quod Nauarrus intelligendus est ibi sine trina, vel vna admonitione absque spatio dierum.

9. Vltimo quæritur vtrum ignorantia excuset ab excommunicatione. Pro resolutione istius notandum est quod ignorantia est multiplex. Et primo diuiditur in ignorantiam crassam, seu supinam, & ignorantiam affectatam, & ignorantiam iustam, seu inuincibilem, aut probabilem.

Ignorantia crassa, seu supina est illa quæ ignorat id quod communiter sciunt homines suæ conditionis.

Ignorantia affectata est illa, quam habet ille, qui non vult scire id quod tenetur scire, vt liberius sine remorsu conscientiæ peccet, & de hac dicitur in Psalmo, noluit intelligere, vt bene ageret.

Ignorantia iusta, quam Theologi vocant inuincibilē, & iniustè probabilem, est illa quam habet ille qui nescit illa, quæ communiter nesciunt homines suæ conditionis, etiam si adhibuerit diligentiam, vt ea sciret, qualis est ignorantia eius, qui petit consilium à viris habitis pro doctis, & bonæ conscientiæ, qui falso illi consulunt.

Secundo ignorantia diuiditur in ignorantiam facti, & ignorantiam iuris, siue sit excusabilis, siue affectata, siue crassa.

Ignorantia facti est cum quis nescit factum, vt cum quis nescit, quod talis sit Clericus, licet sciat excommunicatum esse illum, qui percusserit Clericum.

Ignorantia iuris est illa, qua scit factum, sed ignorat ius, vt si aliquis percusserit Clericum, sciens eum esse Clericum, sed nesciens excommunicationē esse latam contra percutientem Clericum.

Demum alia est ignorantia statuti alicuius particularis, vel sententiæ iudicis alicuius ordinarij, Alia vero ignorantia iuris communis.

His notatis aliqua sunt certa in quibus Doctores communiter conueniunt, & primum certum est quod ignorantia crassa & affectata, siue facti, siue iuris nunquam excusat ab excommunicatione, & ita declarat Bonifacius 8. capitulo 20. de constitutionibus in sexto, vbi ait quod sententijs per statuta quorumcunque ordinariorum prolatis non vult ligari ignorantes, si tamen ignorantia non fuerit crassa, aut supina, vel affectata.

Quod si dicas hæc est differentia inter pœnam excommunicationis, & aliarum pœnarum, tum iuris ciuilis, exilij, mortis, mutilationis membrorum &c. tū iuris Canonici, vt irregularitatis, suspēsionis, interdicti, depositionis, degradationis &c. quod excommunicationis pœna non sequitur nisi sit inobedientia, quia semper est cum scientia. Cæteræ vero pœnæ sequuntur delicti culpam, propter quod per legem decretæ sunt, licet illa lex pœnalis ignoretur, & ideo dicunt Doctores, quod ignorans non potest incidere in excommunicationem, quia nullus incidit in excommunicationem si non est inobediens, sed ille, qui ignorat crasſè, vel supinè etiam non potest incidere in inobedientiam. Respondeo quod licet ignorans crasſè, & etiā affectatè, non sit expresse, & formaliter inobediens, est tamen virtualiter; deinde dico secundum alios Doctores, quod ille, qui crasſè, vel affectate ignorat non dicitur omnino ignorare, sed quodammodo dicitur scite id, quod ignorat.

Secundo certum est, quod quicunque inuincibiliter ignorat factum cui est annexa excommunicatio, ab excommunicatione excusatur; & ignorantia inuincibilis est illa, quam supra diximus esse probabilem, & dicitur inuincibilis ratione illius qui non potest, vel non tenetur eam vincere.

Hoc dictum secundum est expressum in iure capitulo si vero de sententia excommunicationis, vbi habetur quod qui percussit Clericum quem ignorabat esse Clericum anathema non incurrit.

Tertio certum est quod quamdiu quis excommunicationem à iudice allatam inuincibiliter ignorat, etiam si contra id quod prohibuit faciat, censuram excommunicationis nō incurrit, & probatur quia eiusmodi subditus non censetur inobediens, vt fur occultus dum censura excommunicationis in eum qui furtum fecit nisi restituerit fulminata est, quam diu inuincibiliter ignorat vinculo illo non ligatur.

Quarto certum est, quod ille qui statum iudicum ordinariorum puta concilij prouincialis, vel diœcesani inuincibiliter ignorat, quamuis contrafecerit nō incurrit in excommunicationem, & de hoc est textus expressus in capitulo, vt animarum de constitutionibus, & per hoc confirmatur tertium dictum, nam si inuincibilis ignorantia statuti excusat, à fortiori ratione excusabit illa, quæ est mandati, aut sententiæ iudicis.

10. Dubium autem præcipuum est de ignorantia iuris cōmunis, sunt enim Doctores tam Theologi, quam Iurisconsulti auctoritatis minime contemnendæ, qui conantur sustinere quod quamuis aliquis ignoret legem Ecclesiasticam communem in qua sub sententia excommunicationis prohibetur aliquid fieri satis est, vt in sententiam excommunicationis incurrat, vt sciat illud esse iure Diuino, vel naturali prohibitum, ita sentit Sotus in quarto dist. 6. quæst. 1. cum quo consensit Adrianus q. 3. de Clauibus, & est Glosa super capitulum à nobis in secundo de sententia excommunicationis, & opinio Io. Andreæ super capitulo animarum de constitutionibus in sexto, quæ & placuit Bartolo lege cunctos populos Codice de summa Trinitate. Distinguit enim Adrianus dicens, quod dū aliquid sub censura excommunicationis iure prohibetur, quod per se ante e-

rat licitum, ignorantia inuincibilis censuræ excusat ab illa, sed tamen vbi prohibetur id quod alias erat lege prohibitũ canon censuræ licet ignoretur satis est ad incurrendum excommunicationem quod sciatur illud esse alias illicitum. Est ergo opinio probabilis, quam qui sustinere voluerit patronos habebit.

Contrarium tamen tenet Panormitanus dicto capitulo à modis de sententia excommunicationis, & Sanctus Antoninus tertia parte tit. 25. quos summistæ sequuntur vt Syluester in summa verbo excommunicatio secundo & vltimo, vtrobique. §. 3. & summa Angelica, & Rosella; imo videtur opinio etiam Innocentij cap. si vero citato de sententia excõmunicationis, & illic aliorum expositorum, quamuis non afferat rationem; & reuera est longe verisimilior, imo si ea quæ hactenus in hoc cap diximus vera sunt & certa. Quare hoc sit quintum dictum, scilicet quod quicunque inuincibiliter ignorat mandatum Ecclesiæ latum sub censura excommunicationis, nunquã in eam incurrit quantumcunque sciat factum esse alias illicitum, & probatur, vt supra pluries diximus, auctoritas excõmunicandi non est in Ecclesia, nisi in eum qui noluerit ei obedire, vt patet ex Euangelio D. Matthæi cap. 18. qui aut inuincibiliter ignorat iussa Ecclesiæ, non est inobediens, nec dicitur non audire; nam qui legem ignorat non offendit eius conditorem, si eam non obseruat, ergo non implicatur censura excommunicationis.

Vnde ad rationem Soti respondem⁹ aliud esse Deum non audire, aliud esse Ecclesiam non audire, qui ergo facit cõtra ius diuinum naturale, nõ audit Deũ; sed tamen propter hoc nemo excommunicatur quoadusque sit inobediens Ecclesiæ, quæ idem, vel aliud præcipiat sub censura excommunicationis.

Et arguitur primo contra opinionem Soti, si vera esset sua opinio, sequeretur quod si aliquis occideret Sacerdotẽ, quem sciret esse hominem, ignoraret tamen inuincibiliter esse sacerdotem, ligaretur censura excommunicationis, quia non posset negare, quod sciret id esse prohibitum iure naturali, quod apertè est contra canonem supra citatum, si vero de sententia excommunicationis.

Secundo arguitur, ignorantia facti, & iuris in hoc solum differunt, quod cum plures sint qui teneantur scire ius quam factum, ideo non tantum admittitur tan quam inuincibilis ignorantia iuris, sicuti facti, de reliquo pariter excusat ignorantia inuincibilis iuris, & ignorantia inuincibilis facti. Ius autẽ contra quod est peccatum, cui annexa est excommunicatio nõ potest esse nisi Ecclesiasticum, vt supra probatum est, ergo eius ignorantia inuincibilis excusat ab excommunicatione, sine distinctione enim ait Innocentius capitulo proposuisti d. 81. quod ignorantibus datur venia; quare districtio illa quam Adrianus refert, scilicet quod quando iure sub cẽsura excommunicationis ꝓhibetur aliquid quod alias erat licitum, tunc ignorãtia Canonis excusat; Si vero prohibetur aliquid quod alias erat illicitum, vt percussio Clerici, tunc ignorantia iuris non excusat à censura, nihil ad rem facit, nam discrimen non est, nisi quod dum adhibetur censura rei alias illicitæ, ille qui ignorat canonem censuræ peccat contra Deum, non tamen excommunicatur, quod non contingit in secundo casu, idest quando aliquis facit contra legem prohibentem aliquid quod alias non erat illicitum, nam nec peccat, nec fit excommunicatus, si legem ignorabat inuincibiliter, sed tamen quantum ad excommunicationem par est ratio vtrobique, vt ignorans excusetur.

Demum arguitur, cum pœnæ, vt est in regulis iuris, sint potius restringendæ, quam ampliandæ, est, quod vtraque opinio probabilitem habeat, hæc nostra est magis eligenda, ne absque vrgenti ratione asseramus homines inuolui crebris excommunicationibus.

Sed hic soluendæ sunt rationes contrariæ opinionis, quarum prima est hæc, Pontifex in capitulo, vt animarum de cõstitutionibus in sexto admonet, quod ignorantes non ligantur sententijs prohibitis, seu prolatus per statuta ordinariorum, ergo ius aliquod nouum conde-

se voluit, sed si ignorantia inuincibilis iuris Summis Pontificis, quod continetur in iure communi excusaret à pœna excommunicationis, non fuisset opus cõdere illud ius, quia si certum erat, quod excusabat ab excommunicatione ignorantia iuris Pontificij, seu iuris communis, à fortiori certius erat quod magis excusabat ignorãtia statuti ordinarij idest Episcopi, ergo mẽs Pontificis fuit quod ignorantia statuti ordinarij excusaret ab excommunicatione non autem ignorantia statuti iuris Pontificij, seu communis.

Ad hoc negatur Papam in illo canone edidisse illud ius nouum, sed tantum fuit declaratio iuris communis contra quod iudices ordinarij credere potuissent ignorantiam inuincibilem suorum statutorum non excusare, & ideo Pontifex indicando ius commune contrarium statuit.

Secundum argumentum sumit Adrianus ex capitulo cum illorum de sententia excommunicationis, vbi Papa reprehendens quosdam qui cum essent ex communicati eo quod percussissent Clericos, non formidabãt recipere ordines, distinguens ait, quod si sciebant se esse excommunicatos, perpetuo deponerentur ab ordinibus, si autem ignorabant vel factum, vel ius, tunc ait cum illis posse dispensari. Respondetur quod Papa illic non loquebatur de ignorantia inuincibili, vt putauit Adrianus, sed de vincibili, idest de crassa vel affectata, quæ non excusat vt supra dictum est, & hoc ex eo probatur, quia sine discrimine loquitur de ignorantia facti, & iuris, & tamen nemo dubitat quod ignorantia facti inuincibilis non excuset; neque Adrianus ipse neque Sotus. Cum ergo censet Papa illos esse excommunicatos manifestè loquitur de ignorantia inuincibili, & confirmatur, quia ignorantia illius solemnis canonis si quis suadẽte, vix potest esse inuincibilis.

Tertio arguit Paludanus, licet aliquis ignoret pœnam legis ciuilis puta quod homicida sit puniendus pœna capitis, vel quod fur sit suspendendus; tamẽ qui homicidium committit incurrit in pœnã capitis, & fur incurrit in pœnam suspensionis, etiam si ignoret furto, vel homicidio esse annexam talem pœnam, & idem est de pœna legis Canonicæ, puta de irregularitate; licet enim aliquis ignoret, quòd excommunicatus celebrans fiat irregularis, si tamen celebrat sit irregularis, ergo idem est de excõmunicatione, quod videlicet aliquis sit excommunicatus si committat peccatum, cui est annexa excommunicatio, etiamsi ignoret tali peccato esse annexam excommunicationem. Ad hoc respondetur falsum esse quod idem sit de excommunicatione, & alijs pœnis. Ad hoc enim semper oportet habere oculum, quod censuræ excommunicationis proprium & singulare est, vt neminem nisi inobedientem, ac præuia admonitione liget, vt ex Euangelio Matthæi 18. colligitur, reliquæ vero pœnæ sequuntur naturam delicti cui per legem decretæ sunt, licet lex illa pœnalis ignoretur.

CAPVT QVARTVM,

Quis modus sit seruandus in ferenda excommunicatione.

1 *Quomodo debeat excommunicationi præcedere trina monitio, & in quibus casibus.*

2 *Sufficiatne monere domum, an ipsãmet personam.*

3 *Possitne quis renuntiare iuri suo, quod habet ne possit excommunicari nisi præuia monitione.*

4 *De excommunicatione alicui comminata, nisi tali tempore soluat.*

Ad-

1 ADuertendum est quod conueniunt communiter Doctores non esse ferendam excommunicationē nisi præcedente trina monitione, vel vna pro tribus cum debitis temporis interuallis, vt supra dictum est in capite antecedenti, & vt habetur capitulo sacro de sententia excommunicationis.

Excipiuntur tamen aliqui casus. Quorum primus est quando excommunicatio fertur à lege, vt quando est lex ne quis faciat hoc sub pœna excommunicationis ipso facto, nam tunc lex seruit pro admonitione.

Secundus casus est quando periculū est in mora. Alios casus afferunt aliqui, tamen certum est, quòd excommunicatio lata sine vlla admonitione, vt dictū est in capite antecedenti, est nulla; lata vero sine iuridica admonitione, & sine vrgenti necessitate, licet sit valida, si sint cætera requisita, peccat tamen mortaliter ille, qui ita excommunicat.

2. Quod si dicas, est ne opus, vt ipsa persona moneatur, an vero satis est si domus illius moneatur in qua frequenter habitat? Respondeo cum communi Doctorum sententia peculiare esse excommunicationis, vt ipsa persona admoneatur exceptis tribus casibus.

Primus est quando excommunicandus subterfugeret personalem monitionem latitando, vel discurrendo.

Secundo quando excommunicandus semel citatus fuit personaliter, tūc enim reliquæ duæ monitiones possunt fieri ad domum illius.

Tertius est quando citatio facta ad domum peruenit ad aures, & notitiam excommunicandi.

3. Dices secundo, posset ne quis renuntiare iuri suo, quod habet ne possit excommunicari sine præuia admonitione? Respondeo cum communi Doctorū opinione, quia hoc ius non solum concessum est in fauorem priuatæ personæ, sed ob publicum bonum, quod non potest; ita Iacobus de Graphijs lib. 4. decisionum aurearum cap. 2. nu. 22.

Dices tertio, posset ne quis excommunicari sub conditione puta si non soluerit intra decem dies, Ad hoc respōdent communiter Doctores affirmatiuè, & dicunt etiam talem excommunicationē non ligare ante conditionem impletā; ità Nauarrus in Manuali capit. 27. num 15.

Quod si dicas rursus, quid si tempus solutionis prorogaretur? Ostiensis, & Innocentius quos citat Syluester in summa verbo excommunicatio secundo dicunt quod si terminus à Iudice prorogaretur, vel à parte, idest creditore cum consensu iudicis, tunc non incurritur excōmunicatio à præterescite terminū præfixum, secus vero si prorogatio fiat tantum à parte sine vllo consensu iudicis; verū Syluester loco citato, Nauarrus in Manuali nu. 15. citato, & alij dicunt sufficere simplicem partis prorogationem, sine vllo consensu iudicis, vel notitia.

4. Demum dices, quid si termino prædicto prorogato excommunicatus ita conditionaliter non soluat? Respondeo quod si prorogatio facta fuit à iudice, vel à parte cum facultate iudicis, incurrit excommunicationem; at vero si solū facta sit prorogatio de voluntate partis sine facultate iudicis, non incurrit in excommunicationem, & ita dicunt Doctores, & ratio est quia, vt ait Nauarrus in Manuali cap. 27. nu. 15. excommunicatio ad partis petitionem tolli potest antequam incurratur de consensu eiusdem partis, non tamen suspendi; neque differri potest, neque ita mutari, vt semel sublata iterū incurratur, quia id ad iurisdictionem pertinet, quam pars non potest habere.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

Et vltimum.

De Excommunicatione iusta, & iniusta.

1 *Ad excommunicationem iustam quot requirantur.*
2 *Excommunicatio iusta an semper valida.*
3 *Quotupliciter excommunicatio possit esse inualida.*
4 *Excommunicatio inualida an aliquid operetur.*
5 *Quomodo intelligenda propositio, Excommunicatio vel iusta, vel iniusta est timenda.*

DE hac materia tractat Paludanus in 4. d.18. per totam quæstionem primam, Ricardus ibidem artic.2. q.5. Gabriel ibidem qu.2.art.2. Caetanus tomo primo opusculorum tractatu 19. Nauarrus in Manuali cap.27. & multi alij.

1. Et notandum est primo, quod vt excommunicatio sit iusta tria requiruntur, primo vt feratur à superiore, qui habeat potestatem in eum qui excommunicat; secundo, vt causa excommunicationis sit iniusta; Tertio vt seruetur ordo iuridicus in ea ferenda. Iniusta vero est illa, cui deest aliqua ex ijs conditionibus.

2. Notandum est secundo, quod iusta excommunicatio semper est valida, non autem è contrario valida excommunicatio est semper iusta, quia excommunicatio iniusta aliquando est valida, aliquando nulla.

Valida enim quando est iniusta non plusquam accidẽtaliter, quod præcipuè contingit duobus modis.

Primo quando excommunicatio est iusta secundum ius, sed procedit ex animo maleuolo iudicis, puta Odio, vindicta, cupiditate, & id genus.

Secundo quando non seruatur modus in ferenda excommunicatione, qui est præscriptus in iure, qui quidem consistit in tribus. Primo vt præmittatur trina monitio. Secundo vt feratur in scriptis. Tertio vt exprimatur causa eius.

3. Inualida vero erit quando erit iniusta essentialiter, quod quidem potest contingere ex parte trium. Primo ex parte excommunicãtis, qui non habet potestatem in eum, qui excommunicatur, & hoc quadrupliciter.

Primo quia nõ est iudex, vel superior ipsius.

Secundo quia non est tolleratus ab Ecclesia, puta quia est excommunicat⁹, nominatim denunciatus, vel notorius Clerici percussor.

Tertio quia excommunicat contra tenorem priuilegiorum.

Quarto quia excommunicat post interpositam legitimam appellationem.

Secundo contingere potest nullam esse excommunicationem ex parte causæ, videlicet quod quis non paruerit in re impossibili, vel quod fecerit aliquod bonum, vel quod noluerit facere; vel non fecerit aliquod malum.

Tertio contingere potest excommunicationem esse nullã ex parte modi, videlicet quod nũquam præcesserit aliqua monitio.

Quod si quæras an excommunicatio quæ essentialiter est iniusta, & consequenter est inualida sit alicuius effectus.

Pro responsione aduertendum est, quod huiusmodi excommunicatio potest esse in duplici differentia. Primo vt certum sit esse iniustam, & euidenter inualidam, & de hac nõ quærimus, quia certum est apud omnes nullius esse effectus, & ad eam nullo modo teneri excõmunicatum, vt si feratur ab aliquo, quẽ certum est non esse superiorem illius, quem excommunicat, vel si feratur ob caussam, quam certe cõstat esse bonam,

vel

vel non esse plusquam peccatum veniale. Altero vero modo potest contingere vt dubium sit talem excommunicationẽ esse essentialiter iniustam, & consequenter inualidam,& de hac est tota difficultas. Ad quam respondeo cum communi Doctorum opinione, quod talis excõmunicatio seruanda est, & si sic excommunicatus celebraret fieret irregularis, vt dicit Dominicus Sotus in 4 d. 2. qu.1. artic. 3. & ideo inquit Sotus, licet reus de consilio suorum Aduocatorum iudicaret causam non fuisse iustam, est tamẽ illi timenda, & si sententiæ non pareret quousque recurreret ad iuris beneficia, peccaret mortaliter non parendo: imo sententia tunc habet effectum priuandi orationibus,& suffragijs Ecclesiæ. Atque hic est proprius casus de quo loquitur Gregorius Papa, vt supra 11. quæ.4. vbi ait sententiam Pastoris etiam non iustam esse timendam.

Sed hic est maxima inter Doctores controuersia, nempe dum iudex secundum allegata & probata contra innocentem pronunciat sententiam excommunicationis, vtrum scilicet huiusmodi sententia totum habeat suum effectum; ita vt excommunicatus non solum in foro exteriori debeat à sacris abstinere, verum etiam sit priuatus communibus orationibus Ecclesiæ, an vero non habeat istiusmodi effectum. Ricard⁹ enim d.18. ar.3. qu.5. & post illum Syluester in verbo excommunicatio secundo § 2. & verbo restitutio 8. §.6. tenent quamcunque excommunicationis sententiam dummodo proferatur à legitimo iudice, & non contineat intolerabilẽ errorẽ habere suum effectum, & intelligunt etiam quantum ad priuationem suffragiorum, verum est tamen auctores istos nõ exprimere hunc casum quando procedit ex præsumptione falsa legitime probata.

Arguitur autem quod licet quantum ad omnem effectum eiusmodi sententia est legitime, id est secũdum leges Ecclesiæ probata, atque ita iusta, vt si iudex eam non proferat peccaret, ergo ligat quantum ad omnem Ecclesiasticum effectum internum & externum, & ita videtur dicere D.Thomas in quarto sententiarum, dum ait, quod tunc humilitatis meritum recompensat excommunicationis damnum, quasi vere sit excommunicatus,& Gratianus Can. qui iustus 71. qu.3. ait, quod qui iniuste excommunicatur,& si non sit ligatus quo ad Deũ, sententiæ parere debet, ne superbia ligetur.

His tamen non obstantibus dicẽdum est, quod ille, qui certus est se esse innocentem, quamuis secundum allegata, & probata legitime excommunicetur in rei veritate, non est excommunicatus, neque priuatur suffragijs, & orationibus communiter Ecclesiæ. Hæc est conclusio Caetani qu.10.ar.4. in responsione ad secundum argumentum, vbi & prudenter ait in puris moralibus Theologos aliter vti nominibus iudicij, sententiæ, iustæ & iniustæ; & aliter iurisconsultos. Theologi enim solam rei veritatem contemplantes non distinguunt inter iudicium, seu sententiam iniustam & nullã; quare idem est iudicium iniustum,& nullum: Sed quia iurisconsulti non tantum ad rei veritatem attendunt, quam ad præsumptionem iuris, distinguunt inter sententiam iniustam, & nullam dicẽtes quod potest esse iniusta, & tamen non est nulla.

Atque ex his infertur primo, quod excommunicatio iniusta substantialiter, sed iusta secundum allegata, & probata timenda est, & talis excommucatus tenetur publicè se abstinere à diuinis,& se gerere publice tanquam excõmunicatum,& ita dicunt omnes Doctores.

Infertur secundo, quod talis excommunicatus debet quærere remedia iuris manifestando innocentiam suam.

Infertur tertio, quod si talis excommunicat⁹ se immisceat sacris,& nõ obediat excommunicationi iudicis, peccat mortaliter, non quia sit verè excommunicatus, sed propter scandalum.

Infertur quarto, quod in secreto loco, vel etiam in publico, vbi non sit scandalum potest interesse diuinis, & celebrare sine peccato.

Infertur quinto, quod siue cum scandalo,

dalo, siue sinè scandalo, vel celebraret publice, vel secreto nō incurrit in irregularitatem; quæ omnia intelligenda sunt quando est euidens talem excommunicatum esse innocentem; nam vt supra dixi si res est dubia tenetur parere, & si celebret, vel exerceat ordinem sacrum fit irregularis, & hanc sententiam tenet etiam Nauarrus in Manuali. cap. 27. nu. 3. 4. & 5.

5. Sed dices, si vera hæc essent, videtur falsum id quod dicit Gregorius Papa XI. quæst. 83. scilicet quod sententia Pastoris timenda est siue iusta, & sine non. Ad hoc respondeo quod Gregorius est intelligendus, quando dubium est an sententia sit iusta; nam si omnino certum est sententiam esse iniustam, vt quando quis excommunicatur eb eo qui non habet auctoritatem excommunicandi, auctoritas illa Gregorij non habet locum. Respondeo secundo quod auctoritas Gregorij etiam in nostro casu habet locum quando est scandalum.

Dices secundo, si vera sunt, quæ dicta sunt, diuisio illa excommunicationis in iniustam validam, & iniustam validam nulla esset. Respondeo quod excommunicatio lata contra innocētem probatum nocentem in rei veritate est inualida, sed dicitur valida, quia ratione scandali est ei obtemperandum in foro exteriori, nec vero solum ratione scandali; sed etiam ratione inobedientiæ, quæ debetur Prælato in foro exteriori, nā tunc potest iudex eum reijcere ab Ecclesia, cui si resistat peccaret mortaliter; si tamen peregrè proficisceretur, vbi non posset venire in notitiam iudicis, neque eorum, qui audierunt sententiam, potest se tuto tanquam non excommunicatum gerere.

PARS

PARS TERTIA

De Absolutione ab Excommunicatione.

CAPVT VNICVM.

1 Quis possit absoluere ab excommunicatione reseruata.

2 Ab excommunicatione cum peccatis solus sacerdos potest absoluere.

3 Absolutio alia in foro exteriori, alia in interiori.

4 Absolutio ab excommunicatione obtenta in foro interiori virtute Iubilaeorum an valeat in foro exteriori.

5 Absolutio aliquando datur cum reincidentia.

6 An aliquando excommunicatio tollatur sine vllâ absolutione.

7 Dubitans an sit excommunicatus num teneatur petere absolutionem.

8 Ligatus pluribus excommunicationibus an possit ab vna absolui sine alijs.

9 Ignorans, & absens an possit absolui ab excommunicatione.

10 An possit quis inuitus absolui ab excommunicatione.

11 Absolutio data excommunicato propter metum cadentem in constantem virum an teneat.

12 Absolutio data ex falsa causa an subsistat.

13 Absolutio data sub conditione an valida sit.

14 Excommunicatus ab homine an possit absolui virtute Iubilaei, & bullarum Apostolicarum.

15 Episcopus in aliena diocesi an possit absoluere suum subditum ab excommunicatione.

16 In articulo mortis quis possit absoluere ab excommunicatione.

17 Quis dicatur articulus mortis.

18 Moriens cum signis contritionis an possit post mortem absolui ab excommunicatione.

19 Solemnitas requisita in absolutione ab excommunicatione maiori.

20 An sit praestandum Iuramentum de parendo Iudici.

21 Satisfactio parti laesae prarequisita absolutioni.

VT sciamus cognoscere, quisnam possit absoluere ab excommunicatione recolendum est, quod excommunicatio altera est à iure, altera est ab homine.

Rursus sciendum est, quod excommunicatio à iure, vel est alicui reseruata, vel nulli.

Demum sciendum est quod ille qui absoluitur ab excommunicatione, vel

absoluitur in foro interiori simul cum peccatis, vel in foro interiori, vel exteriori sine absolutione peccatorum.

His ergo notatis, Dico primo quod à quacunque excommunicatione si est reseruata nullus absoluere potest, nisi ille qui eam tulit, vel eius successor, vel eius superior, vel ab eo delegatus.

Excipiuntur tamen hic duo casus, quos refert Nauarrus in Manuali ca. 27. videlicet quando incendiarius excommunicatus ab Episcopo, talis enim non potest absolui ab alio, quam à Papa; & quando excommunicatio illata ab Episcopo confirmata est à Papa; tunc enim solus Papa, vel ab eo delegatus potest ab ea absoluere.

Dico tertio, quod ab excommunicatione illata à iure, quæ nulli est reseruata, potest absoluere Episcopus, vel capitulum sede vacante, & à Parocho etiam potest absolui, nisi Episcopus quemlibet casum excommunicationis sibi reseruauerit, vt in nostra Ecclesia Mediolanensi, in qua per concilia Prouincialia omnino impeditur Parochus extra casum mortis absoluere ab excommunicatione qualibet sine facultate impetrata ab Episcopo, aut eius Vicario, vel Pœnitentiario.

2. Dico quarto, quod solus Sacerdos etiam cum facultate à superiore impetrata potest in foro interiori absoluere ab excommunicatione simul, & à peccatis extra casum mortis; imo & in casu mortis nullus præter Sacerdotem potest absoluere ab excommunicatione, & à peccatis simul, quod potest sacerdos sine alia facultate.

At vero in foro exteriori potest absoluere ab excommunicatione etiam ille, qui non est sacerdos, vt dicit Nauarrus in Manuali, cap. 27. num. 41. imo & in foro interiori, nō tamen à peccatis, quia in absolutione à peccatis necessario requiritur caraccher sacerdotalis, non ita in absolutione ab excommunicatione.

Et notandum est hic pro intelligentia eorum, quæ dicta sunt, quod absolutio ab excommunicatione duobus modis solet impendi, vno modo in foro pœnitentiæ, aut conscientiæ, siue interiori, quæ impenditur ad hoc quamdiu crimen est excommunicati occultum, & non adhuc deductum ad forum exterius ipse excommunicatus, fiat habilis ad summenda Sacramenta Ecclesiæ & suffragia, & ad habendum fidelium conuictum, & ad diuina officia.

Altero modo in foro exteriori, & hoc ad vendicandam iniuriam perductam, & ad satisfaciendum Ecclesiæ offensæ, & parti læsæ. Vnde hæc differentia absolutionis hinc oritur, quod quia summus Pontifex multis concessit facultatem absoluendi à peccatis, esset frustra talis facultas, concessit etiam facultatem absoluendi ab excommunicatione, verum ne oriretur illud incommodum ne contemnerentur sententiæ, & mandata Prælatorum, ideo voluit Papa, vt talis absolutio ab excōmunicatione valeret tantum in foro interiori.

4. Sed rursus magna difficultas est nū saltem valeat in foro exteriori absolutio ab excommunicatione obtenta in foro interiori virtute Iubilæorum, & Bullarū Apostolicarum.

Coaruuias in capitulo Alma Mater, quem sequitur Ledesmus, sic distinguit, aut Papa id exprimit, & tunc valet, aut non, & non valet, quia reddundaret in magnum detrimentum Ecclesiasticæ disciplinæ, daretur enim libertas peccandi, & contemnendi iudices Ecclesiasticos.

Vnde infertur quod si absolutus in foro interiori virtute Iubilæorum, & Bullarum potest etiam post multum temp⁹ accusari, citari, & puniri non secus ac si nullam accepisset absolutionem etiam post satisfactionem exibitam parti læsæ.

Notandum est secundo, quod virtute Iubilæi nemo potest absolui ab excommunicatione extra Confessionem Sacramentalem, & ratio est, quia in Iubilæis hæc facultas datur in ordine ad Cōfessionem Sacramentalem, propterea dici solet in Bullis Iubilæorum, quod sibi

sibi possit eligere Confessarium idoneũ qui auditis eorum confessionibus &c. ita Nauarrus in Manuali capit. 26. num. 51.

5. Notandum est tertio, absolutionẽ ab excommunicatione dupliciter impendi, vno modo absolute, & simpliciter; altero modo per reincidentiam, & hic posterior modus magis est introductus per vsum, quam lege Canonica, & talem vsum approbauit communis sententia Doctorum.

Nec quicquam refert illud de quo est inter Doctores magna controuersia, num videlicet per talem absolutionem cum reincidentia suspendatur excommunicatio, ita vt pro illo tempore nihil operetur, vt est communior sententia, an vero prorsus tollatur, ita vt tempore absolutionis nullo modo maneat, lapso vero dicto tempore redeat noua excommunicatio, vt aliqui alij volunt, Nihil inquam refert hoc, satis enim est quod in illo intermedio tempore celebrãdo nullam incurrat irregularitatem, nec peccet mortaliter, aut venialiter, similiter & alia faciendo, quæ prohibentur excommunicatis.

6. Secundo quæritur, num aliquando excommunicatio tollatur sine vlla absolutione, sed solo temporis lapsu, vt si quis diceret excommunico te donec satisfeceris, vtrum facta satisfactione talis sit absolutus ab excommunicatione, an vero etiam requiratur aliqua verba. Dissentiunt quoad hoc inter se Canonistæ, nam communior eorum sententia est hanc esse differentiam inter excommunicationem, suspensionem, & interdictum, quod ista duo tollantur absque vlla verborum abolutione, quotiescunque talis satisfecerit, secus autem excommunicatio, nam ea non tollitur, nisi absolutione verborum. Sed Coaruuias in capitulo Alma Mater in contrarium citat Paulum, Immolam, Cardinalem, Alciatum, & Decium, quod videlicet non sit talis differentia inter has censuras, cum non possit reddi dispar ratio, nec in iure reperiatur expressum magis requiri verborum absolutionem in excommunicatione, quam in alijs censuris, & certe cum non sit in iure, vt postea dicetur conscripta certa forma verborum, qua impendatur absolutio ab excommunicatione, sed absolutio tota pendeat ex intentione absoluentis, mihi valde placeret hæc posterior sententia, nisi faceret difficultatem communior Doctorum opinio, quæ contrarium docet.

7. Tertio quæritur vtrum ille, qui est dubius num sit excommunicatus, necne, teneatur petere absolutionem ab excommunicatione? Respondeo quod vel talis ducitur aliqua probabili coniectura ad talem dubitationem, vel non, sed mouetur ad dubitandum leuiter, & scrupulose tantum.

Si primo modo eam tenetur procurare, quia in dubijs est eligenda tutior pars.

Si secundo modo non tenetur eam procurare, sed arbitrio prudentis, & boni viri debet deponere conscientiã ita Syluester, & Tabienis in suis summis verbo absolutio, quod si conscientiam deponere non potest, petat absolutionem.

8. Quarto quæritur, vtrum ligatus pluribus excommunicationibus, possit ita absolui ab vna, vt non absoluatur ab alijs, Coaruuias, qui optime tractat hanc difficultatem in capitulo Alma Mater.

Dicit primo, quod excommunicatus vnica tantum excommunicatione pluribus tamen de causis si aliquas ex illis causis tacuerit in impetratione absolutionis, non censetur absolutus, & dicit hanc esse communem sententiam Iuristarum, & Theologorum, limitat tamen hoc procedere solum, quando causa tacita fuerit æquè principalis ad excommunicandũm, non tamen si non fuerit æquè principalis, nam tunc absolutio valebit.

Dicit secundo Coaruuias quod ligatus pluribus excommunicationibus vnica tantum absolutione ab omnibus absoluitur quotiescunque omnes fuerint

absoluenti expressæ & significatæ, & hæc est communis sententia Doctorum. Multa alia dicit de hoc quæsito Couarruuias, sed nobis sufficit scire, quod vnus possit absolui ab omnibus excommunicationibus si plures habet, & ille, qui absoluit habet auctoritatem absoluendi ab omnibus, & intendit absoluere ab omnibus, & potest etiam ab vna absoluere, si potest tantum ab illa absolue re, vel si intendit tantum ab illa absoluere.

9. Quinto quæritur vtrum quis ignorans, & absens possit absolui à vinculo excommunicationis. Glossa caussa 2. qu. 1. capitulo de manifesto, dicit primo quod non est aliquis ita absoluendus. Dicit secundo quod si tamen absoluitur tenet absolutio. Glosam sequitur Ricardus & Sotus in 4, Angelus, & Syluester in suis summis, & ratio est quia sicut absenti potest imponi excõmunicatio, ita & tolli.

Notandum est tamen hic, quod absẽs non potest simul absolui à peccatis, & ab excommunicatione, sed tamen ab excommunicatione, quia absolutio à peccatis non potest dari absentibus, vt dictum est in tractatu de Sacramentis par te quinta.

Notandum est secundo, quod hæc absolutio in absentia potest impendi excõmunicato tribus modis. Primo per procuratorem. Secundo per litteras, & tunc absolutio habet vim ex intentione absoluentis, nam si ipse statim dum dat litteras habet intentionem absoluendi, tunc excommunicatus est absolutus, etiam antequam accipiat litteras, si vero non habet intentionem absoluendi, nisi quando excommunicatus accipit lit teras, tunc etiam tantum absoluitur, non prius.

Quod si dicas primo, quid si excommunicatus moriatur, antequam recipiat litteras. Commentator Summæ Angelicæ in verbo absolutio tertio dicit esse absoluendum post mortem.

Quod si dicas secundo, quid si moriatur absoluens antequam absoluendus recipiat litteras? Ricardus in 4. dicit quod nihilominus valebit absolutio, quod verum est si absoluens habebat intentionẽ absoluendi dum daret litteras; non autẽ si habebat intentionem absoluendi, quã do excommunicat⁹ accipiebat litteras, quia cum desit ille, qui absoluit, non amplius valet absolutio, vt si aliquis iret ad absoluendum aliquem ab excommunicatione, qui moreretur antequam perueniret ad absoluendum, non diceretur ille absolutus.

Tertio contingere potest absolutionem ab excommunicatione fieri in absentia sine procuratore, & sine litteris missis, sed solum ex hoc, quia ille, qui potest eum absoluere, absoluit in absentia, quia non requiritur aliud, quam intentio absoluentis, vt Papa stans Romæ posset absoluere omnes excommunicatos, qui sunt in mundo.

10. Sexto quæritur vtrum quis inuitus possit absolui ab excõmunicatione. Ricardus in quarto dicit quod si aliquis est excommunicatus à iudice iniuste, iudex tenetur eum absoluere, etiam inuitum, si vero est excommunicatus à iure, non potest absolui inuitus. Ratio Ricardi est, quia cum voluntarie, & non inuitus fecerit illud, cui anexa est excommunicatio ipso iure, aliquo modo ex voluntate sua est excommunicatus, & ideo sine voluntate sua, & requisitione sua non potest absolui.

Communis tamen sententia indistinctè tenet excommunicatum posse inuitum absolui, siue excommunicatus sit à iure, siue ab homine, licet non absoluatur à peccato; ita Paludanus, & Maior in 4. Angelus, & Syluester in suis summis verbo absolutio, & alij communiter; ratio est quia excommunicatio non est aliud, quam pœna inflicta ab Ecclesia, ergo pro arbitrio potest illam remittere: ratio autem Ricardi nihil valet, quia ẽt excommunicatus ab homine voluntariè facit id propter quod excommunicatur.

11. Septimo quæritur vtrum absolutio ab excommunicatione valeat si impendatur excommunicato propter metum cadentem in constantem virum. Respondeo negatiue ex Concilio Generali Lugdunensi sub Leone X. & habetur capitulo vnico de his quæ vi, metusvè causa

causa fiunt in sexto.

12. Octauo quæritur vtrum absolutio valeat si detur excommunicato ex falsa causa, puta quia exprimit iudici se satisfecisse, vel iniuriam esse remissam, cum tamen hæc falsa sint; communiter Doctores dicunt absolutionem nō valere; ita Coaruuias in capitulo Alma Mater, Angelus in summa verbo absolutio, Tabiena etiam in summa verbo absolutio.

13. Nono quæritur, absolutio sit sub conditione futuri tēporis an possit impēdi ab excommunicatione, verbigratia absoluo te si restitueris, vel nisi a mensē concubinam dimiseris. Doctores communiter colligunt ex capitulo propter, secundo extra de appellationibus, quod valida est excommunicatio sub conditione futuri temporis, ita Nauarrus in titulo de Pænitentia d. 6. cap. 1. in principio secut⁹ Detium. Verum de Absolutio ne dubitant Doctores, an sit valida.

Dico primo, quod absolutio ab excōmunicatione sub conditione præteriti temporis est valida, vt si dimisisti Concubinam ego te absoluo; & ratio huius est quoniam absolutio à peccatis data sub conditione præteriti temporis est valida, vt dictum est in tractatu de pæni tentia, ergo multo magis erit valida absolutio ab excommunicatione.

Dico secundo, quod absolutio ab excommunicatione sub conditione temporis præsentis est valida, vt si vere animū habes restituendi, vel reijciendi Concubinam, ego te absoluo, & ratio est iam allata, quia absolutio à peccatis, vt dictum est in tractatu de pœnitentia, sub cōditione præsentis temporis est valida si conditio ponatur in actu, ergo & multo magis absolutio ab excommunicatione.

Dico tertio, quod absolutio ab excōmunicatione sub conditione futuri temporis non est valida, sicuti dictum est in tractatu de pænitentia de absolutione à peccatis sub conditione futuri temporis; quia sicut non est in nostra potestate nunc dare Sacramentum, & suspendere eius effectum vsque ad euenientem conditionem, ita non est in nostra potestate nunc dare absolutionem ab excommunicatione, & suspendere eius effectum vsque ad euenientem conditionem.

14. Decimo quæritur vtrum virtute Iubilæi aut aliarum Bullarum Papæ in quibus conceditur facultas absoluendi à quibuscumque censuris à iure, vel ab homine latis, & reseruatis Sedi Apostolicæ, possit aliquis, qui sit ab homine nominatim excommunicatus, & denunciatus absolui ab eo Confessario, quem sibi eligit. Respondeo affirmatiuè, vt dicit Coaruuias in capitulo Alma Mater, in foro tamen interiori tantum; vnde aduertant Confessarij diligenter, quod quando virtute Iubilæorum, vel Bullarū Papæ absoluūt excommunicatos nominatim denuntiatos, vt illos admoneāt talem absolutionem solum in foro conscientiæ illis prodesse, non autem in foro iudiciali; vnde necesse erit exquirere absolutionem in foro etiam exteriori, quando nota est excommunicatio, & ignoratur absolutio, secus si excommunicatio est occulta, & tunc non esset necessaria aliqua absolutio in foro exteriori.

15. Vndecimo quæritur vtrum Episcopus, qui sit in aliena Diœcesi, possit absoluere subditum suum ab excommunicatione. Respondeo quod communis sententia Doctorum consistit in tribus:

Primo quod etiam potest eum absoluere in foro exteriori, vbi tamen impendi possit sine vllo strepitu & figura iudicij.

Secundo in foro conscientiæ.

Tertio quod non possit cum strepitu, & figura iudicij absoluere; & ratio est, quia Episcopus non potest exercere actus iurisdictionis, quia indiget cognitione causæ iudicialis in aliena Diœcesi, ita Angelus, & Syluester in suis summis verbo absolutio.

16. Duodecimo quæritur à quo possit quis absolui ab excommunicatione in articulo mortis. Nota multa esse quæ hic quæri possunt.

6. Primo vtrum excommunicatus possit absolui ab excommunicatione in articulo mortis à quocunque Sacerdote approbato ab ordinario ad confessionē audiendam.

Secundo vtrum talis possit absolui ab ex-

excommunicatione in articulo mortis à simplici Sacerdote non approbato ab Ordinario ad confessiones audiendas.

Tertio vtrum talis in articulo mortis possit absolui à quocunque sacerdote etiam excommunicato, interdicto, suspenso, & nominatim denuntiato, irregulari, deposito, & degradato.

Quarto vtrum talis possit absolui à Sacerdote Hæretico, & Apostata.

Quinto vtrum talis possit absolui à Laico.

Quo ad primam quæstionem? Respondeo communem sententiam esse, quod excommunicatus à quacunque excommunicatione quomodolibet reseruata possit absolui in articulo mortis à quocunque Confessario, siue proprio, siue alieno, qui sit approbatus ad confessiones audiendas; ita Nauarrus in Manuali cap. 27. Dominicus Sotus in 4. d. 22. & alij.

Quo ad secundam quæstionem? Respondeo item cum communi sententia Doctorum quod etiam à Sacerdote simplici non approbato ab Ordinario ad Confessiones audiendas potest absolui in tali casu excommunicatus, ita Nauarrus, Sotus, & alij.

Quo ad tertiam quæstionem sunt duæ sententiæ, vna eorum, qui dicunt excommunicatum posse absolui in articulo mortis à Sacerdote etiam excommunicato, interdicto, vel suspenso &c. ita Angelus, Tabienis in suis summis, Nauarrus in Manuali cap. 27.

Quo ad quartam quæstionem sunt duæ sententiæ, vna eorum, qui negant posse in articulo mortis excommunicatū posse absolui à Sacerdote Hæretico, vel Apostata; ita Dominicus Sotus in 4. distint. 22. Coaruuias in capitulo Alma Mater; Nauarrus & multi alij contrarium sentiunt. Syluester in summa verbo confessor §. vltimo, D. Antoninus tertia parte, Tabienis in summa verbo absolutio, & hæc posterior sententia mihi magis probatur; nam hoc videtur voluisse Concilium Tridentinum, vbi ait omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuslibet peccatis, & censuris absoluere in articulo mortis; neque ibi excipit sacerdotes Hæreticos, aut Apostatas.

Quo ad quintam quæstionem sunt etiam duæ sententiæ. Prima est eorum qui negant Laicum posse absoluere ab excommunicatione in articulo mortis, quando non adest aliquis sacerdos, ita Nauarrus in Man. cap. 26. Coaruuias in capitulo Alma Mater, & ratio est quia talis potestas absoluendi ab excommunicatione in articulo mortis conceditur ab Ecclesia intuitu confessionis Sacramentalis; quam quidem Laicus non potest impendere etiam concessione Papæ. Contraria sententia est aliorum, qui volunt posse Laicum in deffectu Sacerdotis absoluere ab excommunicatione in articulo mortis, ita Glosa capitulo à nobis de sententia excommunicationis, Summa, Angelica, & Syluester verbo absolutio, & hæc sententia est probabilis, tum quia multi Canonistæ, & Theologi eam deffendunt, tum etiam quia credendum est Papam committere Laico facultatem absoluendi ab excommunicatione in articulo mortis, cum possit eam committere.

Notandum vnum est hic diligenter, quod Confessarij, qui ab excommunicatione reseruata in articulo mortis absoluunt, debent admonere moribundum, vt cum primum valuerit, & commode potuerit præsentet se superiori, cui talis excommunicatio erat resseruata; idem statuit Bonifacius 8. vt habetur capitulo eos, qui de sentētia excommunicationis in sexto, quod si contēpserint, in eandem sententiam reincidit ipso iure, vt decernit idem Pontifex.

Dices opus ne est, vt personaliter cōpareant se ipsum præsentando? Nauarrus cap. 27. secutus Caetanum in summa verbo excommunicatio casu 69 dicit satis esse mittere procuratorem vnū ad id idoneum, idem tamen Nau. ca. 27. dicit hoc non procedere quoad eum qui cum parte commodauerit, vel alias satisfecerit tantum quantum debebat corā Deo, quia talis neque per se, ne que per Procuratorem tenetur comparere corā eo, qui eum excommunicauerit.

Ex his infertur primo, id quod communi-

muniter notant Doctores, præsertim Nauarrus loco citato, quod videlicet ille, qui absoluitur in articulo mortis ab eo, qui de iure non poterat absoluere ab excommunicatione reseruata, non tenteatur iterum confiteri, aut quærere absolutionem, sed tantum se præsentare, quod si non se præsentat non propterea remanebit excommunicatus, quasi non absolutus, sed reincidit in eandem excommunicationem, hæc autem reincidentia erit propter resistentiã comparendi vel per se, vel per Procuratorem modo dicto.

Infertur secundo, quod pariter absolutus in articulo mortis à peccato reseruato non tenebitur amplius quærere absolutionem ab eo, & ratio huius est, vt dicit Concilium Tridentinum, quia in articulo mortis cessat omnis reseruatio, & etiam quia peccata semel confessa, & legitime absoluta non redeunt, nisi denuo committantur.

17. Dices primo, quid intelligitur per articulum mortis? Respondeo intelligi eum in quo quis mori probabiliter timet, siue ab intrinseco, idest vi morbi, siue ab extrinseco puta cum quis aggreditur hostes fortiores ipso, vel reperitur in naui tempore periculoso, item si fœmina solita sit periclitari in partu. Nauarrus loco supra citato notat quod infirmus qui in aliquo mortis articulo vsus est bulla concedente aliquam facultatem in articulo mortis, non potest vti ea in alio, quia illa per primum vsum expirauit, nisi addatur in ea bulla si non moritur in illa infirmitate, reseruetur ad alium articulum, vel quod possit ea vti quotiescunque articulus mortis occurrit ei; verum probabilius est, quod quotiescunque in bulla dicitur, quod aliquis possit absolui in articulo mortis absolute à censuris, vel peccatis reseruatis, intelligendum sit in quolibet articulo mortis, quia fauores sunt ampliandi, vt dicunt Canonistæ, & quia si contrarium esset eorum, Papa in Bulla illud exprimeret, vel diceret, semel in articulo mortis.

Dices secundo, quando infirmus moritur cum signis contritionis absque eo quod potuerit absolui ab excommunicatione, debebit ne post mortem absolui? Respondeo affirmatiuè non quidem à quocunque Sacerdote, qui in articulo mortis eum absoluere potuisset, sed tantum ab eo, qui eum sanum in vita poterat absoluere, ita Nauarrus vbi supra, vbi ait quod si talis esset etiam in loco sacro sepultus non esset extrahendus, vt absolueretur flagellando, quia sufficit flagellare sepulcrum, secus vero si fuerit sepultus in loco non sacro, idem dicit Rosella, & omnes Doctores.

Postremo infertur ex dictis, quod necessitas celebrandi, vel communicandi, ad hoc vt obligationi suæ quis satisfaciat, vel scandalum, aut infamiam vitet, non tribuit facultatem absoluendi à peccatis, vel à censuris Sacerdoti simplici, & non approbato ad confessiones; & ratio est, quia Concilium Tridentinum tribuit talem facultatem solum in articulo mortis.

19. Vltimo quæritur, quæ solemnitas seruanda sit in impendenda absolutione ab excommunicatione maiori? Respondeo tres esse in iure expressas solemnitates.

Prima solemnitas habetur ex capitulo de cætero de sententia excommunicationis, scilicet vt excommunicatus antequam absoluatur iuramentum præstet, quod vel Ecclesiæ, vel iudicis mandato parebit, quod quidem iuramentum intelligitur parendo mandato non in vniuersum, se tantum circa subiectam materiam, & causam ob quam excommunicatus est.

20. Quod si dicas primo tenebitur ne quicunque absoluendus ab excommunicatione ad præstandum hoc Iuramentum?

Notandum hic est quod de duobus hoc quæri potest. Primo de crimine, idest vtrum sit præstandũ Iuramentum ob quodcunque crimen propter quod sit lata excommunicatio. Secũdo de persona idest vtrum quæcũq; persona absoluẽda ab

ab excommunicatiône teneatur præstare tale iuramentum.

Quoad primum aliqui dicunt præstãdum esse iuramentum in quocunque crimine. Sed Syluester, & Angelus in suis summis verbo absolutio dicunt iuramentum tale esse præstandum solum in criminibus enormibus, puta in incendiarijs, falsarijs.

Quoad secundum aliqui etiam dicũt obligari personam ad præstandum tale iuramentum; Angelus, & Syluester dicunt non teneri pueros ad præstandum tale iuramentum, sed de his standum esse iudicio Episcopi.

Et notandum hic est diligenter, quod ius commune exigit tale iuramentum tantum ab eo, qui absolui debet in foro exteriori, ad hoc vt alij magis in posterum timeant, & vt excommunicatus caueat à similibus, vnde infertur, quod in foro conscientię, cum quis absoluitur ab excommunicatione virtute Iubilæi, vel alicuius priuilegij, nõ est exigendum tale iuramentum ab eo, qui est absoluendus.

21. Secunda solemnitas est, vt absoluendus prius satisfaciat parti læsæ, & hæc satisfactio debet esse ante absolutionem si commode fieri potest, & si offensa fuerit manifesta, si verò offensa fuerit dubia debet præstari sufficiens cautio pignorũ, vel fideiussorum, quod si neque pro manifesta, neque pro dubia possit præstari talis cautio, satis erit quod absoluendus ab excommunicatione prius præstet cautionem Iuratoriam.

Quòd si dicas si quis possit adhibere realem satisfactionem, sed non nisi notabiliter vendens vilius bona sua. Nauarrus in Manuali cap. 27. dicit quod absoluendus non tenetur ad aliud, quam ad dandam sufficientem cautionem, quod satisfaciat quam primum, dummodo tamen satisfactio possit sic differri sine magno damno partis læsę, nam in tali casu omnino opus esset reali satisfactione; & notandum est quod hæc secunda solemnitas seruanda est etiam in foro conscientiæ, quia respicit damnum tertij.

Tertia solemnitas est, vt absoluatur cum Psalmo Pœnitentiali, & oratione Dominica, & alijs consuetis, vt percutiẽdo spatulam nudam, si est masculus & c. quæ habentur in ritualibus; & hæc solemnitas adhibetur, quando quis absoluitur in foro exteriori ab excommunicatione publica, & notoria, & hoc ad exemplum aliorum.

PARS QVARTA.

De casibus in quibus incurritur in excommunicationem ipso iure.

HAec pars diuiditur in tria capita. In quorum primo enumerabo, & explicabo casus in quibus incurritur in excommunicationē Papæ reseruatam.

In secundo dicam de casibus, in quibus incurritur in excommunicationem de iure Episcopis ressferuatam.

Et in tertio dicam de casibus in quibus incurritur in excommunicationem nulli ressferuatam.

CAPVT PRIMVM.

De casibus in quibus in excommunicationem Papæ resseruatam incurritur.

OMnes excommunicationes Papæ resseruatæ, aliæ sunt in bulla Cænæ Domini, quæ principaliores sunt, aliæ verò non sunt in dicta bulla, primo enumerabo eas, quæ sunt in dicta bulla, easque explicabo, prout per tempus licebit, & priusquam ad singularum excommunicationum, quæ continentur in dicta bulla enumerationem veniam, operepretium fore duxi aliqua de ipsa bulla in vniuersum pro maiori intelligētia præmittere, propterea.

Notandum est primo, quod olim summorum Pontificum mos erat contra certos delinquentes facere processum Generalē, qui publicabatur ter in Anno, videlicet die iouis hebdomadæ sanctæ, die Corporis CHRISTI Domini, & die dedicationis Basilicarum Sancti Petri, & Pauli Apostolorum, & ita

Glosa Clemētina vnica de iudiciis versi culo solennis, quam sequuntur co mmuniter Doctores. At vero hac nostra ætate publicatur id gen' processus semel tātū in anno, videlicet die iouis Sancto, & propterea dicitur bulla Cænæ Dñi; bulla quidē, quia omnis scriptura in plūbo emanata à Papa dicitur bulla, vt ait Rebuffus de praxi beneficiorum titulo bullæ declaratio n.3. & 10.

Cænę verò domini, quia die Iouis hebdomadæ sanctæ Christus Dominus vltimam Cænā fecit cū Agno Paschali, quo quidem die publicatur hæc bulla, seu processus.

Notandum est secundo, quod hæc bulla non est admodum antiqua, Sotus in 4.dist.22. qu.2.art 3. arbitratus est initiū habuisse tempore Martini V. circa annū Domini 1420. & illum sequitur Iacobus de Graphijs lib. 4. suarum decisionum aurearum cap 18.nu.3.sed rè vera falluntur, quia Clemens V. qui rexit Ecclesiam circa annum Domini 1305. testatur suo tempore iam fuisse consuetudinem inueteratā faciendi, & publicādi talem processum diebus dictis, vt patet ex Clementina vnica titulo de iudiciis, vnde rectè possumus colligere ante trecentum annos traxisse originem, verum est quidem, quod Martinus V. auxit hanc bullam magis quam reliqui pontifices vsque ad nostra tempora.

Notandum est tertio, quod casus qui habentur in iure expressi, & refferuntur in hac bulla, sunt in duplici differentia, quidam enim nullam habent in iure annexam excommunicationem, modo verò ex eo, quod refferuntur in bulla annexam habet excommunicationem, cuius absolutio Papæ refferuatur eo modo, quo dicitur in fine ipsius bullæ, vt nos dicemus, quidam verò habent in iure excommunicationem iam annexam, & hi ex eo, quod refferuntur in bulla non sortiuntur nouam excommunicationem, sed tantum hoc noui illis aduenit, quod si non erat illorum absolutio Papæ refferuata, modo refferuatur, si vero iam refferuata erat, ad huc strictius refferuatur, ità vt difficilius concedatur absolutio, vt suo loco dicemus.

Atque ex dictis aduertendum est, quod si per mutationem istius bullæ, vt aliquando contingere solet, tollatur aliquis ex dictis casibus expressis in iure, statim redeunt in pristinum statum, ità vt si anteà nullam habebant excommunicationem annexam, neque Papæ refferuati erant, neque habeant, neque refferuati sint postquam dempti sunt de bulla, secus verò si iam habeant annexam excommunicationem, & erant iam antea refferuati.

Notandum est quartò, quod de casibus in bulla contentis tractant cum alijs casibus in iure contentis refferuatis Papæ communiter Doctores, D. Antoninus tertia parte titulo 24. per duo capita, Angelus verbo excommunicatio quinto, Syluester verbo excommunicatio septimo, Thabiensis verbo excommunicatio quinto, Caetanus in summa verbo excommunicatio in casibus particularibus incipiendo à capite primo.

At verò seorsim de bulla hac aliqua tangit Dom. Sot. In quarto distinctione 22. quæstione secunda articulo 3. plura Nauarrus in Manuali capitulo 27. Alphonsus Viualdus in explicatione ipsius bullæ in Candelabro, & Iacobus de Graphijs libro quarto decisionum aurearum, & aduertendum hic est, quod isti Doctores non omnes eandem bullam explicant, sed alij alias bullas explicauerunt pro suo tempore publicatas; nos explicabimus eam, quam publicauit Paulus V. 1606. anno Domini, & in expositione istius bullæ hic ordo seruabitur, vt singula primi recenseantur excōmunicationes, tum singuli casus in quibus in illas incurritur, prout opus erit.

Prima

Prima excommunicatio fertur sic.

Excommunicamus,& anathematizamus ex parte dei omnipotentis &c. Nota quod vt patet ex textu incurritur in hanc excommunicationem decẽ casibus.

Primus casus est respectu eorum, qui sunt in hæresi.

Secundus respectu eorum, qui sunt hæreticorum credentes.

Tertius respectu eorum, qui sunt hæreticorum receptatores.

Quartus respectu eorum, qui sunt fautores eorundem hæreticorum.

Quintus respectu eorundem, qui sunt defensores.

Sextus respectu eorum, qui libros hæreticorum scienter legunt.

Septimus respectu eorum, qui eosdẽ libros domi retinent.

Octauus respectu eorum, qui imprimunt.

Nonus respectu eorum, qui eosdem libros quomodolibet deffendunt, quouis ingenio,vel colore.

Decimus respectu schismatorum.

Quo ad primum casum, idest respectu hæreticorum sciendum est primo, quod ad hoc, vt quis dicatur hæreticus, tria requiruntur.

Primo baptismus.

Secundo error in intellectu.

Tertio pertinacia in voluntate, & hæc est doctrina D. Augustini prout reffertur 24. quæst.3. Canone dixit Apostolis.

Quod si dicas quarè primo requiritur baptizatus ad hoc, vt quis sit hæreticus.

Respõdeo quia cõmuniter qui discredũt articules Catholicæ fideli,si nõ sunt baptizati non dicuntur hæretici,sed vel Iudæi, vel Turcæ, vel Ethnici, pagani,Infideles.

Quod si secundo dicas in quo consistat error in intellectu.

Respondeo quod consistit in hoc vt quis discredat aliquid, quod sit secundũ fidẽ Catholicam, cuius fidei dogmata continentur in Sacra scriptura, in traditionibus Apostolicis, in concilijs Generalibus,& in communi consensu Doctorum Catholicorum.

Tertio si dicas in quo consistat pertinacia in voluntate.

1. Respondeo quod consistit in hoc, vt qui habet errorẽ contra fidẽ, ita pertinaciter velit manere in tali errore, & non sit paratus mutare sententiam, etiã si sciat,vel sciret Ecclesiam aliter credere;Qui vero habet errorẽ contra fidẽ in animo suo paratus mutare sentẽtiã quotiescunque sciret Ecclesiam Catholicã tenere contrarium, non est hæreticus, quia non habet pertinaciam.

Secundo sciendum est,quod non solũ hæreticus est ille,qui errat pertinaciter contra Fidem Catholicam modo dicto, sed etiam ille,qui dubitat pertinaciter, quia cum scit aliquid ab Ecclesia deffinitum esse, & adhuc dubitat an sit verũ id quod determinauit Ecclesia supponit non esse vera omnia, quæ Ecclesia determinat; Vnde Stephanus Papa ponit hanc conclusionem, dubius in fide infidelis est, vt habetur Canone primo de hæreticis.

Sciendum est tertio quod inter Hæreticum, & Apostatam hæc est differẽtia, quod Apostata à fide dicitur ille, qui discredit omnes articulos fidei, vel qui sic à fide recedit, quod nihil de ea credat,hæreticus verbo dicitur ille, qui non omnia, quæ sunt de fide discredit.

Sciendum est quarto, quod hæreticus formalis duplex est, vel dupliciter potest considerari; vno modo, quatenus hæresim suam,quam habet in intellectu exprimit signo aliquo exteriori; altero modo, quatenus nullo exteriori signo illam manifestat, vel penitus in se retinet, & quod dicimus de hæretico, qui discredit, intelligendum

 est

telligendum est etiam semper de eo, qui dubitat.

Sciendum est vltimo, quod licet in prima excommunicatione bullæ in Cæna Domini aliquæ sectæ hereticorum nominentur, puta Luterani, Caluinistæ &c. intelligendum est tamen de omnibus hæreticis propter illa verba, ac omnes, & singulos alios hæreticos quomodocunque censeantur, & cuiuscunque sententiæ existant.

His notatis dico quod ad hoc vt quis sit hæreticus, & incurrat in excommunicationem primam dictæ bullæ, necessario debet manifestasse suam hæresim, vel expressisse signo aliquo exteriori, & hic notandum est, quod talis hæreticus dupliciter potest hæresim manifestare signo aliquo exteriori, vno modo notoriè, & sic nulli dubium esse potest, quod in hanc excommunicationem incurrat, altero verò modo occultè, & sic communiter est sententia Theologorum, & Canonistarum, quod incurrit, vnde infertur, quod quicunque verbo, vel scripto, vel nota, licet à nullo videatur quod mente concipit pertinaciter, est excommunicatus hac excommunicatione bullæ Cænæ, & ratio est quia crimen tunc fit de foro Ecclesiastico ex quo de sua natura fit probabile, idest fit tale vt de sua natura posset probari si adessent testes, vnde dicit Nauarrus in Manuali cap. 27 nu. 56. quod videlicet sufficit vt hæresis sit sua natura probabilis ad hoc vt includatur cum potestate, & iurisdictione humana, & pænis eius, licet deinde in deffectu testiũ cõtingat probari non posse.

Quod si dicas quid si q̃s opere aliquo exteriori, vel verbis negat fidẽ Catholicam, & non mente & intellectu, vt si quis cogeretur adorare sepulchrũ Maumeti, thurificare Idolis, vt fecit Marcellus Papa.

Respondeo quod talis non esset hæreticus, quia non haberet errorem in intellectu, sed tantum in verbis, vel opere, neque esset excommunicatus in foro interiori, vt apertè docent D. Antoninus tertia parte tit. 12. cap. 5. parag. 1. Angelus verbo hæreticus parag. 3. Syluester verbo hæresis primo parag. 9. Thabiena verbo Apostata parag. 6. repertorium inquisitorum pagina 413.

Quod si dicas hæreticus pure mentalis, qui nullo penitus signo exteriori hæresim suam manifestat incidit ne in excommunicationem?

Respondeo prout ex dictis colligitur quod non, & ita docet D. Thomas 1. 2. qu. 91. art 4. D. Antoninus, Syluester & alij in suis summis, Caetanus in summa verbo hæresis, Nauarrus in Manuali capitulo 11. & omnes docent Theologi, quia Ecclesia non habet potestatem supra actus solos interiores, vt possit suis pænis pro eis castigare.

Notandum tamen est hic, quod si aliquis verbis negaret fidem, vel aliquo signo exteriori publicè, sed nõ haberet errorem in mente, quantum ad forum exterius censeretur hæreticus, & excommunicatus, quia Ecclesia iudicat de exteriori, cum non possit iudicare de interiori, idest iudicabit talem esse excommunicatum, & hæreticum, quia pro tali eum cognoscit ex actu exteriori non videns actum interiorem.

Quod si dicas quid si quis ioco negaret fidem?

Respondeo quod si constaret eum negare fidem ioco, nec esset hæreticus, nec excommunicatus, licet castigandus; si verò non constaret eum negare ioco, quantum ad forum exterius esset censendus hæreticus, & excommunicatus.

Dices postremo quid de dubio in fide pertinaciter?

Respondeo vt dixi de hæretico, quod si verbis, vel signo aliquo exteriori manifestaret dubium suum, esset excommunicatus, intelligimus autem hic de eo, qui voluntariè dubitat, nam vt dicit Nauarrus in Manuali cap. 11. nu. 18. si quis subreptitie, & non deliberatè dubitaret, vt aliquando aliquis solet etiã contra voluntatem, non esset hæreticus, nec excommunicatus, & multo minus si essent scrupuli aliqui, qui contra volũtatem orirentur, atque hæc de primo casu.

Quo ad secundum casum, idest respectu eorum, qui hæreticorum credentes sunt,

Ad-

Aduertendum est, quod vox illa, credentes, dupliciter accipi potest, vt dicit Franciscus Suarez vbi de excommunicatione dist. 21. sessione 2. vno modo pro his, qui credunt errores alicuius hæretici, alio modo pro his, qui credunt personæ hæreticorum, bonamq; existimationem de illa habendo, & familiaritatem ei exhibendo, licet eorum opinionibus non assentiantur, difficilius ergo esse potest quomodo hoc verbum in dicta excommunicatione sumatur, nam vt hoc verbum, credentes aliquid, superioribus verbis addatur, necessarium videtur in posteriori significatione accipi, nam credentes priori modo hæretici sunt, vt dicitur in capitulo excommunicamus 2. parag. si qui autem de hæreticis, ergo iam erant comprehensi sub illis verbis generalibus omnes, & singuli hæretici, & ità exposuit simile verbum Panormitanus in capitulo excommunicamus 1. parag. credentes de hæreticis n. 12. nam ibi eadem excommunicatio fertur, nihilominus censeo potius accipiendum esse verbum illud credentes priori modo, vt sentit Nauarrus in Manuali cap. 27. nu. 55. vbi concedit hos credentes esse hæreticos, & ideo verbũ illud esse omissum in Bulla Cænæ Pij V. postea vero fuisse additum ad maiorem declarationem; duobus autem modis possunt aliqui credere hæretico, primo distinctè assentiendo erroribus ab eo præpositis, & publicatis, & hi potius hæretici, quam credentes dicuntur. Secũdo tantum confusè credendo veram esse doctrinam eius quæcunque illa sit, & hi propriè dicuntur credentes, de quibus in bulla Cænæ; nam licet hi etiam sint hæretici credendo illo modo alicui contra Ecclesiam docenti, tamen quia distinctè nihil credunt contra fidem, proptio nomine appellari sunt, & ad maiorem claritatem sub illo sunt expressi.

Quo ad tertium casum, idest respectu eorum, qui sunt hæreticorum receptatores, notandum est, quod proprie receptare in hac bulla est abscondere hæreticos ne inueniãtur ab inquisitoribus, aut euadant ex manibus iustitiæ, ita D. Antoninus tertia parte tit. 24. cap. 5. Thabiensis verb. excommunicatio 5. in casu 4. & alij communiter, non autem hospitio accipere, vt accipi solet amicus ab amico, peregrinus ab hospitalario, hospes, & viator &c. crediderim tamen, quod qui receptaret hæreticos ad docendam suã hæresim incurreret in dictã excommunicationem, sed hos includit in sequẽtibus clausulis.

Sed dices primo, quid si aliquis receptaret hæreticum, vt eum occultaret ne caperetur à satellitibus nesciens eum esse hæreticum?

Respondeo cum Iacobo de Graphijs lib. 4. decisionum aurearum cap. 18. nu. 23. & 24. quod non incurreret in talem excommunicationem.

Dices secundo, quid si quis occultatorij hæreticum ignorans esse hæreticum, superuenientes autem ministri Ecclesiæ dicunt eum esse hæreticum; vel quid si quis hæreticum sciens hæreticum esse illum occultet metu, puta quia timet, quod alioquin occidetur ab hæretico, vel ab eius consanguineis, aut quia timet ne ipse etiam capietur ob hospitiũ hæretico præstitum, maximè si ob id sit pæna tallionis imposita.

Ad primum casum respondet Iacobus de Graphijs loco citato, quod tunc incurreret, si eum occultaret in secretioribus domi partibus, non autem si sic occultatum dimittat, ratio est clara, quia tunc diceretur verè receptator hæretici, si postquam sciuit eum esse hæreticum cum occultat, & cum sciat quæri tantum respectu hæresis, non autem sic occultatum dimittendo.

Ad secundum casum respondetur non incidere in excommunicationem, quia sicut ex communi legistarum sententia non venit puniendus, qui coactè receptaret bannitum, ita neque est excommunicandus, qui coactè receptaret hæreticum.

Dices tertio, quid si quis scienter occultauit hæreticum, qui tamen requisitus à ministris iustitiæ ductus est in carcerem.

Respondeo quod nihilominus incidit in bullæ excommunicationem, quia quantum est ex se, occultauit hæreticum ne

nè caperetur à ministris iustitiæ.

Dices quarto, quod si quis receptaret hæreticum, qui exquiritur à satellitibus non propter hæresim, sed propter homicidium, vel furtum.

Respondeo quod non est excommunicatus, quia non est receptator hæretici, vt hæreticus est, sed vt homicida, vel fur, vnde bene dicit Caetanus in summa verbo excommunicatio capit. 1. quod termini sunt formaliter intelligendi, idest uerba apud sapiẽtes in qualibet facultate, vnde cum dicitur receptator hæretici est excommunicatus, intelligendum est de receptatore heretici, vt hæreticus est, idest in causa hæresis, vel in deffensione hæresis.

Dices vltimo, quod si quis parentem, filium, aut maritũ hæreticum occultet, vel faceret, vt fugiat, nè comprehendatur ab Inquisitore.

Alphonsus Viualdus in explicatione bullæ in Cæna Domini dicit, quod talis non videtur incurrere in hanc excommunicationem, quia reputantur vna persona pater, & filius, vel maritus, & vxor; sed contrarium sentit Glosa capitulo excommunicamus primo de hæreticis; Ego credo probabilem quidem esse priorem sententiam, posteriori tamen, idest Glosæ adhæreo tanquam tutiori, tum quia iura & bulla Cænæ loquuntur indistinctè, digestis de receptatoribus, tũ quia ff. de receptatoribus, lege 2. habetur eos, idest apud quos affinis, vel cognatus latro conseruatus est, non esse absoluendos, sed puniendos, licet non tam seuerè, vnde colligo, quod sicut verè receptator dicitur qui latrones consanguineos, vel affines conseruat occultando in causa furti, ità pariter receptator dicitur, qui recepiat hæreticum, affinem, vel consanguineum in causa hæresis, atque hæc de hoc casu.

Quod ad quartum casum respectu eorum, qui sunt hæreticorum fautores, nota quod duplicis generis sunt hæreticorum fautores, vnum eorum, qui fauent positiue se habendo, alterum eorum, qui fauent negatiuè se habendo.

Primi generis sunt, qui fauent verbis, aut factis, verbis eos excusando, docendo item eos modum, & viam fugiẽdi de manibus ministrorum, vel è carcere, aut illos instruendo ad falso se deffendendum factis illos occultando, factis, vel alimentis, aut pecunia auxiliando, vel aliqua per quæ liberentur ministrando.

Secundi generis sunt omnes, qui cum magistratum gerant, & iurisdictionem habeant ommittunt procedere contra hæreticos, huiusmodi sunt inquisitores, & ministri inquisitoris negligentes, omittentes capere, & punire, &c. Item ministri iustitiæ sæcularis, qui negant brachium sæculare pro hæreticis capiendis, & puniendis; item testes iuridicè examinati, & interrogati, si negant, aut dissimulant, vel tacent veritatem, siue dicunt falsum ad excusandum hæreticum scienter.

Quod si dicas si Iudex sæcularis sciat illum esse innocentem, quem Inquisitores iustè, & iuridicè secundum allegata, & probata sibi tradunt ad comburendum?

Alphonsus Viualdus in explanatione bullæ numero 5. pro responsione ad hoc tria dicit.

Primo quod si potest, omnibus modis tenetur probare eius innocentiam.

Secundo si non potest probare, proponat debita cum reuerentia illius innocẽtiam inquisitori dicens se illam probare non posse.

Tertio quod si nihilominus præcipiatur exequi sententiam, tenetur executioni mandare, vt merus iustitiæ exequutor, & dicit hanc esse communem doctrinam.

Ad hoc idem secundum genus spectant etiam personæ priuatæ, quæ tenentur hæreticos comprehendere, vel indicare ex officio, puta quia datur eis certum stipendium ad inquirendum eos, & denuntiandum, vt alicubi fit, tunc illa omittendo dicerentur fautores, & inciderent in hanc excommunicationem, secus non, licet peccaret morta-

mortaliter, ità Angelus verbo hæreticus parag. 24. Syluester verbo hæresis primo parag. 10. Paludanus in 4. dist. 3. q. 3. Vinaldus loco supra citato, & alij communiter.

Quo ad quintum casum respectu eorũ, qui deffendunt hæreticos; Nota deffensores illos esse in duplici differentia, quidam enim deffendunt illos viribus, & potentia, & id genus homines incurrunt in hanc excommunicationem bullæ, quotiescunque efficiunt, vt hæretici in tutũ veniãt, & non veniant in manus iustitiæ, vel impediunt captionem eorum, puta per obiectum sui corporis, aut per coadunationem gentium, aut etiam cum solis clamoribus; verum non incideret in excommunicationem bullæ, qui hæreticum deffendunt à suo inimico, à latrone, aut alio periculo; item si quis deffenderet hæreticum ne caperetur propter furtum, quod fecit, vel homicidium, nam semper est sermo hic de hæretico, vt hæreticus est, non vero vt est latro, vel homicida, & cætera.

Quod si dicas, Aduocati, Procuratores, Notarij, & id genus Actuarij, qui scienter deffendunt hæreticos, maxime existentes in carcere, incurrunt nè in excommunicationem hanc?

Respondeo quod non, si iustè deffendunt, & cum licentia Inquisitionis; ità Angelus verbo hæreticus parag. 25. Syluester verbo hæresis 1. parag. 10. Vinaldus, vbi de bulla Cænæ. nu. 7. & alij omnes.

Quo ad sextum casum respectu eorum, qui libros hæreticorum scienter quomodolibet legunt continentes hæresim, vel de religione tractantes sine auctoritate Sedis Apostolicæ.

Nota quod si quis legat libros Catholicorum in quibus refferantur dicta hæreticorum continentia expressam hæresim, non incidunt in excommunicationem, etiam si refferantur ibi dicta hæreticorum de verbo ad verbum, & ratio est quia talis liber est liber Catholici; deinde quia non incideret si audiret talia dicta hæreticorum ab alio relata.

Quod si dicas quid si quis audiat aliquem legentem librum hæreticorum maxime continentem hæresim?

Pro responsione notandum est, quod dupliciter potest quis audire legentem librum hæreticorum, vno modo inducendo legentem ad legendum illum, alio modo non inducendo eum ad legendum; si primo modo, incurrit in excommunicationem bullæ Cænæ, vt ait Iacobus de Graphijs libro quarto decisionum aurearum capitulo 18. & iure id probabile est, nam alioquin frustraretur finis legis, quicunque enim qui desideraret legere libros hæreticorum, curaret sibi legi ab alijs nè incurreret in excommunicationem; si vero posteriori modo audiat legentem librum hæreticorum continentem hæresim, vel de religione tractantem, non incurrit in excommunicationem, quia pænæ non sunt ampliandæ, & in bulla solum fit mentio legentis, & non audientis.

Rursus si dicas, quid si quis ex ignorantia legat librum talem, puta aperto libro nescit authorem, vel si scit, nescit esse hæreticum, vel si sciat authorem esse hæreticum, nescit tamen continere hæreses.

Respondeo talem excusari ab excommunicatione bullæ Cænæ, in qua excommunicantur scienter legentes.

Rursus si dicas quid si quis scienter legat librum talem, sed per modicum tempus.

Iacobus de Graphijs dicit excusari eum qui legat tres, vel quatuor lineas, & ratio est quia si paruitas materiæ excusat in alijs peccatis ita & in hoc, & ita dicendum est.

Quoad secundum casum videlicet respectu eorum, qui scienter tenent libros hæreticorum, qui hæresim continent, vel de Religione tractant.

Notandum est, quod in bulla Pij IV.

quæ habetur in indice librorum prohibitorum, excommunicantur item tenentes libros hæreticorum, vel cuiuscunque auctoritatis tenentes scripta propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionē damnata, atque prohibita.

Notandum est secundo, quod in Concilio Tridem. sess. 4. in decreto de editione, & vsu sacrorum librorum excommunicantur item tenentes libros, qui de rebus sacris tractant, in quibus non est appositum nomen auctoris, nisi prius ab ordinario fuerint examinati & approbati.

Notandum est tertio, quod per tenentes libros intelliguntur non solum illi, qui apud se tenent, sed etiam illi, qui apud alios tenent, & illi, apud quos tenentur.

Notandum est postremo huc spectare ea omnia, quæ singillatim notauimus, & diximus in præcedenti casu de legentibus, etenim qua parte afficiuntur legentes ab excommunicatione, afficiuntur etiam tenentes, & qua parte excusantur illi ab excommunicatione, excusantur, & isti.

Quo ad octauum casum, idest respectu eorum, qui eosdem libros imprimunt.

Notandum est primo, quod in Concilio Tridentino in decreto citato supra sessione 4. de editione, & vsu sacrorum librorum habentur hæc verba, nulli liceat imprimere, vel imprimi facere quosuis libros de rebus sacris sine nomine Auctoris &c. nisi primum examinati, approbatiq; fuerint ab ordinario; vnde infertur, quod licet prælati ex sua diligentia, & vigilantia prohibeant ex primi quemcunque librum sine sua approbatione, non tamen haberetur excōmunicatus saltem per dicta Concilij Tridentini, qui contra faceret quo ad illos libros, qui non tractant de rebus sacris.

Quod si dicas quid si quis imprimeret ignoranter librum hæreticum?

Respondeo certum illum excusari propter ignorantiam inuincibilem, tā quoad peccatum mortale, quam quo ad Censuras.

Rursus si dicas quinam intelligendi sunt per imprimentes libros hæreticos?

Respondeo intelligendos eos, qui sunt causa proxima impressionis vt Dominus, & Magister impressionis, & qui cooperantur in actu impressionis, & componentes typos, fingentes attramento, constringentes torcularia, & id genus, non autem arbitror incidere in hanc excommunicationem illos, qui ex tra impressionem cooperantur impressionibus, puta facientes typos, mutuantes pecunias &c. fundamentum est, quia bulla solet specificare imprimentes, & pænæ non sunt amplianda, & ita Iacobus de Graphijs loco citato.

Quo ad nonum casum respectu eorū, qui libros hæreticorum hæresim continentes, vel de religione tractantes quomodolibet deffendunt in quauis causa publicè, vel occultè quouis ingenio, vel colore, hi enim omnes incurrunt in hanc excommunicationem, & hoc patet.

Quo ad decimum & vltimum casum respectu schismaticorum, & eorum, qui se ab obedientia Romani Pontificis tempore existentis se subtrahunt.

Notandum est, quod schismatici sunt in duplici differentia, quidam enim sūt, qui ita se subtrahunt à Romano Pontifice, vt nolint ipsum cognoscere Capud Ecclesiæ, & hi dicuntur proprie schismatici, & ligantur hac bullæ excommunicatione, per illud verbum, schismaticos, quidam verò sunt, qui cognoscūt quidem Romanum Pontificem Caput Ecclesiæ, sed ex contemptu, vel alia causa negant illi obedientiam pertinaciter, & hi secundum aliquos ligātur hac bullæ excommunicatione per illa verba, & eos qui se ab obedientia, & Romani Pōtificis pro tempore exitentis subtrahunt.

Sed obijciet aliquis, ex dictis sequi videtur, quod incurrāt in hanc excommunicationem omnes, qui incurrunt in quamcunque excommunicationem Papalem, quia nō potest aliquis incurrere in excommunicationem Papalem nisi sit inobediens Papæ.

Ad hoc respondet Franciscus Suarez, vbi

vbi de excommunicatione disputatione 21. sessione 2. negando sequelam, quia aliud est cum contumacia non obedire Summo Pontifici in vna, vel alia re, aliud verò simpliciter se subtrahere ab obedietia eius pertinaciter, hoc enim significat simpliciter non recognoscere illum vt superiorem, atq; ita se gerere, ac si non esset illi subordinatus, neque vnitus, vt capiti, qua propter ait idem Suarez, quod Catholici, qui sub hæretico Principe viuunt vt in Anglia, eique ut supremo capiti exterius obediunt, quamuis nō sint hæretici, hanc clausulā, quoad hanc vltimam partem, & censurā non effugiunt.

Secunda excommunicatio.

SEcunda excommunicatio est contrà Appellantes à Summo Pontifice ad futurum concilium, eorumque fautores in hæc verba, item excommunicamus, & anemathizamus.

Notandum est primo, quod in hac bulla Cœnæ, tria tantum genera personarum excommunicantur in secunda excommunicatione, videlicet appellantes ad Vniuersale, & futurum Concilium, & auxilium, vel fauorem præstantes talibus appellationibus, ita tamen quod auxilium, vel fauorem dantes non ligentur excommunicatione, nisi appellatio subsequuta fuerit, & ideò in bulla dicitur, quorum auxilio, vel fauore appellatum fuerit.

Dices primo, ad hæc duo verba auxilio, vel fauore alligatur ne etiā cōsiliū? Nau. in Man. cap. 18. quem sequitur Alphonsus Viualdus, vbi de excommunicatione nu. 19. in explicatione bullæ affirmat, & ratio eorum esse potest, quia consilium est quoddam genus auxilij, vel fauoris; verum ego arbitror non esse de mente Pontificis, vt nomine auxilij, vel fauoris intelligatur etiam cōsiliū, & ratio est, quia quando Pontifex voluit comprehēdere auxilium, expressit illud specialiter, vt patet præsertim in 21. & 22. excommunicatione huius bullæ.

Notandum est secundo, quod non incidunt in hanc excommunicationem bullæ appellantes à Papa ad futurum Concilium prouinciale, vel ad præsens Concilium Vniuersale, quia in bulla dicitur aperte, ad vniuersale futurum Concilium appellantes.

Quod si dicas, quarè vniuersitates, Collegia, & Capitula tantū interdicuntur?

Respondendum est, quod vniuersitates, Collegia, & capitula non excōmunicantur, vt supra dictum est vbi de personis, quæ excommunicari possunt.

Tertia excommunicatio.

TErtia excommunicatio fertur in pyratas, atque eorum receptatores, auxiliatores, & fautores, seu defēsores.

Notandum est ex Alfonso Viualdo in explicatione huius excommunicationis, quod Pyratæ dicuntur à nomine eius, qui dicitur cæpisse discurrere per mare ad prædandum, spoliandum &c.

Quod si dicas, discurrere per mare nostrum ad prædandum, spoliandum, capiendumque Turcas, Mauros, vel id genus infideles prohibetur ne in hac excōmunicatione?

Respondent communiter Doctores, quod non, quia non est præsumendum de mente Summi Pontificis esse, vt hac pæna afficiantur pro damnis infidelibus datis, præsertim cum contra ipsos fideles habeant iustum bellum, nec contrà eos habeat bellum ars pyratica, vt peccatum, sed vt opus laudabile ex communi omnium sententia.

Dices secundo, quid dicendum de Christianis, qui sunt in nauigijs pyraticis Infidelium.

Respondeo pro solutione, quod possunt isti esse in duplici differentia, vno modo, vt in talibus nauigijs versentur tanquam duces, & gubernatores, altero modo vt versentur in his tanquam simplices nautæ.

Et sic dico pimo, si priori modo versentur, incidunt in hanc excommunicationem, nam si eandem artem exercerent in nauigijs fidelium, inciderent

derent;ergo multo magis si in nanigijs infidelium cum id voluntatiè faciant contra Christianos.

Dico secundo, quod non incidunt, qui posteriori modo versantur, idest vt simplices nautæ, quia certè nulli dubium esse debet quin excusentur ab excommunicatione, tum ex conditione ipsa seruitutis, & metu mortis, tum quia non est credibile, quod Summus Pontifex velit illis tam miserè afflictis addere hanc grauissimam afflictionem.

Dices tertio, opus ne est ad hoc vt pyratæ incurrant in hanc excommunicationem, vt deprædarent nauigantes in terra.

Respondeo quod incurrerent, quia verè dicuntur, & sunt nauigantes.

Dices quarto quid de pyratis, qui prędantur in fluminibus.

Respondeo quod incurrant si isti sint pyratæ, vel latrunculi maritimi, qui oblata occasione aliqua flumen ingressi sunt ad prædandum, præsertim cum cæperint insequi nauigiam aliquod dum esset in mari, secus verò si sint solum latrunculi fluminum, non enim isti incurrunt in excommunicationem, ita Nauarrus capit. 27. numero 59. contra Angelum.

Dices postremo, qui nam censendi sunt pyratæ, cursores, latrunculi.

Caetanus in summa verbo excommunicatio capitulo 18. dicit esse vnum genus personarum nominatum diuersis nominibus, quia pyratæ idem sunt, qui cursarij appellantur, latrunculi verò maris sunt pyratæ parui, idest paruæ conditionis, atque hæc de hac excommunicatione.

Quarta Excommunicatio.

Quarta excommunicatio fertur in eos, qui naufragorum Christianorum cuiuscunque generis bona etiam in littoribus inuenta surripuerint.

Notandum est primo, quod hæc excommunicatio est antiquissima, habetur enim ex capitulo communi de raptoribus, & primus qui retulerit eam in bullam Cænæ fuit Gregorius XIII. vt notat Nauarrus in Manuali cap. 27. verum quidem est, quod in bulla Gregorij XIII. hæc excommunicatio erat amplior, & comprehendebat plures, quam nunc in bulla Pauli V.

Quod si dicas quid si Nauis erat Iudæorum, Turcharum, & aliorum Infidelium?

Ad hoc respondet Viualdus in explicatione bullę n. 29. quod licet omni iure naturali videlicet Diuino, & Canonico teneatur quilibet ad restitutionem rei iniustè ablatæ, etiam si res sit Iudæorum &c. quia præceptum absolutè præcipit non desiderare, nec surripere rem alienam, vel rem proximi tui, & cum omnes Infideles etiam sint proximi nostri, tamen cum in hac bulla dicatur, Christianorum quorumcunque, patet, quod qui surriperet aliquid ex nauibus Iudæorum, &c. non incurreret in hanc excommunicationem.

Quod si talis nauis naufragium passa non erat Christianorum Catholicorũ, sed hæreticorum baptizatorum, qui fidem Christi negantes facti sunt Saraceni, vel Mauri.

Respondeo meo iudicio idem esse, ac de alijs infidelibus ob identitatem mentis, ità Viualdus loco citato nu. 3.

Nota secundo, vt etiam dicit Nauarrus cap. 27. Manualis nu. 116. quod accipiens dicta bona animo conseruandi ea, & tradendi vero Domino non incurreret in excommunicationem, & ratio,

quia

quia non peccat, & sine peccato non incurritur in excommunicationem.

Nota tertio, quod licet per bullam Gregorij XIII. similem incurreret excommunicationem tertius accipiens talia bona ab ipso surripiente de naui, vel littore, hodie tamen per bullam Pauli V. non extenditur talis excommunicatio maior ad tertiam personam, vt in ea patet, tenebitur tamen dicta tertia persona inuento vero Domino nauis illa restituere, quæ à surripiente acceperat, vel emerat, etiam nullo sibi soluto pretio, ut tenent omnes.

Nota quarto, quod ille, qui surripuit de naui aliquid, quod statim erat periturum, vt est farina, saccarum &c. etiam sine periculo suæ vitæ, tenetur illud restituere, etiã si alias Dominus non erat talia bona rehabiturus, quia ex charitate tenebatur suffragari, vel auxilium præbere, vt habetur capitulo excommunicamus de raptoribus, & talis auxiliũ præbens debet habere retributionem pro suis laboribus, si autem ob recuperanda talia bona cuicunque periculo mortis exposuerit suam vitam, & dans alia via, vel modo dicta bona non esset rehabiturus, poterit tuta conscientia dicta bona retinere, itã Viualdus loco citato nu. 34. vbi citat adhoc Angelum, Syluestrum, & Armillam verbo naufragium.

Vltimo nota illum, qui res iactatas in mare tempore tempestatis ad exonerandam nauem surripuerit teneri ad restitutionem, quia tunc dominium remansit penes proprium Dominum secus quando tales res habeãtur pro derelictis, quia tunc sunt accipientis, ita Angelus, Syluester, Armilla, & alij verbo naufragiũ & Viualdus nu. 35. atque hæc de hoc excommunicatione.

Quinta Excommunicatio.

QVinta excommunicatio fertur in eos, qui imponunt noua pedagia, vel gabellas, vel eas agent preterquam in casibus sibi à iure, seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis; & notandum est, quod Gabella, Pedagium, Guidagium, Vectigal, Talea, Collecta, Præstantia, Duana, Angaria, importane exactionem publicam, quæ aliquando est iusta, aliquando non est, & In hac excommunicatione hæc omnia intelligũtur sub nomine Pedagiorum, & Gabellarum; vt statim intelligatur hæc excõmunicatio duo tantum explicãda sunt, primum est qui sint casus, in quibus à iure imponi potest Gabella, secundum est quomodo ad Romanum Põtificem spectet dare potestatem imponendi nouas gabellas, vel augendi iam impositas.

Et quoad primum aduertendum est, quod ius imponendi vectigalia residet solum apud supremos Principes, qui in temporalibus non cognoscunt superiorem, ex quo fit vt omnes alij principes, & Domini temporales, qui superiorem cognoscunt, comprehendantur sub hac censura si absque facultate supremi Principis hæc tributa imponant, in quibus autem casibus supremi Principes habeãt ius imponendi hæc tributa non est aliqua in re descriptum, sed ipso intrinseco iure iustitiæ deffiniendum, nõ enim habent illi principes certas leges deffinientes, seu recensentes casus, in quibus possint hæc tributa imponere, nec etiã suo libito possunt ea imponere, sed tantum pro ratione suæ necessitatis ex ordine ad deffensionem, vel aliam publicam vtilitatem, & propterea quando supremi principes iniusta tributa imponunt, incurrunt in dictam excommunicationem, vt dicit Suarez in expositione bullæ disputatione 21. sessione 7.

Quo ad secundum, idest quomodo

 possit

possit Summus Pontifex hanc facultatem, idest imponendi nouas gabellas dare.

Respondet idem Suarez loco citato non solum in spiritualibus, sed etiam suo modo in temporalibus habere supremam potestatem directè, & per se in suis terris, vbi est Rex, & supremus Dominus temporalis, in alijs verò indirectè, & per aliud, scilicet in ordine ad spirituale bonum alicuius Regni, vel totius Ecclesiæ; per hanc ergo potestatē, & in ordine ad eundem finem potest Summus Pontifex concedere facultatē imponendi noua vectigalia; atque hæc de hac excommunicatione, nam de gabellis plura dicere non pertinet ad hunc locum.

Sexta Excommunicatio.

Sexta excommunicatio fertur in eos, qui falsificant litteras Apostolicas, aut supplicationes à quamcūque auctoritatē habente signatas, & fabricantes litteras Apostolicas.

Notandum est hic, quod falsificantes, vel falsarij propriè dicuntur hoc loco, primo qui conficiunt omnino litteras Apostolicas falsas, & qui falsò signant supplicationes sub nomine Romani Pōtificis; secundo quia in veris litteris pontificijs, vel supplicationibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontificis aliquid mutant, addunt, vel detrahunt, ex qua quidem additione, mutatione, vel demptione variatur substantia litterarum, vel supplicationum Apostolicarum, aut plus vel minus contineant postquam anteà continebatur.

Dices primo, quid si quis mutaret vnā litteram, vel corrigendo, vel demendo, aut addendo punctū? Aliqui asserunt incurrere in excommunicationem, Host. in summa lib. 5. titulo de crimine falsi circa similem excommunicationē, quæ habetur in iure cap. at falsariorum de crimine falsi, item Caetanus in summa verbo excommunicatio cap. 27. Panormitanus & Gotfredus quem citat, & sequitur Syluester verbo excommunicatio 7. §. 8. Contrarium docet Nauarrus loco supra citato 1. in Man. cap. 27. in declaratione sententiæ excommunicationis sequutus Gersonem, quem citat, idem dicit Viualdus in declaratione bullæ. nu. 45. ego dico, quod si mutatio illius litteræ, vel puncti substantialiter variat sensum est vera prima opinio, secus est vera secunda.

Dices secundo, quid si quis mutet, verbi gratia ea, quæ prius erant in supplicationibus expressa, sed per errorem notarij, vel scribæ fuerunt posteà mutata, verbigratia obtinuit quis dispēsationis breue à Summo Pontifice in tertio gradu consanguinitatis, notarius scripsit affinitatis.

Respondet Iacobus de Graphijs loco citato, idest in expositione Bullæ lib. 4. aurearum decisionum nu. 83. quod non incurreret in excommunicationem, quia non peccat mortaliter.

Dices tertio, quid si quis falsificat sigillum adulterinum Papæ, siue plumbū, siue ceram.

Respondet idem Iacobus eodem numero incurrere in hanc excommunicationem.

Dices quarto, quid sunt istæ litteræ Apostolicæ?

Respondeo quod hoc loco intelliguntur litteræ Summi Pontificis expeditæ siue illæ sint amplo stylo descriptæ, vel plumbeo sigillo munitæ, quæ propterea dicuntur etiam bullæ siue sint stylo non tam amplo, nec tam magnis caracteribus descriptæ, & cera rubea annulo piscatoris Signatæ, quæ propterea dicuntur breuia, vel litteræ Apostolicæ in forma breuis; atque hæc de hac excommunicationē.

Septi-

Septima Excommunicatio.

SEptima excommunicatio fertur in defferentes arma, & alia vsui bellico idonea ad Turcas, vel alios Christiani nominis inimicos, & in eos, qui nunciant pertinentia ad statum Reipublicæ ijsdem in damnum Christianorũ.

Notandum est primo, quod de hac materia extant saltem quatuor excommunicationes in iure, & tres habentur in titulo de Saracenis, & prima est Alexandri tertij Canone, ita quorundam; secunda est Clementis tertij, capitulo quod olim; tertia est Innocentij capitulo ad liberandum; quarta habetur in extrauagantibus communibus titulo de Iudæis, quæ est Clementis quinti.

Notandum est secundo, quod hæc excommunicatio in bulla Cœnæ afficit duo genera personarum principaliter, & tria accessoriè, principaliter afficit, primo eos, qui defferunt prohibita ad Saracenos, Turchas, & alios Christiani nominis hostes, vel hæreticos; secundo eos, qui eosdem certiores faciunt de rebus, quæ concernunt statum Christianæ Religionis in Christianorum, vel Catholicorum perniciem, & damnum; Accessoriè afficit primo dantes eisdem auxilium. Secundo fauorem. Tertio consilium quomodocunque id faciant.

Notandum est tertio, quod tredecim genera rerum sunt, quę prohibentur deferri ad Infideles, vel hæreticos prædictos, primo equi, secundo arma, tertio ferrum, quarto filum ferri, quinto stannum, sexto chalybs, septimo alia metallorum genera, octauo bellica instrumenta, nono lignamina, decimo Canapis, vndecimo funes, tam ex ipso Canape, quam ex quacunque alia materia, duodecimo ipsamet materia funium conficiendarum, decimotertio id genus alia, quibus infideles, & hæretici Christianos Catholicos impugnant.

Per equos hic intellige quoscunque, et iam eos, qui alicuius adiumenti possint esse ad ferendas Sarcinas, ita Nauarrus cap. 27. nu. 63. in secunda declaratione; dicit etiam intelligendos esse equos, qui debiles, claudi, vel morbosi traditi sunt à præfatis inimicis, & opera Christianorum in eorum terris curati, & feroces effecti sunt.

Per arma intellige tam deffensiua, vt sunt loricæ, galeæ, scuta, clypei, quam offensiua, vt sunt enses, pugiones, sagittæ, Bombardæ, scopli, & lapides, qui ad vsum bombardarum seruiunt, non autẽ lapides pro ædificijs, & cultelli, quibus cibi franguntur, vel Claui, ita Syluester verbo excommunicatio 7. §. 59. vbi notat quod incurrerent in hanc excommunicationem, qui cultellos defferrẽt hac intentione, vt inseruirent ad pugnandũ, aut cultellos, & Clauos in tanta quantitate defferre, quod inde putaretur conflanda fore arma bellica.

Dices primo, quid si quis defferret arma infidelibus, vt commutaret ea pro alijs armis, puta gladios pro sagittis.

Syluester loco citato contra Rosellã affirmat talem incurrere in excommunicationem, ego arbitror non incurrere in excommunicationem, quia hæc permutatio non cederet in utilitatem infidelium, secus si cederet.

Dices secundo, quid si quis Princeps, Dux, vel profectus Vrbis, vel castri donet vnum, vel alterum ensem, hastam, sclopum, vel equum in gratiam alicuius beneficij accepti, vel spe accipiendi.

Nauarrus cap. 27. nu. 63. in declaratione huius excommunicationis credit talem posse excusari ab hac excommunicatione, nõ quidem ex deffectu verborũ, sed mentis Papæ. Alphonsus Vinaldus in expositione bullæ nu. 61. dicit posse excusari ratione paruæ quantitatis habita ratione circumstantiarum; Ego dico primo, quod talis post factum posset excusari propter allatas rationes.

Dico secundo, quod antè factum consulendum illi esset, vt à Summo Põtifice facultatem peteret, cum res sit dubia præsertim, quia posset alia munera gratiosè mittere, sed hoc verum esset tantum, quando esset facilis aditus ad Summũ Pontificem.

Per

Per ferrum Nauarrus in Manuali capite 27. ait debere intelligi factum, & infectum.

Per filum ferri clarum est, quod debeat intelligi;

Item per stannum, & chalybem uulgo l'azal.

Per metalla ait Nauarrus loco citato intelligi etiam aurum, & argentum, & comprehendit etiam Nauarrus pecuniã ex his confectam, quod arbitror intelligendum esse quando deffertur per modum mercis, non autem per modum monetæ ad emendas alias merces.

Per instrumenta bellica intelliguntur, tympana, cornua, currus, conepea, & id genus.

Per lignamina intellige naues iam confectas, ipsarumque instrumenta, & remes, & omnia ligna, quæ ad naues cõficiendas sunt apta, non autem quæ sunt vsui domestico, vel ad comburendum.

Per Canepem funes &c. intellige ẽt instrumenta ex ipsis funibus confecta, vt scalas.

Per verbum denique illud generale, aliaque huiusmodi, intelliguntur quæcunque instrumenta bellica, quæ infidelibus, vel hæreticis vsui esse possunt contra Christianos, vel Catholicos, vt colligitur ex verbis ipsius excommunicationis, quæ sunt, quibus Christianos, vel Catholicos impugnant.

Dices primo quid si quis ad infideles, vel hæreticos defferret prohibita pro redemptione captiuorum?

Nota quod capitulo significarunt de Iudæis, & Saracenis, Clemens tertius prohibet defferri prohibita ad Saracenos excepto redemptionis articulo, vnde orta est controuersia inter Canonistas, num liceat arma, & alia in bulla prohibita defferre pro redemptione captiuorum; Quidam affirmant propter hunc textum Clementis tertij, item propter argumentum à simili quia videlicet sacra vasa, quæ alioquin vendi prohibentur, permittuntur vendi pro redẽptione captiuorum, vt habetur capitulo aurum decimasecunda parte secunda, ex D. Ambrosio, & ex Glosa de pignoribus capite primo, ergo pariter, quæ alioquin prohibita sunt defferri ad Saracenos non intelliguntur prohibita esse defferri pro redemptione captiuorum, ita Host. & Inn. vt refert Syluester verbo excommunicatio septimo num. 61. contrarium docet Glosa in capite significauit de Iudæis, & Saracenis, Syluester dicit licere tempore pacis, non autem tempore belli, & idem videtur velle Panormitanus dicto capitulo significauit, & Ioannes Andreas, quem citat.

Ego dico primo magis probari opinionem Glosæ, quæ indistinctè tenet prohibita deferri nullo modo licere pro redemptione captiuorum sine auctoritate Sed. Apostolicæ, ratio est quia si hoc permittatur, ait Panormitan⁹, Infideles respuent aliud quodque prætium pro redemptione captiuorum, & tantum exigent prohibita, & fideles hinc arripient occasionem committendi multas fraudes, & sub titulo redemptionis captiuorum defferendi prohibita.

Dico secundo, quidquid sit de iure veteri certum est, quod in hanc excommunicationem bullæ incidet, qui deffert prohibita in ea etiam pro redemptione captiuorum; ratio est quia in ea iure veteri licet hoc, vt aliqui opinantur est, quia vt dixi arbitrantur excipi hunc casum, sicut etiã excipitur fur, quoad vẽditionem sacrorum vasorũ, quæ alioquin prohibetur, at verò in bulla Cænæ non excipitur hic casus, nec vlla mentio fit de redemptione captiuorum.

Dices secundo, quid dicendum de illis, qui defferunt aliquid ex prohibitis ad sui defensionem in terras infideliũ, deinde ablata occasione lucri infideli vendunt illud. Syluester loco supra citato nu. 65. dicit tales incidere in hanc excommunicationem.

Ego exciperem tres casus; primus est extrema necessitas ad quam deuenisset defferens, postquam detulit, ratio quia licet præferre legem naturæ de se conseruando legi humanæ de non defferendis armis Saracenis, ita Nauarrus super capitulum ità quorundam de Iudæis.

Secundus casus est pariter eadem extrema necessitas parentum eius.

Tertius

Tertius pariter est quando quis tempore pacis proficisceretur ad terram infidelium, vt sibi Sedem collocaret, & processu temporis deindè venderet arma,& alia prohibita, quæ secum modo dicto detulit.

Dices tertio, quid si quis in terris Infidelium prohibita venderet.

Respondeo quod si ibi quocunq; modo habuerit ea, non autem detulerit, aut transierit, non incidit in excommunicationem bullæ, & ratio est quia, vt rectè notauit Caetanus in summa verbo excommunicatio cap.20.in fine, in bulla dicitur, defferunt, seu transmittunt, & pari ratione neque etiam dicendum est incurrere in hanc excommunicationem illum, qui existens in terris infidelium vendit infidelibus concurrentibus prohibita, qui postea illa defferunt ad suas terras.

Dices quarto, quid dicendum est de his qui portant ipsos Saracenos cũ suis armis.

Syluester quem citat & sequitur Nauarrus in Manuali cap.27. nu.28. negat incidere in excommunicationem, & idẽ Sylu. sequitur Angelum dicentem non esse excommunicatos eos, qui arma, & prohibita detulerunt ad Saracenos, sed pænitentia ducti antequã ea illis tradiderint, vel vendiderint, posteà pænitẽtia ducti illa redemerint, quia in hoc casu delictum perfectum ob pænam non desinit esse perfectum.

Dices quinto, quid dicendum de illis, qui prohibita defferunt infidelibus, vt eis vtantur contra alios infideles; Non nulli sic distinguunt dicẽdo, quod incidunt in excommunicationem qui defferunt prohibita, qui postquam infidelibus verè cõtrafecerint, contra alios infideles remaneant, ità vt postea ipsis etiam futura sint vsui contra fideles, vt sunt sclopi, Bombardæ, & id genus, quę seruantur in diuturnum tempus, secus autem si talia prohibita facilè in bello consumãtur, vt sunt globi plumbei, pulueris sclopetarius.

Ego arbitror hoc præsertim verum esse, quando id genus prohibita defferuntur, & subministrantur infidelibus, qui fidelibus auxiliantur contra alios infideles, quia credendum est non esse de mente Summi Pontificis, vt impediatur delatio prohibitorum, quando cedat in vtilitatem Reipublicæ Christianæ.

Notandum est vltimo, quod licet Veneti à Martino V. habuerint priuilegia defferendi victualia, & mercimonia ad Turchas refert tamen Syluester loco supra citato expirasse iam diu hæc priuilegia, item priuilegium quod refert Tabiena verbo excommunicatio 6.§.7. cõcessisse Iulium secundum anno 154. ad annos 10. Genuensibus defferendi stagnum, et plumbum cleptrum ad omnes partes infideliũ, & priuilegia si quæ id genus fuerant concessa à Pontificibus Venetis, Hyspanis, vel alijs, cessant omnia per illam bullæ clausulam, non obstantibus quibuscunque priuilegijs, quibus vis personis principibus rebus publicis per nos, & sedem dictam hactenus concessis, & id est valde notandum, atque hæc de hac excommunicatione.

Octaua Excommunicatio.

Octaua excommunicatio fertur in eos, qui impediunt, qui victualia; & alia necessaria ad curiam Romanam conuehunt, item in eos, qui id prohibẽt, uel perturbant, aut deffendunt hæc faciẽtes, idest eos qui prohibent, impediunt, perturbant &c.

Circa hanc excommunicationem quæritur primo utrum princeps quilibet non obstante tali excommunicatione possit prohibere, & appositis pænis interdicere, nè quis extrahat triticum, uinum, uel alia necessaria in sua Prouincia ad portandum in Curiam Romanam.

Ad hoc respondet Alfonsus Viualdus in explanatione bullæ nu. 71. Angelus, Syluester, & alij maxime Caetanus in summa uerbo excommunicatio cap. 19. Armilla in summa uerbo excommunicatio cap.15. Nauarrus in Manuali cap.27. nu.64.

nu.64. quod talis Princeps non incurreret dictam excommunicationem,& ratio quia Princeps omni iure tenetur prouidere necessitatibus suæ prouinciæ,antequam consentiat talia extrahi,nec contingat sibi illud,quod legitur in Euangelio,ne fortè nō sufficiat nobis,& uobis, & propterea in hoc casu nō modo nō incurreret in censuram, sed prudenter faceret id,quod facere tenetur.

Secundo quæritur vtrū si Romæ esset pestis,posset princeps sine periculo huiꝰ excommunicationis prohibere nè sui subditi ferrent victualia ad Romanam curiam,vel ne ad eam accederent.

Respōdeo quod quem admodum quilibet Princeps maiori vinculo tenetur conseruare prouinciam suam sanam, & ab omni labe pestis, vel alterius mali contagiosi puram, & incontaminatam, quam prouidere de necessario victu, ita si Romæ peste grassante prohiberet,atq; interdiceret suis adire Romam tali tempore,& occasione,non incurreret in hāc excommunicationem,ita Caetanus,Armilla,Nauarrus, & alij locis citatis.

Quæritur tertio quid comprehendāt illa verba huius excommunicationis, seu alia ad vsum Curiæ necessaria.

Respondeo non comprehendi solum eos, qui prohibent ne defferantur frumenta Romam, vinum, & oleum, animalia viua, vel mortua, sed etiam qui prohibent nè defferantur aliæ merces, puta lignum, lina, papirus, nam talia comprehenduntur in illis verbis, seu alia ad vsum Curiæ necessaria.

Nona Excommunicatio.

Nona excommunicatio fertur in eos, qui ad sedem Apostolicam venientes, vel ab ea recedentes sua, aut aliorum opera loeserint,& qui sine iurisdictione in curia commorantes læserint.

Hæc excommunicatio afficit sex genera personarum, primum est eorum, qui sua, vel aliorum opera interficiunt venientes ad Sedem Apostolicam, vel ab eadem recedentes. Secundum est eorum, qui eosdem mutilant. Tertium est eorum, qui spoliant. Quartum eorum, qui capiunt. Quintum eorum, qui detinent. Sextum eorum, qui aliquid prædictorum audent perpetrare contra morantes in curia Romana, cum nō habeant ordinariam, vel delegatam iurisdictionem à Sede Apostolica, uel ipsius iudicibus, sed illam temerè sibi uendicant.

Sed hic sunt aliqua dubia, primum dubium,quid peruenientes ad Sedem Apostolicam,sit intelligendum: Dico non intelligi omnes,qui Romam ueniunt, sed eos tantum,qui ratione Summi Pontificis uadunt,unde qui nomine tantum stationum,uel indulgentiarum Romam uadunt,non dicuntur ire ad sedem Apostolicam,nec qui uadunt alio intuitu,quam ratione Pontificis, quia nimirum negotium aliquod,uel pensionem,uel gratiā, uel quid aliud cum Pontifice mediatè, uel immediate habent, unde si Pontifex esset extra Romam, ibi esset Sedes Apostolica non Romæ.

Aliud dubium est, quid intelligatur per morantes in Curia.

Ad hoc respondet Caetanus in summa uerbo excommunicatio cap.14. intelligi curiales ipses,qui ratione curiæ pōtificiæ Romæ sunt,siue mediatè, siue immediatè Pontifici interueniant, siue sint cum Cardinalibus, uel Episcopis, qui ad sunt curiæ, unde Romani ciues, & alij,

alij, qui alijs de causis Romæ sunt, propter quas causas etiam Romæ essent in Curia Pontificis alibi, morentur non dicuntur morantes in curia.

Aliud dubium est an illa verba, interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent, eodem modo se habeant respectu venientium, & recedentium à sede Apostolica, sicut se habent respectu morantium in Curia.

Respondeo quod non, nam respectum uenientium, aut recedentii, satis est aliquid illorum simpliciter facere, vt hæc excommunicatio contrahatur, at verò respectu morantium non satis est, sed requiritur, vt ea fiant ex auctoritate vsurpata, nempè qui ea facit, quasi iudex, & potestatem habens faciat.

Decima Excommunicatio.

Excommunicatio decima fulminatur contra multa genera personarum, nepè contra interficientes, mutilantes, vel vexantes, detinentes, capientes, deprædantes Romipetas, idest eos, qui accedunt causa deuotionis, vel peregrinationis ad vrbem, & non solum accedentes, sed in ea morantes, vel ab eadem recedentes; excommunicantur etiam, qui illis auxilium, consilium, vel fauorem dant; Caetanus vero verbo excommunicatio cap.13. bene notat hic excommunicari eos, qui aliquid præ dictorum faciunt contra eos, qui veniunt in vrbem Romanam gratia deuotionis, etiamsi Sedes Apostolica Romæ non esset, nam hæc excommunicatio est in fauorem visitantium limina Apostolorum, & olim etiam erat contra eos, qui talia faciebant contra peregrinos in terram Sanctam, vt refert Thab. verbo excommunicatio sexto in fine.

Vndecima excommunicatio.

Excommunicatio vndecima comprehendit multa genera personarum, nempè interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequẽtes, Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, sedisque Apostolicæ legatos, vel nuncios; & extenditur hæc excommunicatio ad eijciẽtes eosdem à suis diæcesibus, territorijs, terris, seu dominijs, & ad mandantes, vel rata habentes, seu præstantes auxilium, consilium, aut fauorem in aliqua prædictarũ actionum.

Hæc excommunicatio est etiam lata in iure, vt habetur Clementina si quis suadente de pueris, quæ quidem complectitur prædictos omnes, & nonnullos alios, qui in dicta excommunicatione bullæ non continentur, excommunicantur etiam Episcoporum percussores, sub quo verbo intelliguntur mutillatores, & verberatores, nam hi percutiunt, excommunicantur etiam interfectores, similiter excommunicantur factores, sub quo verbo intelliguntur incarcerantes, ac detinentes, excommunicantur etiam bannientes Episcopos, quod comprehendit eijcientes, similiter excommunicantur qui hæc mandant, vel sunt socij, vel dant consilium, vel notificant, vel dant fauorem, vel scienter receptant illos, similiter excommunicãtur potestates, Rectores, Consiliarij, Consules, Officiales, qui in aliquo horum culpabiles extiterint, vnde Clementina est amplior, quam sit bulla in hac excommunicatione.

Duodecima Excommunicatio.

DVodecima excommunicatio fertur in eos, qui lædunt recurrentes ad Curiam Romanam pro suis negotijs gerendis, & complectitur multa genera personarum sub se, idest eos, qui occidunt, seu quomodocunque percutiunt, ut bonis spoliant siue per se, siue per alios directè, vel indirectè hæc committant, aut exequi procurent, aut in eisdem consilium, auxilium, vel fauorem præstant, cuiuscunque dignitatis, aut præeminentiæ existant, qui inquam aliquid ex prædictis faciunt contra aliquem ex his sex, nempè recurentibus ad Romanam Curiam ob sua negotia, vel causas, aut in eadem Curia prosequentibus eadem negotia, vel causas, aut eorũ sollicitatoribus, aut Aduocatis, aut Procuratoribus, aut Auditoribus, vel iudicibus super causas, vel negotia prædicta deputatis, siue istæ personæ latæ sint Ecclesiasticæ, siue Sæculares; limitatur tamen istæ actiones omnes propter quas excommunicatio fertur, quando occassione, & intuitu causarum, vel negotiorum fiunt.

Hic dubium esse potest, nam isti prosequentes negotia, & causas possunt esse simul morantes in Curia, & cum superius etiam lata sit excommunicatio contra verberantes, & mutilantes eos, qui in Curia morantur, uidentur isti tales bis excommunicari.

Ad hoc Toletus lib. 1. de institutione Sacerdotum capite 27. dicit ita esse, nã vnus potest simul multis ligari excõmunicationibus propter vari a delicta, vnde qui hæc committit duobus indiget absolutionibus, aut una complectente duas, vt absoluatur ab excommunicatione, qua primo in eam incursum est propter vnam causam, & qua etiam incursum est propter aliam.

Decimatertia Excommunicatio.

DEcimatertia excommunicatio fertur contra eos, qui appellant in grauamine, vel futura exequutione litterarum Apostolicarum ad Laicam potestatẽ, aut litterarũ Apostol. exequutionem impediũt, aut curant nè obtineant, idque tam directè, quam indirectè.

Nota primo, quod hæc excommunicatio diuiditur in duas partes, prima pars progreditur vsque ad illa verba, seu alias publicè, vel occultè. Secunda pars vsque ad finem.

Nota secundo, quod prima pars in quattuor capita commode potest diuidi, ità vt in primo capite excommunicentur quattuor genera personarum, primũ genus est eorum, qui impediunt, secundum eorum, qui prohibent, tertiũ eorum, qui impediri faciunt, quartum eorum qui prohiberi faciunt, nè exequutioni mandentur litteræ Apostolicæ etiam in forma breuis tam gratiam, quã iustitiam concernentes, nec non citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, processus executoriales, & alia decreta iam emanata & pro tempore emanantur à Sede Apostolica, eiusque legatis, Nuncijs, Præsidentibus Cameræ Apostolicæ, Auditoribus, Commissarijs, alijsque iudicibus, & delegatis Apostolicis.

Aduertenda hic sunt verba tantum diligenter, per quæ in hanc excommunicationem incurrunt non solum, qui simpliciter impediunt mandari exequutioni, verum etiam, qui impediunt ne exequutioni mandentur sine eorum beneplacito, consensu, vel examine, vnde colligitur quid dicendum sit de Principibus & eorum officialibus, qui nullas litteras Apostolicas exequutioni tradi volunt, nisi prius ab ipsis approbentur, valde enim difficilè arbitror esse illos excusare velle ab hac excommunicatione, etiã si hoc procedat sub colore, ne videlicet per eas litteras fiat aliquid præiudiciũ

ipsis

ipsis,& eorum Republicis; tum quia Sūmus Pontifex non solum non exercet aliquam tyrannidem, sed perbenignè eos tractat; tum quia si aliquod præiudiciū inueniretur ex illis oriri, posset exponi Summo Pontifici.

In secundo capite excommunicantur pariter alia quattuor genera personarū similia prioribus, primum eorum, qui prohibent &c. Secundum qui impediūt; Tertium eorum qui prohiberi faciunt; Quartum eorum, qui impediri faciunt, nè notarij conficiant instrumenta super huiusmodi res.

In tertio capite rursus excommunicantur alia quattuor genera similium personarum, qui prohibeant, impediāt, prohiberi, vel impediri procurent, nè parti, cuius intexam traduntur acta, vel instrumenta confecta super has res.

In quarto capite denique excommunicantur omnes illi, qui partes, seu eorū Agentes, Notarios, Exequutores, & sub exequutores litterarum, citationum monitoriorum, & aliorum prædictorū, capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerāt, detin nt, vel ex ciuitatibus, locis, & regnis eijciunt, bonis spoliant, perferre faciunt, concutiunt, & cominantur per se, vel alium publicè, vel occultè.

Notandum est vltimo, quod in secunda parte excommunicantur decē genera personarum, primum genus est eorū qui prohibent, secundum qui statuunt, tertium qui mandant directè, vel indirectè quibuscunque personis in genere, vel in specie ne accedant ad Romanam Curiam ad illamque recursum habeant pro suis negotijs prosequendis, gratijsq; impetrandis. Quartum eorum, qui prohiberi faciunt. Quintum eorum, qui prohibent. Sextum eorum, qui mandāt modo suprascripto quibuluis personis, nè à Sede Apostolica gratias ipsas, vel litteras impetrent. Septimum eorum qui prohibent. Octauum eorum, qui statuunt. Nonum eorum qui mandant modo suprascripto quibuscunque personis, ne vtantur gratijs, & litteris impetratis à Sede Apostolica. Decimum denique est eorum, qui præsumunt retinere apud se, vel notarium quomodolibet tales litteras impetratas,

Decimaquarta excommunicatio.

DEcimaquarta excommunicatio, & sequentes vsque ad decimam octa uam inclusiuè spectāt ad defendendam potestatem, seu iurisdictionem Ecclesiasticam non sunt sententiæ inter se distinctæ, licet maioris claritatis gratia distinguantur inter se per plures numeros, siue excommunicationes, propterea solum in hac exprimitur actus excommunicandi, & anathematizandi, non autem in sequentibus excommunicationibus vt videre est.

Nota secundo, quod vndecim actiones per hanc excommunicationem prohibetur duabus generibus personarum, quorum primum sunt officiales Principū quicunque illi sunt. Secundum prælati Ecclesiastici cuiuscunque conditionis, puta Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarij, & Vicarij.

Prima actio est ne per se, vel per aliū auctoritate propria, ac de facto, vel ēt prætextu quarumcūque exemptionum, vel gratiarum, & litterarum Apostolicarum auocent causas beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas ab auditoribus, & Commissarijs Apostolicis, alijsque iudicibus Ecclesiasticis.

Secunda actio est ne impediant cursū dictarum causarum.

Tertia ne impediant audientes.

Quarta ne sint impedimento personis, Capitulis, Collegijs, & conuentibus volentibus prosse dictas causas.

Quinta ne in illarum causarum cognitione se interponant tanquam iudices.

Sexta ne compellant partes actrices, quæ dictas causas committi fecerunt, & faciunt, ad reuocandum, & reuocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas.

Septima ne eedem partes actrices, compellant ad faciendum, vel consen-

tiendum eos contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, & pœnis in illis contentis absolui.

Octaua ne exequutionem litterarum Apost. seu exequutorialium processuũ, & decretorum dictorum quomodolibet impediant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel quod supplicauerint, vel supplicari fecerint ad informandum Sedem Apostolicam, nisi supplicationes huiusmodi coram Sede Apostolica legitimè prosequantur.

Nona nè ad id fauorem præstent.

Decimo nè auxilium.

Vndecimo ne assensum.

Decimaquinta Excommunicatio.

DEcimaquinta excommunicatio fertur in iudices Sæculares, qui Ecclesiasticas personas trahunt ad sua tribunalia, quique Ecclesiasticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant.

Et notandum est primo, quod hæc excommunicatio diuiditur in duas partes; Prima pars progreditur vsque ad illa verba exclusiue, nec non qui statuta, ordinationes &c. Secunda vero pars vsque ad finem.

Notandum est secundo, quod in prima parte vni generi personarum nempè iudicibus sæcularibus, ac Magistratibus interdicuntur tres actiones. Primo trahere. Secundo trahi facere. Tertio trahi procurare directe, vel indirectè quouis quæsito colore Ecclesiasticas p̃sonas, non solum singulares, sed etiam & multò magis capitula, Conuentus, & Collegia Ecclesiarum quarumcunque coram se ad suum tribunal, audientiam Cancellariam, concilium, vel parlamentum præter iuris Canonici dispositionẽ, siue hoc faciant ex eorum pretenso officio, siue ad instantiam partis, aut aliorum quorumcunque, ita Caetanus in summa verbo excommunicatio cap. 29. sub finem; & aduerte hanc eandem excommunicationem incurrere prælatos Ecclesiasticos, qui ad suum tribunal trahunt dictas personas Ecclesiasticas alia auctoritate, quã Ecclesiastica, puta quomodo contingeret illos constitui gubernatores in aliquo regno, vel ciuitate.

Dices primo, quid si priuatæ personæ trahi faciant, vel procurent dictas personas ad Magistrat⁹, & Iudices Sæculares.

Respondeo tales non incidere in hãc excommunicationem, vt patet ex verbis textus, vbi primo dicitur coram se, seu ad eorum tribunal, quod proprium est ipsius Magistratus. Secundo dicitur, ex eorum prætenso officio, possunt autem prætendere soli Iudices, & Magistratus.

Dices secundo, quid dicendum de ministris horum Magistratuum, qui auctoritate Magistratus trahunt, vel citant.

Respondeo illos incidere, quia sunt quædam pars magistratus.

Notandum est tertio, quod in secunda parte prohibentur quibusuis personis quattuor, primo ne statuta, ordinationes, constitutiones pragmaticas, seu quęuis alia decreta in genere, vel in specie ex quauis causa, & quouis quæsito colore, ac etiam prætextu cuiusuis consuetudinis, aut priuilegij, vel alias quomodolibet, vnde tollatur libertas Ecclesiastica, seu in aliquo lædatur, vel deprimatur, aut quouis modo restringatur, seu iuribus Sedis Apostolicæ, & quarumcũque Ecclesiarũ quomodolibet directè, vel indirectè, tacite, vel expresè se præiudicetur faciant.

Secundo ne eadem ordinent.

Tertio ne publicent eadem.

Quarto ne eisdem iam factis, & ordinatis vtantur; priores tres prohibitiones propriè respiciunt Magistratus, & Iudices Sæculares. Quarta ipsos tãquam priuatas personas.

Ex his infertur primo, quod licet Princeps aliquis, aut Magistratus non fecerit hæc statuta, sed illa facta iam inuenerit à suis prædecessoribus, incidat in hãc excommunicationem illa publicando.

Infertur secundo non solũ Magistratũ, & iudices, quorũ auctoritate publicãtur, sed etiam ministros, qui ea publicãt incidere in excommunicationem.

Tertio

Tertio infertur eandem incurri excõmunicationem eo ipso, quod statuta fiãt, etiam si nunquam reuocentur ad actum.

Quod si dicas, quid dicendum tam de his, qui id genus statuta faciunt, quam de his, qui vtuntur arbitrentes se nihil lædere libertatem Ecclesiasticam.

Caetanus in summa verbo excommunicatio cap. 31. dicit quod excusantur ab hac excommunicatione quoticscunque pura mente id faciant, & recto animo, postquam tamen consuluerint doctores reputatos, à quibus certificati sint se non operari contra libertatem Ecclesiæ, licet deindè in rei veritate quid statuunt, vel vtendo statutis fit in aliquod præiudicium Eccclesiasticæ libertatis, & ratio est quia laborant ignorantia inuincibili.

Dices secundo quid si quis statuit statutum aliquod animo tollendi, vel lædẽdi libertatem Ecclesiasticam, siue ex odio, siue ex malignitate, quod tamen statutum in nullam Ecclesiasticæ libertatis offensionem redundat.

Respondeo talem non incurrere in præsentem excõmunicationẽ, ratio est, quia tale statutum, ordinatio &c. debet esse non solum ex intentione statuentis, & ordinantis, sed suaptè natura tale, vt tollat, vel offendat Ecclesiasticam libertatem, & patet id ex verbis textus aperte, quæ sic loquuntur, vnde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur &c.

Vndecolligitur ex Caet. loco cit., & alijs quęnã cẽsenda sint statuta hoc loco prohibere, quæ violent Ecclesiasticam libertatem, illa videlicet quæ per se, idest suapte natura violent dictam libertatem, etenim hæc sola dicuntur esse contra Ecclesiasticam libertatem, cuiusmodi essent statuta prohibentia ne clericis erogentur eleemosynæ, vel soluãtur decimæ, statuta item, quæ cogant clericos soluere vectigalia pro rebus quas defferunt ad vsus proprios, atque hæc de hac excommunicatione.

Decimasexta Excommunicatio.

Decimasexta excommunicatio fertur contrà impedientes prælatos directè, vel indirectè nè sua iurisdictione vtantur, quique illorum, & delegatorum iudicia eludentes ad cancellarias recurrunt, aut contrà illos decernunt, præstantque auxilium, & hæc excommunicatio clara est.

Decimaseptima excommunicatio.

Decimaseptima exõmunicatio fertur contra vsurpantes Sedis Apostolicæ, & quarumcunque Ecclesiarum iurisdictiones, vel fructus, redditus, & prouentus occupantes, vel etiam sequestrantes sine expressa licentia Summi Pontificis, vel aliorum habentium ad id legitimam facultatem.

Decimaoctaua Excommunicatio.

Decimaoctaua excommunicatio fertur contrà imponentes decimas, collectas, talias, & alia onera clericis, monasterijs, aut eorum fructibus absq; speciali licentia Summi Pontificis.

Nota primo, quod hæc excommunicatio prohibet tres actiones, vna est imponendi, altera exigendi onera à personis Ecclesiasticis, Tertia accipiendi à sponte dantibus.

Nota secundo, quod duobus modis exprimit, quænam sint hæc onera, vno modo in specie, videlicet primo Collectæ. Secũdo Decimę. Tertio taleę. Quarto præstantiæ, altero modo in genere uidelicet alia onera quæcunque illa sint, & quocunque uocentur nomine.

Nota

Nota tertio, quod excommunicatio non solum prohibet dicta onera imponi personis Ecclesiasticis, sed secundo ipsorum bonis. Tertio bonis Ecclesiarum. Quarto monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum. Quinto fructibus talium bonorum.

Nota quarto, quod hæc excommunicatio afficit quinque genera personarũ principaliter, & quattuor accessoriè, vt patet ex textu.

Ad illud autem quid dicitur quod nõ recipiatur gabella à voluntariè dantibus sub pœna excommunicationis. Ad hoc autem vt incurratur in excommunicationem ab illis, qui recipiunt onera, vel gabellas à Clericis sponte, infertur quod si Custodes alicuius põtis, port⁹, vel fluminis pedagium, Gabellã, aut alia onera accipiãt ab Ecclesticis transeuntibus spõtè dantibus, non propterea incurrunt in hanc excommunicationem, nisi gabella, & onera sint imposita contrà ipsos Clericos.

Nota quinto, quod decretum emanatum fuit alias à Bonifacio VIII. vt habetur in sexto capitulo quamquam de censibus, in quo excommunicantur singulares personæ, et interdicuntur vniuersitates, si Ecclesiasticas personas compulserint soluere pedagia, vel guidagia, vel exactiones pro rebus suis, quas causa negotiationis non defferant.

Decima nona excommunicatio.

Decimanona excommunicatio fertur in iudices Sæculares, qui se interponunt in causis capitalibus, seu criminalibus contra Ecclesiasticas personas sine Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia, quique eiusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel alias illa pro pæna abutantur.

Nota primo, quod duobus generibus personarum prohibentur quinque actiones hac præsertim excommunicatione, primum genus personarum sunt magistratur. Secundum sunt Officiales quocunque nomine vocentur, puta Notarij, Scribæ, Actuarij, Assessores, gubernatores, Ciuitatum, Satellites, sub executores &c.

Prima actio est banniendi.
Secunda capiendi.
Tertia processandi.
Quarta sententiandi.
Quinta exequendi sententiam contrà personas Ecclesiasticas.

Nota secundo, quod nõ incurreret in hanc censuram, qui Episcopum, vel aliũ Clericum secreto processasset animo præsentandi talem processum non iudici Sæculari, vel Principi, sed Summo Põtifici, puta quia alioquin recederent illi, qui possent esse testes; ita Alphonsus Viualdus in expositione bullæ nu. 125. & Iacobus de Graphijs in expositione bullæ nu. 135.

Nota tertio, quod Iacobus de Graphijs loco citato num 136. notat aliquos casus in quibus absque eo, quod incurratur in hanc censuram, potest iudex Laicus Clericum capere, vel processare.

Quorum primus est, quando Clericus est realiter degradatus, & traditus Curiæ Sæculari.

Secundus quando Clericus amisit priuilegium fori, puta quia caret beneficio Ecclesiastico, & non deffert habitum Clericalem, & tonsuram.

Tertius quando esset factus assassinus notorius, vt colligitur ex decreto Innocentij Papæ, quod habetur titulo de homicidio Canone primo in sexto, atque hæc de hac excommunicatione.

Vige-

Vigesima excommunicatio.

Vigesima excommunicatio fertur in occupantes bona, terras, & Ciuitates Ecclesiæ Romanæ, & in vsurpantes in illis supremam iurisdictionem.

Nota primo quod cuilibet generi personarum prohibentur per hanc excommunicationem vltimam octo actiones principaliter, & sex accessoriè. Prima actio est præsumendi inuadere. Secunda destruere. Tertia occupare. Quarta detinere terras, & loca Ecclesiæ, quæ enumerantur in ea excommunicatione. Quinta vsurpare de facto in illis supremam iurisdictionem competentē Papæ, & Ecclesiæ Romanæ. Sexta perturbare. Septima retinere. Octaua vexare; accessoriè vero excommunicantur.

Primo adhærentes. Secundo fautores. Tertio deffensores eorum. Quarto illis auxilium. Quinto consilium. Sexto fauorem quomodolibet præstantes, atque hæc de excommunicationibus Cœnæ Domini.

In Calce ipsius bullæ resseruantur omnes illæ excommunicationes Summo Pontifici, ità vt ab illis absoluere nullus possit extra mortis articulum, immo si quis extra dictum casum mortis ab illis absolueret, incurreret in excommunicationem præsumendo id facere; demū dicitur, quod vnusquisque Confessarius penes se habeat tenorem ipsius bullæ.

Hic quærere solent doctores, an excōmunicationes istius bullæ censendæ sint latæ à iure, an vero ab homine, ex vna enim parte videntur latæ ab homine, quia non sunt perpetuæ, nec habētur in aliquo Concilio generali, vel alio, ex altera vero parte vidētur latæ à iure, quia non expirant mortuo Summo Pontifice, vt dicitur in fine ipsius bullæ, sed durant vsque ad aliam bullam, sed parum reffert hæc disputatio in hoc, atque hæc de explicatione Bullæ.

Excommunicatio si quis suadente diabolo.

Post explicationem bullæ Cœnæ Domini Doctores explicant aliquas excommunicationes, quæ in iure resseruantur Summo Pontifici, & quarum prima est illa, quæ habetur capitulo si quis suadente diabolo 17. qu. 4. & est Innocentij secundi in hæc verba, si quis suadente diabolo sacrilegij vitium, vel crimen incurrerit, qui in Clericum, vel in monachum manus violentas iniecerit, anathematis vinculo subijciatur; pro cuius excommunicationis declaratione quinque consideranda sunt, quorum primum est illud, si quis, secundum, suadente diabolo, tertiū, in Clericum, vel monachum; quartum illud, violentas manus iniecerit, quintum, resseruatio Summo Pontifici, quæ deinde sequitur.

Quoad primum, nota primo quod per verbum illud, si quis, comprehendantur cuiuscunque generis personæ habentes vsum rationis, idest masculi, & fœminæ, senes, & Pueri, Laici, & Clerici, Sacerdotes, & Sæculares, & Religiosi.

Nota secundo consequēter excludi carentes vsu rationis, vt infantes, & furiosos; ita Nauarrus in Man. cap. 27. Thabiena verbo excommunicatio quinto parte 2. D. Antoninus tertia parte titulo 24. capite primo in principio, Armilla verbo excommunicatio in prima excommunicatione, & alij omnes.

Quo ad secundam difficultatem per verbum, suadente diabolo, requiritur primo, vt manuum iniectio sit ità illicita, vt sit mortalis, quoniam vt alibi docuimus non incurritur in excommunicationem maiorem, nisi sit peccatum mortale. Secundo requiritur vt fiat animo iniuriandi, & offendendi, nam non incurritur in hāc excommunicationem, si fiat bono animo, & fine, & ad bonum publicum.

Quoad secundum nota primo, quod per

per Clericum intelligitur cõstitutus in sacris. Secundo etiam tantum insignitus prima tonsura.

Dices quid si quis nullo ordini, vel primæ tonsuræ initiatus induat habitum.

Respondeo quod manuum iniectio in eum non inducit excommunicationem, vt bene docet Panormitanus capitulo si vero secundo de sententia excommunicationis.

Rursus dices, quid si è contra quis initiatus sit primæ tonsuræ, & non desferat habitum, nec tonsuram, nec seruiat in diuinis.

Respondeo talem includi in hoc Canone ex eodem Panormitano loco citato, quod quidem verum est si Clericus primæ tonsuræ, vel minorum ordinũ, non ità dimiserit habitum, vt ad sæcularem vitam redierit.

Tertio per Clericum intelligitur Clericus etiam excommunicatus, suspensus, vel irregularis, dummodo non sit degradatus, vt bene notat Nau. in Man. cap. 27.

Secundo nota quòd per Monachum intelligitur primo quilibet Religiosus professus siue conuersus sit siue alius. Secũdo intelligitur religiosus nouitius ex Decreto Bonifacij VIII. quod habetur de sententia excommunicationis in sexto.

Quod si dicas, quid de fratribus, & sororibus tertij ordinis alicuius religionis approbatæ? Caetanus in summa verbo excommunicatio cap. 10. negat eos comprehendi hoc Canone, nec religiosi, nec conuersi, nec nouitij, nec Clerici; Aliqui alij dicunt, quod si portant habitum Religionis, & viuant congregatim, & non habeant proprium, & emitant votũ in manu alicuius personæ publicæ, nempè Episcopi, vel Abbatis, vel Præsbiteri, quod gaudent priuilegio huius Canonis.

Dices secundo quid de Heremitis; Respondeo quod si sint subiecti alicui prælato, uel religioso superiori, & astricti alicui regulæ, gaudent hoc priuilegio; ita Syluester verbo Heremita nu. 2. secus si sint merè Laici, & recedunt pro suo libito.

Quoad quartam difficultatem, nota primo, quod per verbum, manus violentas, veniunt primo omnes partes corporis. Secundo omnia instrumenta, quibus solemus percutere, & ratio est vt dicit Caetanus cap. 10. citato, quia manus dicitur organum organorum.

Vnde infertur primo, quod incidit in hanc excommunicationem, qui Clericũ percusserit, manu, pugno, pede, genu, cubito &c.

Infertur secundo item incidere illum, qui in Clerici faciem spuit, vel ex odio aspergit aqua, puluere inficit, vel luto; Nota secundo incidere in hanc excommunicationem non solum, qui sic manus violentas inijcit in personam eius, sed etiam in res illis totaliter cohærentes, vnde inferunt communiter Doctores, quod incidit in hanc excommunicationem, qui scindit vestem, qua Clericus est vestitus, qui illi equitanti inijcit manus habenæ, vel frangit cingulũ sellæ, & qui violenter aliquid de manu illius rapit.

Nota tertio, quod incidit pariter in hanc excommunicationem, qui uim aliquam Clerico infert, licet eum non tangat, neque res illi cohærentes, puta qui illum includit, & est communis sententia.

Quod si dicas, quid si quis Clerico dormienti Zonam, qua præcinctus erat, aut Crumenam clam surriperet?

Ad hoc respondet Caetanus loco supra citato, quod non incideret, quia illa incisio non est uiolenta, sed furtiua.

Notandum est ultimo, quod iniectio manuum uiolentarum debet esse cum effectu ad hoc ut incurratur in excommunicationem, unde infertur, quod qui iratus contra Clericum pugnum eleuauit, uel hastam, uel ensem, quasi eum percussurus, non tamen percuteret, non incideret in Canonẽ, neque qui in ipsum emitteret sagittam, uel ictum sclopeti animo occidendi, non tamen tangat eum, uel ei adhærentia, ut docet Caetanus in summa uerbo excommunicatio, & alij communiter.

Quoad ultimam difficultatem circa illa

illa verba, & nullus Episcoporum illũ præsumat absoluere, nisi mortis vrgente periculo donec Apostolico cõspectui præsentetur, & eius mandatum suscipiat; Nota vnũ breuiter cũ Nau. cap.27. quòd videlicet in articulo mortis non solũ Episcopus, vt concedit hic Canon, sed etiã quilibet alius Sacerdos simplex si adire non posset Episc., vt alibi fusè diximus, põt absoluere ab excõmunicatione hac, sicut & à quauis alia, atq; hęc breuiter quoad Canonis explicationẽ satis.

Sunt tamen tria fusè quæ restant, quæ aliunde trahunt difficultatem, & primò vtrum mandans, vt Clericus percutiatur incurrat in excommunicationem; Nota hic duo egere explicatione.

Primo in vniuersũ vtrũ videlicet mãdans fieri aliquid, quod fieri prohibetur per excõmunicationẽ incidat in excommunicationẽ, sicut incidit, qui illud facit. Secundo in particulari vtrũ mãdãs in Clericum iniijci manus violẽtas, incidat in excommunicationem.

Quoad primum, Panormitanus Canone mulieres de sententia excommunicationis, Angelus verbo mandatũ §.1.& Sylu. verbo mandatũ §. 4. dicunt quod si excõmunicatio sit à iure illã incurret tã mandans, quam qui delictũ facit, secus si à statuto, seu à Iudice sit excõmunicatus; contrariũ docet Caet. verbo excommunicatio in principio. Nau. c. 27. Tab. verbo excõmunicatio 5. & Sylu. verbo excõmunicatio 10. §. 4. sibi ipsi contrarius, vt notat loco citato. Nau. quod videlicet nunquã hoc procedat in excõmunicatione à iure, & hęc est verior sentẽtia, primò quia pœnæ, & alia potius restringẽda sunt, cũ ergo feratur excõmunicatio cõtrà faciẽtẽ aliquid, nec exprimatur, mãdãs nõ est cur dicatur illũ cõprehẽdi. Secũdo quia videmus passim, quòd ubi in iure lata est excõmunicatio cõtrà faciẽtẽ aliquid &c. subiungitur deinde & excõmunicatio cõtrà mãdantẽ &c. ergò prius non cõprehendebatur; tertio quia videmus sæpè post latas leges excõmunicari illos, qui faciunt opus aliquod, deinde successu temporis postmodũ alias fieri contra mandantes, quæ nõ fuissent latæ si prius mandantes fuissent cõprehẽsi.

Quoad secundũ, respondeo mandantẽ iniijci manus violentas in Clericum incurrere in excommunicationem non propter Canonem si quis suadente diabolo, sed propter capitulum mulieres citatũ, quod est Alexandrini tertij.

Et notandum hic est, quod quæ dicimus de mãdãte, hic oĩno procedũt quoad consiliũ, vel fauorem, aut auxilium dantes.

Sed dices primo quando excõmunicatio fertur contrà mandantem, vel consilium, auxiliũ, aut fauorẽ dãtẽ, incurritur ne in excommunicationẽ, quãdo mãdãs Consilium, aut fauorem dat, an vero postquã opus, quod mãdauit &c. perpetratur.

Respõdeo duas regulas generales poni à Caet. & Nau. locis citatis, ex quib. colligitur responsio, quarũ prima est, quòd quotiescunq; excõmunicatio aliqua fertur contrà facientes aliquid, & deindè extenditur etiam ad mandantes, quo casu principaliter ferri dicitur cõtra faciẽtes, & accessoriè contrà mãdãtes, vt cũ excõmunicantur ait Caet. iniijciẽtes manus violẽtas in Clericũ, & posteà qui ad hæc dederit mandatũ &c. tunc nisi sequatur opus, mandans non incurrit in excõmunicationẽ; ratio est, quia talis actio mandandi nõ est causa excõmunicationis, nisi quatenus cooperatoris est. Secũda regula generalis est, quod quãdo excõmunicatio fertur contra mãdãtes, quod dupliciter contingere potest, vno modo, quando prima lex fert excõmunicationẽ contrà facientes opus aliquod, deindè supernenit alia lex noua, quę nulla mentione facta de faciente, excõmunicationẽ fert contra mandantẽ, tũc enim principaliter dicitur ferri & contrà mãdantẽ, altero modo, quando exprimitur in iure quod excõmunicatio fertur contra mandãtes, quibus casib. ferri dicitur principaliter contra mãdantes, tũc eo ipso, quod quis mandat incidit, in excõmunicationem etiã nullo sequuto effectu, & nota hæ duæ regulæ procedunt etiã quoad Consilium, Auxilium, & fauorẽ &c.

Dices secũdo quid de eo, qui nõ mãdat vt percutiatur clericus, sed tantum dicit suis, quod vellet se de illo vendicare; Sylu. verbo excommunicatio 6 §.5. versic.4. dicit duo, primo quod talis incurrit in excõmunicationẽ si illud dixerit animo prouocandi suos, & illi hoc moti

percusserint. Secundo dicis incurrere in excommunicationem, licet non dixerit illud animo prouocandi suos, dummodo verba talia fuerint, quæ æquipararentur mandato, vel consilio consideratis omnibus circunstantijs, nam sic dicendo fuit in culpa, & debuit cogitare sic euenire potuisse, idem sentit Nauarrus. num. 78. cap. 27.

Dices tertio, quid de eis, qui cum possint non impediunt Clerici percussionem?

Respondeo tales posse esse in triplici differentia, vno modo vt teneantur ex officio, puta qui habent auctoritatem in percutientem, vel publicam vt officiales, vel priuatam, vt pater, filius, & hi incidunt in excommunicationem, nisi impediant cum possint sine notabili suo incommodo, & ità dicunt omnes; Altero modo vtrum teneantur ex officio, & hi rursus sunt in duplici differentia, vno modo, vt sint sine dolo, & fraude non impediant; altero verò modo, vt cum dolo, & fraude; Host. & Syluester verbo excommunicatio quinto, dicunt absolutè hos incurrere in excommunicationem quocunque modo nolint impedire; alij verò dicunt tantum incurrere in excommunicationem, quando omittant eius dolo, & hoc videtur velle potius Syluester ibidem; alij verò absolutè tenent nunquam incurrere in excommunicationem eos, qui non tenentur impedire ex officio siue omittant impedire ex dolo, siue nō, & hæc est communior, & verior sententia.

Quæritur secundo vtrum dentur aliqui casus in quibus quis clericum percutiens non incurrat in excommunicationem.

Respondeo hos casus alios esse de quibus certum in nullam incurri excommunicationem, alios vero de quibus est dubitatio inter doctores, & primo enumerabimus primos casus, deindè disputabimus de alijs.

Primus casus est, quando iniectio manuum in Clericum est iocosa, quando sistitur intrà fines ludi.

Dices quid de illo, quià Clerico ludēte fecum grauiter percussus, grauiter & ipse repercutiat.

Respondeo & dico primo, quod si nō iocose, sed instinctu vindictæ, per istam incidit in Canonem.

Dico secundo quod non incidet si id ioco tantum faciat, & minus si repercutiat statim sine deliberatione, quia hæc est conditio ludi, & iræ naturalis impulsus, & grauiter percussus grauiter etiam repercutio nè videatur inferior, ità Syluester verbo excommunicatio 6. §. 6. Nauarrus cap. 27. nu. 80. & alij communiter, Turrecremata dicit consequenter non incidere in excommunicationem Sacerdotem illum, qui puerum Clericum importunè, secū ludentem iratus verberat cum animo iniuriādi, nec ex vindicta, sed ad repellendam insolentiam pueri.

Secundus casus est, quando iniectio manuum in Clericum est ex correctione ab his facta, qui ad hoc habeāt ius, cuiusmodi sunt Magistri, pater, propinquus, vel consanguineus senex, & superior in Ecclesia; Nota primo, quod adhoc vt non incurratur in excommunicationem debet modus seruari, nè videlicet fiat excessus in verberando, verum est tamē, quod cum non possit, vt ait Syluester semper verberans suspendere in statera, licet aliquando fecerit excessū non incurrit in excommunicationem, dummodo talis excessus non processerit principaliter ex odio, vel ex ira mixta correctione; atque ex hac infertur notabilem excessum inducere excommunicationem.

Dices quid si principalis Magister præcipiat inferiori Magistro nè Clericum percutiat, ipse tamen percutiat.

Respondeo talem non propterea incidere in excommunicationem, quia principalis Magister non potest anferre beneficium iuris, per quod conceditur percussori, vt corrigere possit cum docet, ità Syluester loco citato.

Tertius casus est, quando manuum violentiam incipiens in Clericum laborat ignorantia probabili Clericatus, puta si noctu percutiat Clericum ignorans esse Clericum.

Dices quid si viderit tonsuram; Glosa capitulo

capitulo si verò de sententia excommunicationis dicis quod incidit in Canonem si ille est Clericus, secus si non est Clericus.

Dices quid si quis dubitat an percussus sit Clericus, vel Laicus; Turrecremata dicit, quod incidit in excommunicationem si est Clericus, quia in dubio percutiens tenetur vitare periculum.

Quartus casus est quando quis per cutiat Clericum, qui non amplius gestat habitum, nec tonsuram, & senscet Saecularibus negotijs.

Quintus casus est quando Clericus est degradatus.

Sextus casus est quando quis percuteret Clericum ad necessariam sui deffensionem. Secundo ad necessariam deffensionem suorum, aut vxoris, sororis, filij &c. Tertio ad necessariam deffensionem etiam extraneorum, si fiat statim, idest dum imminet, vel instat violentia Clerici. Quarto ad deffensionem proprij honoris, vt si quæ mulier percuteret Clericum ne ab eo cognosceretur.

Quod si dicas, in tali casu licitum ne esset occidere Clericum, aut mutilare?

Respondeo affirmatiuè si aliter non posset se deffendere; Quinto ad deffendendas res suas, vt si Clericus furaretur equum, & Dominus equi non posset illum habere, nisi percutiendo ipsum.

Septimus casus est, quando quis detinet Clericum debitorem fugientem.

Octauus quando quis detinet Clericum modicum, vt auertat à flagitio cū non percutiendo, item, qui detinet Clericum in flagranti delicto inuentum per viginti horas ad conuocandum testes nè sit locus inficiationi, item quandò quis illum detinet nomine delicti, vt dicatur suo Prælato nè fugiat, item quando familia iustitiæ sæcularis capit illū noctu inuentum præsumens probabiliter ipsum intendere aliquod scelus.

Vltimus casus quando quis manus violentas inijcit in Clericum etiam vsque ad mutilationem, & occissionem, quē cū sua vxore, matre, aut filia inuenit inhonestè amplexantem, & osculantem in loco suspecto; modo id incontinenti, & subita passione faciat.

Dices primo, quid si vxor Clericum alliciat ad turpitudines suasu mariti, & sic maritus Clericum percutiat? Syluester & alij dicunt vtrunque incidere in excommunicationem, cum vterque sit in dolo.

Prima difficultas est vtrum capiens Clericum per capillos, vel alio simili modo puta per uestem, aut cingulum, & dicens si non esses Clericus onerarem te verberibus.

Affirmant Syluester & Tabiensis, & ratio est quia licet non faciat illi iniuriam tantam, quantam habet in animo, infert tamen aliqualem.

Secunda difficultas est vtrum per ministros sæculares possit prælatus torquere Clericum.

De hoc fuit magna controuersia inter Doctores, sed dicēdum est, quod possit, quia nunc ita est vsus & consuetudo, imò & multi Doctores dicunt, quod nō esset æquum, & decens, quod Clericus exerceret officium torquendi.

Quæritur tertio, num præter mortis articulum possit Episcopus absoluere ab excommunicatione Canonis.

Respondeo posse in pluribus casibus, quos Panormitanus capitulo cum illæseram de sententia excommunicationis enumerat, & qui continentur in his versibus, quos Doctores describunt.

Regula, mors, sexus, hostis, puer, officialis,
Delitiosus, inops, æger, senexque, sodalis
Ianitor, astrictus, dubius Causa, leuis ictus.
Debilis, absolui sine sūma sede merentur.

Et hos quidem versus in singula verba declarat Syluester verbo absolutio quarto §. 3. verum nos ponemus has tres conclusiones.

Prima, à leui percussione potest Episcopus absoluere subditos suos, vt habetur capitulo peruenit de sententia excōmunicationis.

Secunda, à mediocri percussione potest Episcopus loci absoluere id generis

personarum, videlicet primo Clericos simul viuentes, vt habetur extra de vita, & honestate Clericorum, & priuilegiū Episcoporum habent etiam prælati religiosorum respectu suorum, & hoc procedit, siue dicti religiosi percutiant se, inuicem, siue Clericum sæcularem. Secundo potest Episcopus loci absoluere officialem, vt habetur capitulo si vero de sententia excommunicationis, qui officialis casualiter, sed non sine culpa mortali Clericum percussit percussione mediocri.

Tertio potest Episcopus loci absoluere ianitorem, vel Ostiarium, qui prætextu sui officij Clericum percussit, vt habetur dicto Canone, & vt dicunt communiter Doctores, & distinguunt primum casum de officiali ab hoc, quod officialis potest absolui tantum si percussio est causalis, licet culpabilis, ianitor vero potest absolui ab Episcopo etiam si percussio non fuerit causalis, sed per se intenta etiam animo iniuriandi clericum. Tertia conclusio, Episcopus loci potest absoluere ab enormi, & atroci percussione id genus personarum.

Videlicet primo mulieres cuiuscunq; conditionis sint, siue fortes, siue debiles, siue coniugatas, siue solutas, vt habetur capitulo mulieres de sententia excommunicationis.

Secundo potest Episcopus absoluere puerum, qui incurrit in excommunicationem istius Canonis antè pubertatem.

Tertio potest Episcopus loci absoluere senes non solum si excedant septuagesimum annum, sed etiam alios qui more ætatis arbitrio boni viri maximè ipsius Episcopi periculosè tale aggrediantur iter, vt habetur capitulo tua nos de sententia excommunicationis.

Quarto potest Episcopus absoluere ægrotos, videlicet laborantes tertiana febri, quartana, vel etiam podagra, vt declarat Nau. in Man. cap. 27.

Sexto potest Episcopus absoluere pauperes, vt habetur capitulo tua nos, & hoc dicunt Doctores intelligendum esse, non de paupere mendicante, sed viuente suo artificiolo, quod in via exercere non potest, item de paupere mendicāte, qui in loco suæ mansionis prouidet ex sua mendicitate vxori, & filijs, nec præstare possit in itinere.

Septimo absoluere potest Episcopus habentem capitales inimicitias, quando Romam adire non possit sine periculo, vt habetur capitulo quamuis de sententia excommunicationis.

Octauo absoluere potest Episcopus filium familias, si tamen non habeat de proprio.

Nono absoluere potest Episcopus eos delicatos, qui iudicio suo non possunt ferre laborem, & incommodum itineris versus Romam.

Decimo potest Episcopus denique absoluere quodquod habeat impedimentum Canonicum, idest non solum à lege expressum, vt sunt ea, quæ hactenus diximus, sed etiam legi consonum.

Nota primo, quod habentes supradicta impedimenta adeundi Sedem Apostolicam sunt in duplici differentia, qui dam enim habent impedimenta perpetua, vt mulieres, destituti membri, cæcus & similes sunt absoluendi absolutè, quidam vero habent impedimentum temporale, vt ægroti, & habentes inimicitias, & hi non sunt absoluendi, nisi cum conditione, vt se præsentent quàm citius commodè possunt antè Sedem Apostolicam, alioquin reincident in eandē, vel similem excommunicationem, ita Nauarrus in Manuali cap. 27 nu. 89. & alij.

Nota secundo, quod quæ hic diximus de excommunicatis ob violentam manuum iniectionem in Clericos, eadem procedere quoad omnem aliam causam, propter quam absolutio reseruatur Sedi Apostolicæ, qualiscunque excommunicatus ob iustum impedimentum Romam nequeat adire, & ita Nauarrus loco supra citato cum communi.

Nota tertio, quod est difficultas inter Doctores, quænam percussio dicenda sit leuis, quæ mediocris, & quę grauis, & hic optimè tractat Caetanus in summa verbo excommunicatio capite 10. & Nauarrus in Man. cap. 27. qui dicunt, quod leuis percussio erit veluti si quis caperet Clericum per cingulum, per Capillos, vel

vel daret illi Alapam, vel percuteret eú pugno, ità tamen vt nullum relinqueretur signum; Grauis vero esset si occideret, vel mutilaret, puta præscindendo brachium, vel maximum vulnus infligerét, vel tale vt multum sanguinis effunderet ex alio loco quam ex Naso; percussio verò mediocris est media inter grauem, & leuem, & optimè dicit Nauarrus loco citato, quod ad Episcopum spectabit iudicare de percussione, an sit leuis, an grauis, an mediocris in dubijs.

Et notandum est vltimo, quod percussio leuis de facto, vel leuis de sua natura transit in enormem, & grauem ob multas circumstantias, quarum aliquæ assignantur in capitulo cum illorum de sententia excommunicationis, & à Doctoribus; prima Circunstantia est circunstantia personæ, vt si percutiatur à subdito iudex Ecclesiasticus, Prælatus, Præpositus. Secunda circunstantia est loci, puta si quis percutiatur in theatro, in foro, vel platea. Tertia circumstantia est irreuerentiæ, puta si quis Sacerdos indutus sacris vestibus percutiatur, vel in templo dum dicuntur vesperæ solēnes. Quarta est loci vulneris, puta si in oculo quis percussus fuerit; atque hæc de excōmunicatione Canonis, si quis suadente Diabolo.

Reliquas excommunicationes poteritis videre ex libellis, seu cædulis in quibus enumerantur.

Finis Tractatus de Excommunicatione.

TRA-

TRACTATVS
DE INTERDICTO.

EA, quæ de interdicto à nobis breuiter dicentur comprehendi possunt quinque capitulis.

In primo agetur de interdicto secundum se.

In secundo de his, quæ prohibita, & quæ concessa dicuntur tempore iuterdicti.

In tertio de potestate interdicendi.

In quarto de modo seruando in ferendo interdicto.

In quinto de relaxatione interdicti; & Addam deinde sextum & vltimum capitulum in quibus agam de casibus in quibus incurritur in interdictum de iure.

1 *Interdicti nomen quid importet.*
2 *Interdictum Ecclesiasticum stricto modo sumptum quid sit.*
3 *Interdictum quotuplex sit.*
4 *Interdictum personale, locale, mixtum.*
5 *Interdictum generale, speciale.*
6 *In interdicto alicuius terræ quid interdicatur.*
7 *Quando interdicitur ciuitas quidnã prohibetur.*
8 *Interdictum ab homine quid operetur.*
9 *Interdictum ab Ecclesia quid prohibeat.*
10 *Interdicto populo non locale, sed personale interdictum est.*
11 *Interdicto populo non censetur interdictus clerus.*
12 *Interdicto populo an sint omnes illius ciuitatis interdicti.*

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

De Interdicto secundum se.

1 Quaeritur primo de nomine interdicti, quid significet?

Respondeo quod nomen interdicti aliter sumitur in iure Ciuili, aliter in iure Canonico, in iure Ciuili enim sumitur pro decreto Iudicis, quo prohibetur aliquid fieri, vel praecipitur aliquid fieri, in iure verò Canonico nomen interdicti stricto modo sumitur pro censura quae distinguitur à suspensione, & cessatione à diuinis, & dixi stricto modo, quia aliquando suspensio ipsa, & cessatio à diuinis dicitur interdictum, & ità communiter notant Doctores.

Secundo quaeritur quid sit interdictum Ecclesiasticum stricto modo sumptum.

2. Respondeo quod est censura Ecclesiastica, qua prohibentur aliqua sacramenta, omnia diuina officia, & sepultura Ecclesiastica, cuius deffinitionis quatuor sunt particulae; Prima est, censura Ecclesiastica; secunda; qua prohibentur aliqua sacramenta, tertia & omnia diuina officia; quarta, & sepultura Ecclesiastica.

Prima particula est loco generis, etenim quatenus interdictum est censura Ecclesiastica, interdictum conuenit cū excommunicatione, & suspensione, tres enim sunt censurae Ecclesiasticae in vniuersum, idest excommunicatio, suspensio, & interdictum, cessatio autem à diuinis non dicitur censura Ecclesiastica, quia est tantum ipsa omissio diuinorum officiorum, vt docet inter caeteros Nauarrus cap. 27. nu. 164. tres reliquae particulae sunt loco differentiae, etenim quatenus interdictum priuat aliquibus certis sacramentis, differt ab excommunicatione quae priuat omnibus simul, quatenus vero priuat omnibus officijs diuinis differt à suspensione, quae aliquando omnibus, aliquando vero tantum duobus, vel tribus priuat, quatenus etiam priuat Ecclesiastica sepultura distinguitur à suspensione, & ab alijs.

Dices non comprehendi in hac deffinitione interdictum illud, quo alicui interdictus est Ecclesiae ingressus, aut collatio sacramenti ordinis, vel penitentiae.

Respondeo verè non comprehendi, quia tale interdictum verè habet potius naturam suspensionis.

3. Tertio quaeritur quotuplex sit interdictum.

Respondeo duplicem communiter tradi à Doctorum diuisionem interdicti sufficientem praesertim à Nauarro in Manuali cap. 27. nu. 166. Prima est, qua interdictum diuiditur tripliciter, videlicet in locale tantum, in personale tantum, & in locale, & personale simul, quod potest dici mixtum.

4. Interdictum locale tantum illud est, quo interdicitur solus locus, & non personae loci.

Interdictum personale tantum è contra est, quo interdicitur persona, non locus.

Interdictum denique personale, & locale simul, siue mixtum est quo & locus, & persona simul interdicuntur.

5. Secunda diuisio est, qua interdictū siue locale tantum sit, siue personale tantum, siue mixtum dupliciter diuiditur, videlicet in interdictum generale, & interdictum speciale, siue particulare.

Interdictum locale tantum generale est, quando regnum, prouincia, Ciuitas, oppidū, Castrum, seu Villa interdicitur, speciale

speciale vero quando certa aliqua, & determinata, seu certæ aliquæ, & determinatæ Ecclesiæ regni, prouinciæ &c. interdicuntur.

Speciale verò quando personæ, seu persona certa, & determinata illius regni, castri &c.

Item quando certum aliquod Collegium, vel Capitulum alicuius ciuitatis interdicuntur.

Interdictum denique mixtum generale est quando totum regnum, vel prouincia, & omnes simul eius personæ interdicuntur.

Speciale verò quando certa aliqua Ecclesia, vel Ecclesiæ, & certa aliqua persona, vel personæ illius interdicuntur.

Hic nota multa intelligenda esse circà vtrunque interdictum, videlicet locale, & personale, quorum aliqua clara sunt, alia vero controuersa; quia quoad primum idest interdictum locale.

5. Sciendum est primo, quando interdictus est locus, personæ etiam alienigenæ, & extraneæ venientes ad illum locum non possunt ibi, vel celebrare, vel sacris interesse, ita Syluester verbo interdictum secundo §. 14. secutus ibi Calderinum.

Secundo sciendum est, quod non est interdictum generale locale, quando interdicuntur omnes Ecclesiæ alicuius ciuitatis, possunt enim adhoc diuina officia fieri in priuatis oratorijs; ità Tabiena verbo interdictum primo. §. 4. & alij communiter; contra vero generale locale, est quando interdicitur vna ciuitas, vel castrum &c. in quibus est vna Ecclesia tantum, ità ijdem Doctores.

Tertio sciendum est, quod quando dicitur quicunque hoc, vel illud fecerit subiaceat interdicto, tale interdictum non generale, sed speciale est, licet non exprimatur certa persona, quia satis est sic exprimere in genere, ità Angelus verbo interdictum primo § 11. Thabiena verbo interdictum primo §. 5. & alij.

Quarto sciendum est, quod quando interdicitur Populus, vel Collegium, vel vniuersitas, vel familia, non locale sed personale interdictum est, quo singuli de illo populo, Collegio &c. sunt interdicti, ità Angelus verbo interdictum primo §. 7. Syluester verbo interdictum primo § 9. & alij Doctores.

6. Dices primo quādo interdicitur terra alicuius Domini, vel Principis, quenā intelligenda sunt comprehendi, sub tali interdicto?

Respondeo comprehēdi primum terras omnes in quibus dominus ille habet iurisdictionem, vel proprietatem, licet habeat illas in diuersis prouincijs, dummodò habeat illas pro parte diuersa, & separata non autem pro indiuiso commune sibi, & alijs dominis.

Secundo in quibus habet dominium vtile, puta quia habet in phæudum, vel emphyteusim.

Tertio in quibus habet fructus vsum.

Quarto, quæ ad eum pertinent ratione dotis cum vxore durante matrimonio.

Quinto quæ illi fauerunt in Crimine; ità Angelus verbo interdictum secundo § 1. & Syluester verbo interdictum, & alij communiter.

Nota tamen sub tali interdicto non comprehendi primo terras, quas talis dominus habet solum ratione pignoris, nisi tamen Iudex sententiam interdicti proferat his verbis, interdictæ sint terræ, quas tenet talis Dominus, quia in tali casu satis esset, quod teneret quocunque titulo, ita Angelus loco citato.

Secundò neque etiam subiacere interdicto si dominus post latum interdictū emat aliam terram, nisi tamen hoc exprimeretur in sententia, sicut è contra neque etiam eximitur ab interdicto si terram aliquam vendat post latum interdictum, ità Angelus loco citato §. 5. & 6.

Dices secundò, quando interdicitur Ciuitas, quænam comprehendantur sub illo interdicto.

7. Respondeo certum esse comprehendi simul etiam omnia suburbia eius ciuitatis, quæ vulgo vocantur Borgo, & ædificia continentia, ita habetur de sententia excommunicationis capitulo si ciuitas in 6.

Sed

Sed dices primo, quid intelligendum est per ædificia continentia?

Doctores varie loquuntur, Glosa dicto Canone si Ciuitas, quam alij sequuntur dicunt esse relinquendum arbitrio boni viri; Alij dicunt esse domos circà ciuitatem non computatas intrà suburbia, nec directè ducentes ad ciuitatem; Angelus loco citato §. 4. & Syluester loco citato §. quinto sub finem, & alij dicunt continentia ædificia esse, quæ ita iacent, quod commodè populus confluere posset illud pro diuinis, secus si distant per milliare, ità vt non possit passim populus illuc conuenire, & hanc expositionem arbitror esse valdè textui conformem illius Canonis, si Ciuitas, vbi Bonifacius octauus reddens rationem, quare interdicta Ciuitate, Castro, vel villa, velit etiam eo ipso intelligi interdicta suburbia, & continentia ædificia, dicit ne vilipendi valeat sententia interdicti, quæ vilipensio non videtur sequi, quoties ædificia distent per milliare, secus verò sic.

Dices secundo, quid dicendum sit quandò Ciuitas, Castrum, vel Villa sunt sub vnius Episcopi iurisdictione, suburbia vero, vel ædificia continentia sub alterius.

Respondeo & dico primo, quod si interdictum est à iure, tam Ciuitas, Castrum, Villa, quam suburbia, & ædificia continentia erunt interdicta, & tale interdictum solum erit à iure.

8 Dico secundo, si verò interdictum sit ab homine, pariter erunt interdicta anima, sed eum erit vnum, & idem interdictum, nam respectu Ciuitatis, Villæ &c. erit interdictum ab homine, quia ad illa se extendit illius iurisdictio; at vero respectu suburbiorum, & ædificiorum Continentium, ad quæ non se extendit iurisdictio Episcopi erit interdictum viris propter dictum Bonifacij Octaui citato capitulo si Ciuitas nè videlicet vilipendi valeat sententia interdicti, vt supra exposuimus; ita Syluester verbo interdictum 2. §. 5. Thabiensis, & alij, & idem prorsus dicendum esset, quando Ciuitas &c. essent sub vnius domini, vel principis potestate, suburbia vero & ædificia continentia sub alterius.

Dices tertio, quando interdicitur Ecclesia, quid comprehenditur sub illo interdicto.

9. Respondeo comprehendi Capellas illius Ecclesiæ, & cimiterium si sunt continua, non autem si sunt separata, ità dicto capitulo si Ciuitas de sententia excommunicationis in sexto, vbi Glosa notat contigua illa esse, quorum extrema se contingunt, ità ait Syluester, quod remaneant distincta, siue duo, sine medio, vt si duæ domus habeant duos muros se tangentes, nã si habent solũ murũ, non contiguæ; sed continuæ essent.

Nota quod cum interdictum est loci, & non personarum, interdicta Ecclesia non interdictus Clerus intelligitur; ità Syluester loco citato, & alij dicunt, neque è contrà interdicto Clero interdicta eo ipso manet Ecclesia, & hæc quo ad interdictum locale.

10. Quoad secundum idest ad interdictum personarum, sciendum est primo, quod quando interdicitur populus, non locale, sed personale interdictũ est.

Secundo quod interdicto Populo nõ propterea intelligitur Clerus interdict[us] ità cõmunis, neq; etiã nobiles marchiones, Comites, Barones, qui dictæ vniuersitati tanquã de ipsius corpore in nullo participant, sed sunt sui iuris, vel ex consuetudine, vel priuilegio imperiali, ità Calderinus, quẽ sequitur Thabiensis verbo interdictum §. 9. & Viualdus in Cãdelabro, vbi de interdicto 165.

Tertio quod interdicta familia, Collegio, Capitulo, Vniuersitate, vel Communitate, interdicti eo ipso sunt singuli de illa familia &c. etiam Clerici, ità Angelus verbo interdictum primo §. 7. & 8. & alij.

Quarto si interdicantur Doctores alicuius Ciuitatis intelligi etiam interdictos clericos, qui sunt Doctores; ità affirmant Viualdus loco citato num. 169. Armilla verbo interdictum num. 11. contrarium autem sentit Angelus loco supra citato; & alij.

Dices primo, interdicto populo sunt ne exceptis Clericis interdicti singuli de illo populo?

Conueniunt Doctores primo, quod sint interdicti omnes doli Capaces etiã mulieres, & non consentientes, non autem illi, qui non sunt doli capaces, ita Angelus loco citato, & Syluester, Thabiensis, & Rosella verbo interdictum.

Secundo cõueniũt quod sint cõprehẽsi adulti non consentientes, immò contradicentes delicto populi, ità doctores citati, & alij.

Tertio conueniunt, quod qui banniantur ex illo populo interdicto non sint interdicti si banniti sint in perpetuum, secus si ad tempus.

Quarto conueniunt, quod qui transtulerunt domicilium suum in perpetuum non sunt amplius interdicti, cum desierint esse de populo illo, licet summa Astensis quam sequitur Vivaldus loco citato num. 170. dicat tutius esse, vt absolutionem petãt, cum prius fuerint interdicti, & causa totaliter non cesset, quia populus remanet adhuc interdictus, verum remanent interdicti, qui transtulerunt domicilium solum ad tempus, quia adhuc remanent membra populi interdicti.

Quinto conueniunt, quod sint interdicti, qui sponte sua fiunt membra populi interdicti cum illi coniungantur.

Sexto conueniunt, quod qui sunt membra duorum populorum simul, alterius nõ videlicet interdicti, alterius verò non sunt interdicti, quia ex Syluestro nõ est maior ratio cur sint interdicti cum populo non interdicto, quam non interdicti cum populo non interdicto.

Septimo conueniunt, quod si quis laicus ex populo interdicto fiat religiosus professus relaxatur in illo interdicto, secus dum remanet nouitius, quia sic non in totum relaxatur interdictum, quia non potest ordinari, sed in parte, quia potest satis interesse, & audire diuina.

Discrepant autem Doctores præsertim in duobus primo, nam interdicto populo possint Clerici celebrare, vt prius alta voce, apertis ianuis pulsatis campanis; Angelus, & alij, quos citat, & sequitur Syluester affirmant; Communior sententia est eorum, qui negant propter inconueniens quod sequitur, quia videlicet sic audiret populus, ita Rosella, Calderinus, & alij, & hæc secunda sentẽtia videtur tutior, & verior.

Secundo discrepant cum interdicto clero, intelligantur etiam interdicti religiosi etiam carentes tonsura Clericali; affirmat Rosella interdictum primo § 3. Nauarrus in Manuali cap. 27. num. 167. vbi alios citat, Viualdus loco citato nu. 159. contrarium sentiunt, & melius; Angelus verbo interdictum primo § 9. Syluester verbo interdictum secundo § 17. Thabiensis verbo interdictum primo § 9. Armilla, Maiolus, & Episcopus Scalensis, quos citat Alphonsus Viualdus, & quorum ratio est, quia in materia odiosa sub nomine cleri non veniũt religiosi, sicut veniunt in materia fauorabili; vnde pariter si interdicuntur Clerici, Doctores, beneficiarij, non intelliguntur propterea interdicti Doctores, vel beneficiarij religiosi, vt asserit Syluester verbo interdictum secundo §. 12. atque hæc de hoc capite primo.

CAPVT SECVNDVM.

De his, quæ prohibita, vel concessa sunt tempore Interdicti.

1 *Per interdictum prohibentur diuina officia, certa Sacramenta, & Ecclesiastica sepultura.*

2 *Quomodo interdicantur diuina officia.*

3 *An etiam interdicto prohibeatur prædicatio verbi Dei.*

In

4 *In Ecclesia interdicta quid concesserint Summi Pontifices posse fieri.*

5 *Infantes an sint admittendi ad diuina officia in Ecclesia interdicta.*

6 *Quid de illo, qui habeat priuilegiũ audiendi Missam tempore interdicti.*

7 *Vel ducẽdi secum duos, vel tres, quos maluerit.*

8 *Quomodo tempore interdicti diuina officia dicenda sint ianuis clausis.*

9 *Quando liceat ea celebrare alta voce ianuis apertis, & in quibus festiuitatibus.*

10 *Interdictum quid prohibeat quoad sacramenta.*

11 *Morientibus an liceat ministrare sacramentum pœnitentiæ.*

12 *An etiam Eucharistiam per modum viatici.*

13 *Mulieribus pregnantibus an liceat Eucharistiam ministrare.*

14 *Priuilegiato sumente Eucharistiã an possit populus interesse.*

15 *An tempore interdicti liceat ministrare Sacramentum Confirmationis.*

16 *An etiam Sacramentum Matrimonij.*

17 *An extremam vnctionem, & ordinem sacrum.*

18 *Interdictum quomodo prohibeat Ecclesiasticam sepulturam.*

19 *Clerici an possint sepeliri in Ecclesia interdicta.*

20 *Quid de Laicis non habentibus priuilegium.*

21 *Interdictum quomodo prohibeat ingressum in Ecclesiam.*

22 *Quid de priuilegiatis in officiorum auditione, possuntnè in Ecclesia sepeliri?*

1 NOta quod, vt bene colligit Sotus in quarto dist. 22. qu. 3. art. primo Conclusione quarta, ad tria capita possunt optime reduci quæcunq; per interdictum prohibita esse censentur, videlicet diuina officia, certa quædam sacramenta, & Ecclesiastica sepultura, præter quæ non includitur aliud quicquam in interdicto.

Nota secundo ex declaratione eorũ, quæ prohibentur sensim deuenietur ad declarationem eorum, quæ conceduntur ad maiorem dilucidatem, & breuitatem.

Nota tertio, quod non mixtim hæc tria tractabimus, vt ferè reliqui Doctores faciunt, sed seorsim singula per singulas quæstiones.

2. Quæritur ergo primo, quænam prohibitio, quæ concessio extet ad diuina officia.

Nota quod non conueniunt Doctores in hoc quænam intelligantur per diuina officia ad hoc præpositum, multi enim dicunt diuina officia esse, quæ in Missali continentur, vel breuiario, ita Angelus verbo interdictum; Syluester verbo interdictum, & Summistæ communiter; Nauarrus in Manuali cap. 27. num. 172. quem sequitur Viualdus, vbi de interdictis nu. 154. dicunt neque omne, quod ordinatum est in Missali, vel in breuiario esse diuinum offitium ad hoc propositum, neque contrà omne diuinum officium esse in Missali, & Breuiario ordinatum, & hæc posterior sententia verior est, quia verè in Breuiario, & Missali multa sunt, quæ non sunt prohibita tempore interdicti, quales sunt multæ benedictiones, & litaniæ; & è contra multa prohibita sunt, quæ in illis non continentur, qualia sunt altaria consecrare, vestes, Virgines, & alia huiusmodi benedicere; quia non iam dicẽdum est per diuina officia hic intelligi ea, quæ tantum per ius antiquũ Canonicũ prohibita sunt tempore interdicti, vt horas Canonicas sacrificia Missarum, sed et quæcunq; ad hæc pertinentia, q̃ continentur in Missali, Breuiario, & Pontificali romano, qualia sunt consecrare altaria, benedicere vestes, Virgines, bene-

dictionem solemniter populo dare, nuptias, aliasque res in Ecclesia solemniter benedicere, puta ramos palmarum, candelas in tempore purificationis, & alia huiusmodi, quæ recenset Nauarrus capitulo citato num. 177. & Viualdus loco citato nu. 225.

3. Ex his infertur primo non esse prohibitam verbi diuini prædicationem, nō enim solet dici diuinum officium.

Infertur secundo non esse prohibitum pulsare Campanas ad alia negotia, quæ non sunt diuina officia, puta ad concionem, ad salutationem Angelicam ad distingendas horas temporum, neque cimbalum in tempore eleuationis Eucharistiæ, vel in via, dum ad ægrotos defertur Eucharistia, quod non est diuinum officium, neque est prohibitum aperire ianuas Ecclesiarum, & eas relinquere apertas, quando non celebrantur diuina officia, & plura videre apud Nauarrum locis citatis.

Nota secundo, quod postea à Gregorio primo, vt habetur capitulo de sententia excommunicationis præmissis concessum est tempore interdicti semel celebrari Missam in hebdomada ad renouandam Eucharistiam, quæ pro infirmis seruatur cum his quattuor moderationibus, videlicet non pulsatis Campanis, voce submissa, Ianuis Clausis, & exclusis excommunicatis, & interdictis.

Nota tertio, quod postmodum Bonifacius Octauus Papa vt habetur de sententia excommunicationis in sexto, ne huiusmodi statutorum distinctione decresceret populi deuotio, pullularent hæreses infinita pericula insurgerent Ecclesijsque sine harum culpa debita obsequia subtraherentur, duo circà diuina officia statuit.

4. Primo concessit, vt singulis diebus in Ecclesijs, & Monasterijs ia celebrarentur, & alia diuina officia, sicut prius cum ijsdem tantantum quattuor moderationibus, quas expressit Gregorius in sua concessione, videlicet primo submissa voce. Secundo &c.

Secundo conuenit, vt in festiuitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Gloriosæ Virginis campanæ pulsentur, apperiantur ianuę, & diuina officia alta voce celebrentur exclusis excommunicatis, sed admissis interdictis, nisi tamen sint ex numero illorum propter quos concessum interdictum sit prolatum.

Nota quarto, quod pro maiori cognitione seorsim sunt aliqua aduertenda quo ad vtranque concessionem à Bonifacio octauo factam, & primo quo ad primam.

Aduertendum est primo, quod dicta Concessio non habet locum quando aliqua Ecclesia est specialiter interdicta, vt ibi notat Glosa communiter recepta, sed tantum quando Ecclesia est intrà locum interdictum, ità Coaruuias capitulo Alma Mater.

Secundo aduertendum est, quod nomine Ecclesiarum, & Monasteriorum intelligitur quæcunque Ecclesia, quantumlibet parua, immò etiam quodlibet hospitale habens Ecclesiam, dummodo id genus Ecclesiæ paruæ; oratoria, vel sacella sint erecta auctoritate Episcopi.

Tertio aduertendum est opinatum esse Ioannem Monachum communiter citatum per hanc concessionem tantum permitti Missarum solemnia propria eius diei, non autem alterius, sed commūnis opinio, quam citat, & sequitur Coaruuias capitulo Alma Mater, & Viualdus loco citato, num. 248. & Nau. cap. 27. nu. 185. docet permissa esse Missarū solemnia, & officia diuina quæcunque, & ità sentiendum est, quia verè hæc videtur fuisse mēs Pōtificis, dum dicit se permittere hæc diuina officia secundum hanc formam tempore interdicti celebrantur, sicut prius celebrabari.

Quarto aduertendum est Syluestrum verbo interdictum quinto. §. 1. opinatum esse, & diuina officia cum præfatis moderationibus posse solum celebrari à præsbyteris illius Ecclesiæ, vel proprijs Monachis Monasteriorum; verum Rosella sequuta Calderinum, & alij melius

lius docent posse celebrari ab alijs etiã Clericis.

Quinto aduertendum est ad hæc diui na officia posse admitti omnes Clericos non solum proprios Ecclesiarum &c., sed etiam aliarum Ecclesiarum &c. vt communis opinio docet ex Coaruuia lo co citato num. quarto, & per Clericos non intelliguntur, qui sunt maioribus initiati tantum, sed etiam tonsurati tantum, ita Nauarrus cap. citato num. 174. & alij regulares item non tonsurati, im mò; & moniales, & ratio est quia in fauorabilibus omnes istæ personæ veniũt nomine Clerici.

Sed difficultas est de infãtibus & pueris, qui doli Capaces non sunt num vide licet sint admittendi ad diuina officia.

Affirmat Coaruuias loco citato, & ratio est quia isti nihil sentiunt, vel percipiũt, neque vllam cognitionem habẽt licet priuentur Ecclesiastica sepultura; Contrarium, & melius sensit Syluester loco citato Nauarrus capitulo citato nu. 168 & alij, & ratio est primo, quia ius non distinguit inter aliam personã; Secundo quia satis est vt hoĩes sint Capaces suffragiorum, & fructuum Ecclesiasticorum.

Sexto aduertendum est secundum cõ munem Doctorum sententiam, nullos sæculares, laicos admittendos esse ad di uina officia tempore interdicti præter eos, qui ad id priuilegium habent à Papa concessum, quod tamẽ priuilegium, vt posset quis tempore interdicti Missã, & alia diuina officia audire nulli suffragatur, qui specialiter sit interdictus, vel excommunicatus aut fieri fuerit in causa, dolo, fraude, vel culpa, vt interdictũ imponatur, aut qui occasionem, auxilium, fauorẽ, consilium, vel consensũm dederit Crimini ob quod positum est in terdictum, ita Summa Confessorũ, Nau. cap. citato nu. 180. Syluester verbo inter dictum quinto §. septimo, & Communis.

Dices primo, isti, qui legitimum habent priuilegium audiendi diuina officia, & Missæ sacrificium tempore inter dicti, tenentur ne eodem die sacro interesse diebus festis.

Negant aliqui, & ratio est quia tale priuilegium obesset si illos obligaret cum alioquin tempore interdicti non sint obligati, at verò priuilegia conceduntur, & impetrantur, vt prosint, ratio vt obsint; contrarium sentiunt alij, ratio est quia præceptum audiendi sacrum obligat omnes commodè potentes audire.

Ad fundamentum prioris sententiæ Dominicus Sotus in quarto distinctione 22. quæstione 3. articulo 1. sub finem dicit esse fallaciam in argumento quoniam priuilegium de se non obesset, quia de se non obligat, sed tamen dum facit hominem potentem audire sacrum facit illum materiam præcepti obligantis omnes potentes, veluti, si quis carcere detineretur per totam hebdomadam diebus autem festis prætor illi faceret facultatem eundi ad sacrum, nemo diceret illum non teneri audire sacrum, & ita sentiendum est.

7. Dices secundo quid si quis priuilegium habeat ducendi secum ad diuina officia duos, vel tres, quos ipse maluerit.

Respondeo nullum teneri, vt audiat Missam adiungendò se illi, & ratio est quia nullus habet priuilegium iungendi se illi, sed ille priuilegium habet adiungendi alios sibi, crederem, quod ex quo illos sibi adiungit, teneantur interesse sacro ob rationem præcedentis dubij.

Dices tertio, num isti priuilegium habentes ex vi priuilegij possint familiares suos secum ducere ad diuina officia.

Respondeo colligi ex capitulo licet de priuilegijs in sexto, vt docet Nauarrus capitulo 22. numero 181. & Syluester verbo interdictum quinto §. 2. & communis opinio, quod si priuilegium concessum sit singulari personæ potest secum ducere illos familiares suos, qui ante comitari solebant, nisi tamẽ aliquis ex ipsis occassionẽ, aut causã dederit interdicto, nõ pôt aũt illos ducere

si nulli

si nulli concomitari solebant, neque posset ducere, ait Nauarrus loco citato, Mulierem, filios, nepotes, seruos, & patuulos illi subiectos, quia licet in alijs materijs isti per familiares, & domesticos intelligantur, non tamen in hac; Quod si priuilegium concessum sit non singulari alicui personæ, sed toti communitati, aut Collegio, tunc tale priuilegium nõ se extendit ad familiares illos Communitatis, vel Collegij. Notat Coaruuias capitulò Alma Mater, quod tempore interdicti ad diuina officia admitti potest Laicus, quem antè interdicti decretum Clericus seruiens Ecclesiæ familiarem habet, vt sibi in Missarum solemnia ministraret, modò hic familiaris non sit interdictus in specie, nec generaliter; Addit Nauarrus capitulo citato num. 181. quod casu iste ægrotans posset alium quemlibet sumere loco ipsius.

Septimo aduertendum est circa illam moderationem, submissa voce, quod vox debet esse tam submissa, vt foris non audiatur, vel saltem proferatur ea intentione, vt non audiatur, & debita cum cautione, quia hoc excusaret peragentes officia, quamuis ab aliquibus curiosis audirentur præter eorum voluntatem, siquidem tam clarè proferenda est, vt ab alijs possit audiri in choro; ita Nauarrus capitulò citato num. 174. & communis.

8. Octauo aduertendum est circà illam moderationem, Ianuis Clausis, quod non conueniunt Doctores, nam Coaruuias loco citato, & alij volunt, quod non possint ista celebrari in Campo, vel in alio Oratorio, aut sacello priuato non erecto auctoritate Episcopi exclusis excommunicatis, & interdictis, ratio est quia hæc permissio non est extendenda; Calderinus, quem sequuntur Angelus, & Syluester verbo interdictũ, & alij consulit, quod Clerici non dicat horas in via, quando sunt duo, vel plures, idque consuluit, quia non audet dicere, quod non violetur interdictum ex quo audiri possunt ab alijs; dicit tamen Syluester esse de mente ipsius Calderini quod tempore interdicti Generalis Clerici non interdicti etiam in loco interdicto possunt dicere horas Canonicas bini, modo non agãt clare animo alliciendi populum, vel Ecclesiam, & idem dicit procedere in speciali interdicto si sit positum propter populum puniendum, vel affligendum; Nauarrus capitulo citato num. 175. quem sequitur Viualdus, vbi de interdicto num. 230. dicit quod in tempore generalis interdicti non solum vnus, sed etiam duo, tres, & plures possunt recitare suas horas in campo, ianuisque non clausis, & domi, & in Cubiculo illis Clausis, & etiam non clausis modo nõ audiantur ab alijs non habentibus priuilegium ad audiendum, quam vis deinde audiant aliqua per transitũ, vel etiam casu, & quod etiam intrà Ecclesiam potest quis solus non clausis, ianuis recitare horas ità submissa voce, vt à nemine alio audiatur, & ità duo, vel tres in aliquo sacello, & à fortiori intrà vnum Sacellum Clausum, quamuis ianuæ Ecclesiæ, vbi illud est, sint apertæ, ratio est quia intentio Iurium, quæ permittunt diuina officia cum prædicta moderatione in Ecclesijs, non est excludere alia loca, secus autem foret dicendo in loco specialiter interdicto, quippe quod in illo non est licitum quidpiam horum facere, siue ianuis clausis, siue apertis; notat summa confessorum, & Viualdus loco citato, quod non liceret tempore interdicti aperire laicis non habentib. priuilegium fenestram, vel foramẽ aliquod per quod intueri possint corpus Domini nostri in celebratione Missæ.

Postremò aduertendum est circa illã moderationem, excommunicatis, & interdictis exclusis, quod aliqui argumentando à contrario ità interpretantur, quod nõ interdicti possunt admitti, sed sensus illius moderationis est, quod excludantur interdicti personaliter etiam si alioquin habeant priuilegia, vnde cõmunis sententia concludit, quod omnes Laici sunt excludẽdi siue interdicti sint, siue non, quippe qui iam excludantur iure communi, vt supra exposuimus, ità Syluester verbo interdictum 5. §. 11 & alij.

9. Quo ad secundam concessionem

aduer-

aduertendum est primo, quod Doctores non conueniant, quando incipiant, & quando finiant festiuitates illæ, in quibus licet celebrare Missam,& diuina officia alta voce apertis ianuis, & cæteris vt suprà, nam quo ad principium aliqui dicunt illas incipere cum primum dies incipit lucescere; sed communis sententia est, quod incipiāt à primis vesperis, vt notat Nauarrus cap.27. nu. 184. quia illa hora est de sequenti die.

Notandum tamen est, quod die Paschæ videtur festiuitas inchoanda à sacrificio Missæ, quod celebratur mane die Sabbati Sancti, quo tempore incipit festiuè decātari Gloria in excelsis, quia secundum ius commune illud sacrificiū pertinet ad noctem sequentem,ita Paludanus in quarto dist. 18. qu. 8. ar. 2. Conclusione 8. & Armilia verbo interdictū §. 43.

Quo ad finem verò aliqui dicunt eos finire cum dictæ sunt vesperæ, sed communior sententia est, quod durent vsq; ad Completorium inclusiuè, vt notat Nauarrus loco citato.

Secundo aduertendum est, quod Viualdus nu.237. dicit sub die Natiuitatis Domini, Paschæ, & Pentecostes non solum intelligi primum diem cuiusque festiuitatis,sed sequētes omnes inclusiuè, ità vt in Natali Domini includatur dies Festus Sanctorum Innocentium, in die autem Paschæ reliqui duo inclusiuè, & sic in die Pentecostes, communis tamen sententia videtur contraria, & tenenda, quam explicat Syluester verbo interdictum quinto §. 3.

Tertio aduertendum est, quod vltrà dictas festiuitates concessio est extensa ad festum Corporis Christi, & totam Octauam per Martinum Quintum, & Eugenium IV. vt patet ex eorum extrauagantibus, ità Nauarrus cap. 27. num. 82. & communis, imò etiam ad diem festum Conceptionis Beatæ Virginis, & totam Octauam solum in illis ecclesijs, in quibus dicitur officiū ordinatum per Protonotarium Leonardum Negrolū, & eius Missam, quæ incipit egredimini, no autem in alijs Ecclesijs, ità Nauarrus,& Viualdus locis citatis, & alij.

Nota Viualdum loco citato referre ex sententia Paludani quod data concessio extendatur etiam in diem festum omnium Sanctorum, & Commemoratorū fidelium; sed hoc nō est verum, nec hoc dicit Paludanus, nam solum dicit, quod deberet extendi ad illos duos dies, sed quod non est extendenda plusquā extensa sit.

4. Aduertendum est, quod dictis festiuitatibus, videlicet Natalis, & alijs intelligitur suspensum interdictum, quo ad omnia diuina officia tam publica, quam priuata, tam ordinaria, quam extraordinaria, tum quia textus dicit generaliter Missæ celebrentur, & alia diuina officia sicut prius; tum quia sic est vsus; ita Nauarrus capitulo citato num. 185. & alij, quos citat; vnde refert, quod publicè potest Episcopus consecrare Abbates, Abbatissas, Calices, Virgines, Corporalia, Ecclesias & alios apparatus Altarium; & hæc quoad primam quæstionem.

10. Quæritur secundo, quænam prohibitio, & quæ concessio extet quo ad sacramenta.

Nota primo certum esse, quod tempore interdicti concessus est baptismus paruulorum, vt habetur capitulo non est vobis de sponsalibus, & baptismus adultorum, vt habetur de sententia excommunicationis capitulo quoniam, & consequenter concessa intelliguntur, Catechismus, exorcism⁹, & vnctio olei, & Chrismatis, quia concesso principali, qui est Baptismus, concessum etiam intelligitur accessorium, quæ sunt illa; ità Angelus verbo interdictum quinto §. 27 & communis & eadem ratione conceditur confectio Chrismatis in die Iouis Sancto, quod tamen non potest confici alta voce, neque Campanis pulsatis, sed tantum cum moderationibus Canonis Alma Mater.

11. Secundo certum est, quod tempore interdicti concessum est sacramentum pænitentiæ non solum morientibus, & infirmis, vt olim iura antiqua concedebant, sed etiam sanis, ut posteà capitulo Alma Mater est concessum, duo tamen isti cum sint ex alterutro genere ha-

tum

rum personarum, videlicet vel ex illis, qui sunt excommunicati, intellige autẽ vt ait Angelus verbo interdictum si fuerint excommunicati propter delictum respectu cuius positum est interdictum, quia isti non possunt absolui, nisi in articulo mortis, secus si ex alia causa fuerint excõmunicati, vel ex illis propter quorum culpam, & dolum, vel fraudem lata est sententia interdicti.

Vel quia ad perpetrandum delictum cuius occassione interdictum est latum præbuerunt auxilium, consilium, vel fauorem, nisi de ipso delicto prius satisfecerint si possint, vel de satisfaciendo idoneam dederint cautionem iurando se daturos operam fideliter, vt satisfiat per se, vel per alios, ita textus capituli Alma Mater, & docet Nauarrus cap. 13. nu. 178. & Communis.

12. Tertio certum est, quod eodem tempore interdicti concessum est sacramentum Eucharistiæ per modum viatici infirmis solum in articulo mortis, vt habetur capitulo quod in te de pænitentia, & remissione, eadem ratione conceditur damnatis ad mortem, vt dicit Coaruuias capitulo Alma Mater ex cõmuni Doctorum sententia, quos ibi citat.

Difficultas est de mulieribus prægnãtibus vtrum debeat illis ministrari Eucharistia.

Ioannes Andreas, & Coaruuias Alma Mater negant, & ratio eorum est, quia prægnantes non dicuntur esse in articulo mortis, quamuis periculo mortis propter partum sint subiectæ, Panormitanus tamen dicto capitulo, quod in te de pænitentia & remissione, & Nauarrus in Manuali cap. 27 citato nu. 178. & alij Doctores communiter verius docent, quod quoties periculum mortis fieri potest habita ratione conditionis fœminæ prægnantis par ratio sit ipsius, & illius, qui graui ægritudine affectus proximus esse morti censetur; Syluester verbo interdictum quinto §. 9. Vigualdus nu. 206. & alij dicunt idem procedere, quoad intrantes mare, vel bellũ cum periculo mortis.

13 Dices primo licet nẽ sanis sumere Eucharistiæ Sacramentum saltem in illis festiuitatibus, de quibus capitulo Alma Mater?

Respondeo non licere, quia in dicto capitulo id nõ conceditur, ita Sotus in quarto distintione 22. qu. 5. art. 1. conc. 4. & alij.

14. Dices secundo, num cum priuilegiatus sumit Eucharistiam possit Populus interesse; Sotus loco citato dicit aliquos dubitasse, sed non est dubitandum, quin sumptio Eucharistiæ sit pars sacrificij.

Quarto certum est, quod tempore interdicti concessũ est conferre sacramẽtũ Confirmationis non solum pueris, vt habetur capitulo responsum de sententia excommunicationis, sed etiam adultis, vt habetur eadem titulo in sexto capite quoniam, & consequenter confici possunt eodem tempore Corisma, & oleũ, quia qui concedit esse, concedit & necessaria ad esse.

16. Quinto certum est, quod item tẽpore interdicti Matrimonij Sacramentum quo ad eius contractum simplicẽ non est prohibitum, sed prohibita est solemnitas, benedictio nuptiarum, quia ad diuina officia pertinent, ita Coaruu. loco citato, & Nauarrus cap. 27. num. 179.

Sexto certum est reliqua duo sacramenta esse iure communi prohibita, videlicet extremam vnctionem, & ordinẽ sacrum; Nota tamen, quod si interdictũ locale sit, poterunt incolæ illius loci extra hunc locum ordinari.

18. Quæritur tertio, quænam prohibitio, & quæ concessio extet, quoad *Ecclesiasticam sepulturam*.

Nota primo per Ecclesiasticam sepulturam intelligi etiam eam, quæ fit in Cimiterio alicuius Ecclesiæ.

Nota secundo, quod Clerici, qui non fuerunt interdicti specialiter, & qui seruauerunt interdictum tempore generalis interdicti possunt ex concessione Innocentij tertij capitulo quod in te de pænitentia, & remissione in Cæmeterio Ecclesiæ sine campanarum pulsatione cessantibus, solemnitatibus omnibus cũ silentio tumulari.

Notat

Notat tamen Syluester loco supra citato, quod satis est silentium funerale cũ missa, & horarum solutione secundum Concessionem capituli Alma Mater, im mò in diebus festiuis, in quibus potest publicè celebrari, poterunt sepeliri cum Campanis, & alijs Consuetis, & si qui sint Clerici, qui aliquo casu sepeliri non possint apud Ecclesiam suam, vel quia non habent, vel quia impeditur, sepeliri poterunt in alia, & ratio est, quia capitulum quod in te, nõ limitat ad Ecclesiam propriam, sed absolutè concedit eis Ecclesiasticam sepulturam.

19. Difficultas est numquid priuilegium Clericis concessum circà sepulturam habeat locum in Ecclesia specialiter interdicta; Negat Ioannes Andreas capitulo citato, ratio est quia capitulum quod in te, semper facit mentionem de generali Interdicto; in contrariã sententiã inclinat Panormitanus dicto capitulo, quod in te, quia cum posito generali interdicto quælibet Ecclesia censetur interdicta, valde æquum est dicere, quod in speciali interdicto Clerici illius Ecclesiæ ibidem sepeliri possunt, non autem alij, qui habent in loco Ecclesias nõ interdictas, Panormitanum sequuntur Thabiensis, Syluester & alij.

Nota tertio, quod de Laicorum sepultura certa sunt hæc primo, quod tempore generalis, & specialis interdicti personalis Laicis est concessa sepultura extra locum sacrum sine officio diuino, quia corpora non debent remanere inhumata, & dixi sine officio diuino, nam si celebraretur, Clerici illud celebrantes fierent irregulares, ità Angelus verbo interdictum § 6. Syluester verbo interdictum § 10. & communis, & idẽ procedit quoad interdictum locale siue generale sit, siue speciale.

20. Secundo certum est neque cum officio, neque sine illo posse sepeliri in loco sacro, vt habetur capitulo quod si te citato, etiam si pœnitentiam egerint, quia tales remanent interdicti ad huc etiam si peccatores non sint, ità Syluester loco supra citato.

Tertio certum est quod si interdictis morientibus apparuerint signa pænitentiæ non debent in Ecclesia sepeliri, sed extrà, & soluto interdicto ad Ecclesiam transferre, in qua si contrà iura fuissent sepulti non debent ex humari, sed ibi relinqui, ità Angelus verbo interdictum sexto §. 33. Syluester loco citato, & communis.

Quarto certum est, quod laici etiam non interdicti personaliter carere debent Ecclesiastica sepultura in Ecclesia specialiter, & generaliter interdicta etiã si pænitentes, & absoluti à peccatis, decesserint, quod videtur colligi ex citato capitulo quod in te, vnde quàmdiu durat interdictum locale, laici morientes sepeliendi sunt in agris, aut alijs locis, quo casu ab ipsis recipi possunt mortuaria, & licet pro ipsis orare, non autem si impænitentes decesserint.

Quinto certum est, quod tempore interdicti siue personalis, siue generalis Laici habentes priuilegium possunt sepeliri in loco sacro, sed cum silentio, non autem si sint specialiter interdicti.

Sexto certum est, quod Laicus ille, cui est interdictus ingressus Ecclesiæ si pænituerit, poterit in Ecclesia sepeliri, & pro maiori intelligentia.

21. Aduertendum est, quod prohibitio ingressus Ecclesiæ respicit diuina officia, vnde infertur secundum Nauarrum cap. 27. num. 170. & communem, quod cui interdictus est ingressus Ecclesiæ potest introire in eam, & ibi orare, quando non dicuntur diuina officia, quæ non potest in ea audire, licet non prohibeatur per Ecclesiam transire quãdo dicitur, quia hoc non est audire, vt de excommunicatione diximus suo loco.

Difficultas est primo, num priuilegiati super auditione diuinorum, vel super sacramentorum perceptione etiam si nulla mentio fiat de sepultura Ecclesiastica possint nihilominus recipere Ecclesiasticam sepulturam; Nota quod isti priuilegiati possint esse in triplici

differentia. Primò vt sint priuilegiati super vtraque, videlicet super sacramẽtorum receptione, & sacramentorum perceptione. Secundo vt sint priuilegiati super sacramentorum receptione nulla facta mentiòne diuinorum officiorum. Tertio è contra super diuinorum officiorum auditione nulla facta mentione de sacramentorum perceptione.

Et hic respondeo & dico primo, quod si priuilegiati sint super vtroque idest facta mentione vtriusque, recipere possunt Ecclesiasticam sepulturam, etiam si de ea non fit mentio, ità Calderinus, quem sequitur Syluester verbo interdictum quinto. §. vltimo.

Dico secundo idem esse si priuilegiati sint super sacramentorum perceptione, etiam si nulla fiat mentio de diuinorum auditione secundum eosdem.

22. Dico tertio, quod si è cõtrà priuilegiati sint super diuinorum officiorum auditione nulla facta mentione de sacramentorum perceptione; Aliqui dubitarunt, idem tamen Calderinus, & Syluester arbitrantur quod sit etiam concessa Ecclesiastica sepultura, sed intellige hæc omnia procedere cessantibus solemnitatibus.

Difficultas est secundo, num illis festiuitatibus, quibus ex concessione capituli Alma Mater diuina officia permittuntur solemniter, liceat mortuos sepelire intra Ecclesiam.

Multi negant quos citat fusè Coarruuias capitulo Alma Mater, & Viualdus. n. 115. ratio est, quia sepultura mortuorum non pertinet ad diuina officia; Contrarium sentiunt Calderinus, Angelus, Sanctus Antoninus, Syluester, & alij quos citant, & sequuntur ipsi Coarruu. & Viualdus; ratio est quia sepultura ferè pertinet ad diuinum officium, quippe quid funus ad Ecclesiam refert cum officio diuino, & in hanc sententiam vt probabilem, & benignam magis debemus declinare; atque hæc de hoc capite.

CAPVT TERTIVM.

De potestate interdicendi.

1 *Quis possit interdicere. An Papa, & Episcopus in sua diœcesi, an inferiores prælati, an Capitulum sede vacante.*

2 *Quænam possint interdici, & quinã interdicti vitandi.*

3 *Quodnam interdictum teneamur seruare.*

1 Quæro primo quis possit interdicere.

Respondeo quicunque habet iurisdictionem exteriorem in personas, & loca siue ordinariam siue delegatam.

Vnde infertur primo Papam hoc posse præstare in toto terrarum orbe; secundo idem posse legatum Papæ in prouincia sibi cõmissa, & delegata ab eodem Papa, & sub delegatum à legato.

Tertio Episcopum in sua Diæcesi.

Nota primo, quod ex iure communi non potest hoc Episcopus nisi de consensu sui capituli, vt colligitur ex capitulo primo de excessibus prælatorum, verum contrà præscripserunt ferè vbique Episcopi, quia vbicunque talis præscriptio viget non requiritur talis consensus, vel consilium.

Nota secundo quod satis est Episcopum esse electum, & confirmatum ad hoc vt interdicere possit.

Quarto infertur interdum inferiores prælatos posse habentes iurisdictionem ordinariam, quales sunt Abbates, præfecti Ecclesiæ Collegiatæ, vt habetur capitulo cum inde consuetudine in sexto.

Quinto

Quintò infertur capitulum sede vacante posse interdicere, vt habetur capitulo hisque de Hæreticis.

Quæritur secundo, quinam possint interdici.

2. Respondeo clarum esse omnes subditos prælatorum posse interdici, excipiuntur tamen priuilegiati, inter quos sunt illi qui recepti sunt in speciales, & proprios Ecclesiæ Romanæ filios de quibus Innocentius quartus statuit ne interdicantur sine speciali Sedis Romanæ licentia, & commissione, vt habetur capitulo primo de verborum significatione.

Nota tria hic, primo quod priuilegia quibus aliqui excommunicari, vel eorũ terræ interdici nõ possunt, concessa singularibus personis, vel Ecclesiasticis, vel Sæcularibus, non extenduntur ad sententias ordinariorum, quia ipsi tales excommunicare, & interdicere possunt, nisi cõcessa fuerint regibus, regnis, vel eorum filijs, aut religiosis, non ratione personarum, sed ordinum, vel locorum; ità decreuit Clemens quartus, vt habetur de priuilegijs in sexto capitulo ne aliqui.

Nota secundo, quod excepta à prælatis interdici non possunt ab eis etiam indirectè, imo prohibetur eis ne in exemptorum odium, aut priuilegiorum fraudem interdicant, vel excommunicent vendentes eis, aut ab illis ementes, aut eis communicantes, decreuit Honorius tertius contrafacientes puniri debere, vt habetur extra de priuilegijs capitulo quarto.

Quæritur tertio, quinam vitandi interdicti, nota de vitandis, & seruandis interdictis aliter olim ex iure communi iudicabatur, quam hodie iudicandum sit post editam constitutionem Cõcilij Cõstantiensis de qua fusè in tractatu de excommunicatione.

Quarè respondeo, & dico primo, quod nullos tenemur vitare interdictos nisi nominatim sint interdicti, denunciati idest ex proprio nomine, aut ex aliquo, quod proprias eorum personas demonstret, vitandi autem sunt tantum respectu eius, cuius sunt interdicti.

3. Dico secundo, ꝙ nemo tenetur seruare interdictum locale, siue generale, siue speciale sit, nisi fuerit denuntiatum, quod si generaliter, aut specialiter fuerit denuntiatum in Ecclesia matrice, Ecclesiæ tenentur illud seruare etiam regularium, postquam fuerit illis notificatum, ità Sotus in quarto distinctione 22. quæstione tertia, articulo 1. conc. 3. & alij.

CAPVT QVARTVM.

Ex qua causa, & quomodo sit interdictum imponendum.

1 *Interdictum qua de causa imponendum sit, & qui ligari possint.*

2 *Interdictum num imponi possit propter delictum peculiare.*

3 *Qui modus seruandus sit in imponendo interdicto.*

1 QVæritur primo, qua de causa sit imponendum interdictum.

Respondeo & dico primo, nunquam esse imponendum interdictum sine culpa, vel propria, vel aliena, ita Nau. c. 27. nu. 168. & Communis.

Vnde infertur primo, quod ad imponendum interdictum generale, siue locale, siue personale non requiritur, vt omnes incolæ eius loci, vel personæ omnes eius Communitatis sint in Culpa, sed satis est vt vel maior, vel præcipua pars, vel saltem caput loci, vel Communitatis sit in culpa, vt colligitur ex decret. Alexandri tertij de sponsalibus capitulo non est vobis, & est Communis.

Quare dicendum est quòd licet innocentes interdicto subijciantur sine propria culpa, non tamen hanc pœnam interdicti absque causa patiuntur, etenim iustum est, vt innocentes etiam patiantur ne in contumacia perseuerét, vel maior pars, vel præcipua loci, aut communitatis, vel saltem præfectus.

Infertur secundo, tale interdictum non esse licitum propter contumaciam priuatæ personæ, nam debet esse contumacia aliquo modo publica, videlicet in qua, vel maior pars, vel præcipua, vel saltem caput loci persistat, vt cómuniter sentiunt Doctores, Coaruuias loco citato dicit hoc procedere nisi hoc fiat ex speciali commissione Papæ, quæ difficultate magna procedit.

Infertur tertio, quod potest priuata persona specialiter interdici propter contumaciam priuatam.

Dices primo poterit nè vnum interdictum speciale imponi licitè contrà aliquem locũ, vel Ecclesiam propter contumaciam priuatæ personæ.

Affirmant aliqui posse id fieri licitè ex iure, sed contrarium colligitur apertè ab extrauaganti proinde de sententia excommunicationis inter communia.

2. Dices secundo nũ possit imponi interdictum propter debitum peculiare.

Nota primo quæstionem esse de interdicto locali.

Nota secundo Doctores conuenire, quod non possit ob tale debitum imponi interdictum locale generale sine speciali mandato Papæ, vt habetur in dicta extrauaganti proinde.

Nota tertio discrepare Doctores nũ possit interdictum locale speciale imponi, negat Coaruuias loco citato, vt asserit cõsuetudinem hispaniarum, affirmat cómunis sententia Doctorum, quos ipse citat.

Ego dico duo primò ex illa extrauaganti proinde, quæ huius dubij occasionem affert colligi non esse prohibitum.

Dico secundo standum esse consuetudini loci, quam seruandam esse docet Syluester verbo interdictum tertio § 5. art. 2. & alij.

Dices tertio non licet interdictum generale personale imponi ob debitum pecuniarum sine speciali mandato Papæ, sicut non potest generale locale.

Respondeo & dico primo, quod nullibi reperitur prohibitum hoc in iure cõmuni, quã extrauagans citata, tãtũ facit mentioné de interdicto generali locali. Dico secundo, quod cum eadem militet ratio de interdicto generali personali, quę de locali exprimitur dicto capitulo, dicendum est non licere.

Dico tertio, quod ob tale debitum peculiare potest interdictum speciale personale imponi; sic Sotus loco citato.

Quæritur secundo, qui modus seruandus sit in imponendo interdicto; Nota duo facere difficultatem hic.

3. Primo num posito interdicto requiratur monitio.

Secundo num interdictum ferendum sit sub aliqua forma.

Quoad primum dico primo si interdictum ab homine imponatur debent moneri non omnes interdicendi, sed tãtum qui causam dederunt interdicti imponendi.

Dico secundo, quod si interdictum sit à iure ipsa iuris cognitio pro monitione habetur.

Quo ad secundum dico primo, quod interdictum debet ferri in scriptis causam continentibus, & iudex tenetur tradere exempla intrà mensem, si ab interdicto fuerit requisitus.

Dico secũdo, quod non est aliqua forma verborum necessario obseruanda, cõmuniter tamen seruatur hæc, vel ferè simul, nos propter talem causam, vel talẽ ciuitatem Villam &c. interdicimus, vel interdicto subijcimus; Nota diligenter, quod pœna interdicti debet esse vltima ad quam deueniatur ex pœnis Ecclesiasticis, quippe quod vt diximus non nocentes solum, sed etiam afficiat innocentes, quare prius vtendum est excommunicatione, quam imponatur interdictum generale, siue locale, siue personale, & in tali casu etiam non debet imponi, nisi ob grauissima, & diuturna incómoda vbi grauis est contumacia, & diuturna, & hæc quidem satis persuadere possunt damna, incommeda, & pericula,

la, quæ ex interdicto tali prouenirent. recenset Bonifacius octauus capitulo al ma mater in initio, & addit Sotus loco citato, & alij communiter, atque hæc de hoc capite.

CAPVT QVINTVM.

De relaxatione, vel suspensione Interdicti.

1 *Quis possit relaxare interdictum.*
2 *Interdictum ab homine, & à iure à quibus relaxandum.*
3 *Quis possit interdictum suspendere.*

1 Quæritur primo quis possit relaxare interdictum.

Nota primo, quod tripliciter imponi potest interdictum vno modo ad præfixum, & determinatum tempus; Altero modo absolutè, & fine vllo termino. Tertio sub aliqua conditione, videlicet si hoc, vel illud feceris, hoc, vel illud non feceris.

Nota secundo, quod interdictum ad præfixum, & determinatum tempus impositum expirat adueniente tempore, & in hoc differt ab excommunicatione, quæ etiam finito tempore tenet, ita Doctores, quos citat, & sequitur Viualdus numero 94. Syluester verbo interdictum tertio §. 13. eodem modo etiam interdictum sub conditione illa adimpleta relaxatur, vt donec satisfeceris subiaceas interdicto; At vero non sic interdictū absolutè, & sine aliquo termino, quia ad hoc relaxandū necessaria est voluntas Iudicis sine ex sequentibus, vel alijs ex similibus verbis explicata, vt secundum communem notat Viualdus num. 293. videlicet reuoco, remoueo, absoluo, annullo, laxo, vel irrito interdictum; in foro pœnitentiali ad tollendum interdictum personale seruari posset hæc forma, ego te absoluo à vinculo interdicti, quod incurristi ob talem causam si res est certa, vel si dubia, absoluo te à vinculo interdicti si fortè incurristi, vel in quantum possum, & indiges; Syluester verbo interdictum tertio §. 12. notat, quod si iudex mente teneat relaxare interdictum, non est relaxatum, quia sicut verbaliter est lata sententia, ita verbo debet relaxari, dicit tamen hoc non procedere respectu Papæ, quippe qui legibus nō subijciatur, vnde si mente sola relaxet, est relaxatum, nec violantes incurrunt pœnas iuris, licet si ignorent relaxationem, peccent.

Nota secundo, quod in relaxatione interdicti debet interuenire iuramentum, & satisfactio partis, vt diximus de excommunicatione, ità Syluester loco citato, & alij communiter, quod quidem vt bene notat Viualdus num. 300. procedit respectu eorum, ob quorum culpam impositum est interdictum, non autem aliorum innocentum.

Nota quarto, quod in generali interdicto si velint satisfacere culpabiles, debet interdictum remitti, si vero innocentes, & inculpabiles velint satisfacere, nequaquam debet relaxari.

His notatis respondeo quæsito, & dico primo interdictū ab homine relaxari posset ab eo, qui illud posuit, aut eius superior, & nullus alius nisi de ipsius mandato, potest etiam Episcopi successor relaxare interdictū impositum à suo prædecessore, vel mortuo, vel priuato, ità Syluester verbo interdictum tertio §. 16 & communiter alij.

Dico secūdo, si interdictū est à iure, & cōditor Canonis reseruauit ipse tātū, si est reseruatū pōt relaxare, si vero nō est reseruatū Episcop' pōt ab illo absoluere, vel relaxare si sit absolutè impositū, & in

& in perpetuum, dummodò sit impositum in contumaciam, non autem in pœnam delicti, quia Episcopus non potest in pœnas iuris, si verò non est reseruatum, & sit tantum ad tempus impositum, licet in contumaciam, & non in pœnam delicti non potest Episcopus illud relaxare ante illud tempus, ità Syluester loco citato, & alij communiter.

Dices, posset ne prælatus Episcopo inferior respectu eorum, in quos habet iurisdictionem idem præstare, quod Episcopus?

Affirmat Syluester loco citato contrà Rosellam; Nota hoc procedere quando talis prælatus ex iure, vel consuetudi ne habet iurisdictionem in foro exterio ri.

3. Quæritur secundo quis possit interdictum suspendere. Tota difficultas est respectu Episcoporum.

Quidam enim negant posse Episcopũ suspendere interdictum, quod ille ipse imposuit, & ratio est primo, quia non potest Episcopus impedire effectus interdicti nè sequantur, dum ipsum interdictum durat. Secundo quia non potest Episcopus côncedere, vt loco interdicto diuina officia celebrentur; in hanc sententiam citantur, Abbas, & Decius à Coarruuia capitulo Alma Mater. Contrarium tamen ipse sentit secutus Ioannem Andream, Innocentium, & alios in capitulo ad hæc de appellationibus, & dicit esse communem.

Nota pro resolutione suspendere interdictum posse duobus modis sumi, vno modo, vt durante interdicto impediatur nesequatur eius effectus ad tempus, & sic procedit prima sententia, & est omnino vera, quia dum interdictum durat ex iure communi, & ex vi ipsius interdicti sequuntur effectus, ità vt Episcopus non habeat ius & auctoritatem impediendi illos siue interdictum locale sit, siue personale, solus Papa, qui cũ sit supra ius commune positiuum facere potest ne durante interdicto sequatur eius effectus, idest ne peccent, vel aliquã pœnam incurrant Laici, vel Clerici faciẽdo contra interdictum, altero modo sumi potest suspendere pro eo, quod est facere vt interdictum cesset ad tempus, & post illud tempus iterum redeat, & sic procedit Secunda opinio, & item vera est, vt clarè patet, & in eodẽ sensu potest etiam suspendere interdictum personale positum ob alterius culpam, quod si impositum sit ob culpam propriam, negat Syluester verbo interdictum 3. §. 8. posse ab alio, quam à Papa suspendi, Coarruuias tamen, & alij, quos loco citato §. 5. citat, docet etiam posse ab Episcopo suspendi, quia solum prohibetur Episcopo suspendere interdictum generale locale ab alio superiore impositum.

Nota interdictum hoc habere commune cum alijs duabus censuris excõmunicatione suspensione, quod per sequentem appellationem suspendi nõ potest, ità Communis; atque hæc de hoc capite.

CAPVT SEXTVM.

De casibus, quibus à iure impositum est Interdictum.

1 *Quinam casus inducant interdictum.*

2 *Ob quos casus Ecclesia interdicitur, vel polluitur, vt indigeat reconciliatione.*

3 *Polluta Ecclesia an polluatur Cæmeterium.*

4 *Casus, in quibus incurritur interdictum personale, generale, & speciale.*

5 *Quibus impositum sit interdictum Ecclesia.*

Quæ-

1. QVæritur primo, quinam casus inducant interdictum.

Nota quod sunt in quadruplici differentia quidam quibus à iure impositum est interdictum generale, locale; quidam speciale, locale, quidam generale; personale quidam personale, speciale; quidam postremò quibus interdictus est ingressus Ecclesiæ, & de singulis breuiter dicam seligendo celebriores.

Quo ad casus primi generis in quibus impositum est interdictum generale locale, primus habetur capitulo vbi periculum de electione in sexto, vbi interdicitur Ciuitas, in qua moritur Papa eo ipso, quod ipsa, vel domin⁹ eius, rectores, vel officiales non seruant dispositiones positas in ipso capitulo, & remanet priuata dignitate pontificali.

Secundus casus habetur de pænis in sexto capitulo finali sub finem, vbi ex decreto Bonifacij octaui remanet Ciuitas interdicta ipso facto, quæ persecutoribus, vel captoribus Cardinalium, auxilium, fauorem, vel consilium dederit, vel si post intra mensem non punierit talia facientes, excipitur tamen vrbs Romana ab aliquo capitulo.

Tertius casus habetur de censibus in sexto capitulo quamquam, si Collegiū siue sæculare, siue Ecclesiasticum, vel vniuersitas Ciuitatis, Castri, seu vniuscunq; loci exigit per se, vel per alium guidagia, Pedagia, vel id genus alia ab Ecclesiasticis personis de rebus suis quas defferunt non negotiationis causa; tunc enim ipso facto subijcitur interdicto Ciuitas, Castrum, Villa, vel alius locus quilibet dicti Collegij, vel vniuersitatis.

Sed quia hoc non seruatur, vertitur in controuersiam, an pænæ dicti capituli habeant vim, & obligationem, & ratio dubitandi est quia quod dicitur in dicto capitulo non est in plerisque locis receptum, neque seruatum; Syluester verbo interdictum quarto §. 4. vbi notat Archidiaconum dicit, quod pænæ dicti capituli habet vim, & obligationem, etiam si vsu non sit receptum id, quod in eo dicitur, & ratio eius est quia sententia interdicti trahit secum suum officiū, absque quod vtentium moribus recipiatur; Secundo quia in dicto capitulo habentur hæc verba, contraria consuetudine non obstante; contrarium sentit Caldetinus in tractatu de interdicto in prima parte in fine, & ratio eius est quia consuetudo est in contrarium; maximè in vrbe Romana, & alijs terris Ecclesiæ, à quibus aliæ ciuitates debent normam, ac regulam recipere in concernentibus obseruantiam iuris Canonici, & ità dicendum est.

Quartus casus habetur de vsuris capitulo primo in sexto, vbi collegium, siue vniuersitas subijcitur ipso facto interdicto si alienigenæ vsurarijs manifestis domos suas locent ad fænerandum, immò si permittant conducere in terris suis, vel conductas habere, vel alias habitare, expellere enim tenetur intra tres menses.

Quintus casus habetur in Clementina prima de pænis, vbi ipso facto subijcitur interdicto ciuitas, quæ percusserit suum Episcopum, vel aliquid commiserit propter quod capiatur, percutiatur, aut banniatur.

Sextus casus habetur in Clementina si quis de interdicto, vbi subijcitur interdicto ipso facto, locus, vel Ciuitas, vel terra, in qua Episcopus inuitus detinetur.

Et hic notandum est primo cessare hoc interdictum quotiescunque Episcopus liber dimittatur, secundo hic intelligi de proprio Episcopo.

Septimus casus habetur in extrauagante vnica de consuetudine, vbi ipso facto interdicuntur regna, terræ, & loca quæcunque, quorum Domini impediant legatos, vel nuntios Apostolicos ne munus suum exequantur, & hæc pæna interdicti durat, donec ipsi persistetint in tali contumacia.

Aliqui casus etiam habentur in Bulla Cœnæ Domini, vt in secunda excommunicatione.

Quoad casus secūdi generis prim⁹ habetur de sepulturis in sexto capitulo 1. vbi interdicuntur Ecclesiæ, & Cemeteria religiosorum, qui fuerint ausi contra venire

uire his, quæ ibi statuuntur, quo ad Laicorum sepulturas.

Secundus casus est, qui habetur de cōsecratione In multis locis quādo Ecclesia aliqua polluitur per iniuriosam sanguinis, & seminis humani voluntariā effusionem, & de hac Syluester verbo consecratio §. 5. verbo interdictum quarto §. 3. nam talis Ecclesia remanet interdicta donec reconcilietur.

2. Ratio autem hic postulat, vt ponamus casus In quibus Ecclesia interdicitur, ità vt indigeat reconciliatione, quidam enim ponunt tres, vt Armilla in verbo consecratio Ecclesiæ; quidam ponunt quinque, ut Syluester in uerbo cōsecratio secundo, & Sotus in quarto distinctione 23. q. 2. art. 3 ac Nauarrus in Manuali capite 27. numero 259. ponit sex casus.

Primus est quando intrà Ecclesiam humanus sanguis iniuriosè effunditur, aut datur causa mortis; Circà illud intrà Ecclesiam.

Notandum est primo, quod si extrà Ecclesiam, uel in eius tecto, uel in Campanili effundantur sanguis humanus, uel occidatur aliquis, non erit propter hoc polluta Ecclesia, ita omnes.

Notandum est secundo, quod appellatione Ecclesiæ in hoc casu intelligitur etiam si non sit consecrata, sed tantum benedicta.

Circà illud, sanguis, notanda est hæc conclusio generalis, quod quæcunque percussio non mortalis absque effusione sanguinis non uiolat Ecclesiam, vnde cū palo, uel baculo, manibus pedibusuè aliquem percutere, uel offendere non polluit Ecclesiam.

Circa illud, humanus, infertur animalium sanguine non pollui Ecclesiam.

Circà illud, iniuriosè effunditur; notandum est quod uerbum hoc importat magnam quantitatem, & iniuriosè factam, quia non sufficit sanguis effusio, quæ fit nataliter ex naribus, uel ore, aut casu, ut propter ictum lapidis cadentis, patet etiam effusionem sanguinis causatam ab ictu furiosi, pueri, uel mentis capti non facere Ecclesiam pollutam, ita Nauarrus, & alij.

Nec censetur polluta Ecclesia si quis cum moderamine inculpatæ tutelæ alium intra Ecclesiam percusserit, aut occiderit.

Notandum item est, quod quotiescunque uulnus fuit extra Ecclesiam illatum, & sanguis effusio fit intra illam, non dicitur polluta; è contra uerò si uulnus intra Ecclesiam inferatur, etiam si tale uulnus ligetur, quod sanguis effusio ibi non sequatur, nihilominus erit Ecclesia polluta secundum omnes.

Item sciendum est ex Nauarro loco citato quod si quis ab fidei, Ecclesiæue defensionem intrà Ecclesiam occidatur, uel martyrizetur, polluitur Ecclesia, ut dicunt Syluester, & Armilla locis citatis, quia sceleratius est sanctum occidere, quam prauum.

Ex supradictis patet quod si mors alio modo alicui intrà Ecclesiam absque sanguinis effusione inferatur, erit Ecclesia polluta, ut quando aliquis ibidem suffocatur, funi suspenditur, ueneno, uel alio maleficio interficitur.

Patet etiam quod si quis existens intrà Ecclesiam lapide, uel armis occiderit existentem extrà Ecclesiam, non polluitur Ecclesia.

Secundus casus propter quem polluitur Ecclesia est uoluntaria effusio humani seminis in ipsa Ecclesia, & dixi humani seminis, quia effusio sanguinis aliorū animalium Ecclesiam non polluit.

Item sub illo uerbo humani seminis intelligendum est de pollutione à quocunque Laico, Clerico, Iudæo, Infideli, Viro, uel fæmina naturaliter, uel extrà uas per fornicationem, adulterium, stuprum, & alia facta, secus est de pollutione in somnis, de copula uero carnali, quæ fit inter uirum, & uxorem est controuersia inter Doctores, & de hoc nos alias diximus.

Tertius casus in quo Ecclesia polluitur est quando aliquis excommunicatus in ea sepelitur.

Quartus casus est quando in illa aliquis infidelis sepelitur, ut habetur in capitulo extrà Ecclesiam in primo, & secundo de consecratione.

Quintus casus est quando Ecclesia fuit

fuit consecrata, aut benedicta per Episcopum excommunicatum publicum.

Sextus casus est quando omnes parietes Ecclesiæ renouantur, vt dicit Nauarrus loco supra citato.

Notandum etiam est quod ad hoc, vt Ecclesia per sanguinis, vel seminis effusionem sit polluta, oportet, vt talis effusio sit publica, vt optime dicit Nauarrus in Manuali cap. 27. nu. 256.

3. Quod si dicas si polluitur Ecclesia, polluitur nè etiam cimiterium.

Respōdēt Doctores affirmatiuè, si Cimiterium est contiguum Ecclesiæ, quia dignius trahit ad se minus dignum, non autem polluto cimiterio polluitur Ecclesia.

4. Quoad casus tertij generis quibus ponitur interdictum generale personale.

Vnus est, quod subijcitur interdicto capitulum quod sede vacante infrà annū à die vacationis Ecclesiæ Episcopalis ordinandi licentiam, vel litteras dimissorias dederit alicui qui Ecclesiastici beneficij accepti, vel recipiendi occassione arctatus non fuerit, ita Concilium Tridentinum sessione 7. cap. 10. alios casus videte apud Alfonsum Viualdum in Candelabro.

Quoad casus quarti generis, nota quod interdictum personale speciale à iure imponitur quidem aliquandò, & videtur non distingui à suspensione, & si contingit Episcopum interdici à Pontificalibus intelligitur etiam interdici ab alijs actibus, qui ad munus pontificale spectant, puta confirmandi, ordinandi, benedicendi, consecrandi altaria, Virgines, vasa, Vestes &c. & si contingat aliquem interdici ab officio Sacerdotali, intelligitur etiam interdictus esse ab omni eo, quod pertinet ad officium Sacerdotale, & consequuntur ab officio Pontificali, & si contingat aliquem interdici à Ministerio Altaris si est præsbyter intelligitur esse interdictus à celebratione Missæ, si est Diaconus à seruiēdo præsbytero, vel Episcopo in Altaris ministerio, si Subdiaconus intelligitur interdictus à seruiendo Diacono, & præsbytero in altaris ministerio; Item si contingat aliquem interdici ab ordinibus minoribus non potest promoueri ad maiores, vnde sequitur quod exercēs aliquem actum ordinum à quo est quis prohibitus propter hoc interdictum personale, incidit in irregularitatem.

Quoad casus vltimi generis, idest quibus impositum est interdictum Ecclesiæ.

Nota quod interdicitur ab Ecclesiæ ingressu ille, qui fert sententiam Ecclesiasticam aliter, quam iura tradunt, videlicet sine scriptis continentibus causam, & præmissa monitione debita; Atque hæc de casibus in quibus de iure incurritur interdictum breuiter dicta sint potius ponendo aliqua exempla quam ex professo enumerando dictos casus, nam plurimi alij sunt, quos uidere possumus apud Viualdum in Candelabro aureo, vbi de interdicto; atque hæc de interdicto, & de censuris dicta sufficiant.

Finis Tractatus de Interdicto.

TRACTATVS DE MISSA.

DE MISSAE VALORE ET DEVOTIONE.

QVid est Missa? Respondeo quod est oblatio corporis, & sanguinis D.N. Iesu Christi.

Vnde dicitur Missa? Respondeo quod dicitur à mittendo, quia filius mittitur ad nos à Patre, & eundem nos mittimus ad patrem sacrificando.

Quis instituit Missam? Respondeo quod Missa potest sumi duobus modis, primo pro toto illo officio, quod agitur ab initio Missæ vsque ad finem, & sic quamuis Christus instituerit ipsum sacrificium, tamen quædam cæremoniæ, & orationes, quæ in Missa dicuntur, fuerunt institutæ à varijs; nam partim instituerunt Apostoli, & partim ab alijs. Secundo sumitur Missa pro ipso sacrificio; & hoc fuit institutum in vltima cæna à Christo; nam Christus bis se obtulit, nimirum semel in cruce, & semel in cæna, quia non solum panem & vinũ consecrauit, sed etiam se ipsum patri obtulit pro sacrificio, & tunc non solum obtulit se ipsum, sed etiam instituit, vt hac sacrificium fieret in Ecclesia in illis verbis, hoc facile in meam commemorationem.

Hoc sacrificium crucis est ne idem cũ sacrificio quod obtulit in cæna? Respondeo quod est idem, quia affertur idem Christus; differt tamen sacrificium nostrum à sacrificio cænæ, & crucis.

Quomodo differt sacrificium nostrũ à sacrificio Christi? Respondeo quod differt in hoc, quòd Christus se sacrificauit passibilem, & mortalem, nos vero offerimus Christum impassibilem, & immortalem.

Quomodo sacrificium Christi factũ in cæna differt à sacrificio crucis? Respondeo quod in cæna Christus oblatus est incruentus, in cruce autem oblatus est cruentus.

Quare Christus voluit sacrificare in cæna? Respondeo quia per illud sacrificium applicauit Ecclesiæ, ac alijs pro quibus celebrauit, memoriam passionis futuræ, & propterea vt traderet modũ celebrandi.

Quare celebrantur Missæ? Respondeo quod celebrantur in memoriam Passionis Christi, cuius fructus nobis applicatur per hoc sacrificium.

Ad quid valet hoc sacrificium? Respondeo quod valet ad laudandum Deum. Secundo valet pro necessitatibus corporalibus, & spiritualibus. Tertio valet ad augendam gratiam in nobis. Quarto non solum valet pro offerente, sed etiam pro quibus offertur.

Quis nam dicitur offerre sacrificiũ? Respondeo quod primus omnium, qui offert est Christus, & illi non prodest. Secundus est sacerdos. Tertius est vniuersus populus. Quartus concurrentes ad sacrificium, vel ministrando, vel dan

do

do eleemosynam, vel assistendo.

Quomodo valet ad remissionem peccati mortalis? Respondeo quòd non valet, quasi hoc sacrificium remittat peccatum mortale; sed per oblatiōnē Deus placatus concedit gratiam, auxilium, vt homo fiat contritus.

Valet ne pro mortuis? Respondeo quod valet si sint in Purgatorio ad relaxationem Pœnæ, & ad remissionem peccatorum venialium in quibus decesserint.

De Diuisione Missæ.

IN quot partes diuiditur Missa? Respondeo quod diuiditur in tres partes. Prima pars dicitur ante consecrationem. Secunda ipsa consecratio. Tertia communio.

De prima Parte.

PRima pars in quot partes diuiditur? Respondeo quod diuiditur in quinque partes; videlicet præparationem populi, instructionem populi, expositionem effectus doctrinæ, professionem fidei, & oblationem donorum.

Quomodo fit præparatio populi? Respondeo quatuor modis. Primo in laude Diuina; quæ fit in Introitu. Secundo in commemoratione nostræ Miseriæ; quæ fit quando dicimus K.K.K. Tertio in commemoratione gloriæ Dei, & gratiarum actione de Aduentu D.N. quę fit in gloria in Excelsis. Quarto orando pro populo, quod fit in oratione super populum.

Orationes, quæ alta voce dicuntur, quomodo appellantur? Respōdeo quod dicuntur collectæ, quæ breuiter colligūt preces nobis necessarias.

Quare in Missa Ambrosiana dicitur tribus in locis ter K.K.K.?

Dico primo fieri tribus in locis ostendendo Sanctam Trinitatem.

Dico secundo, quod quæ dicūtur in principio videlicet post gloria in Excelsis dicuntur ad commemorandam nostram miseriam, & ad petendam misericordiam Dei, vt rectè instruamur per Epistolam, & Euangelium, & vt præparemur ad sacrificium.

Dico secundo, quæ dicuntur post Euāgelium commemorant nostram miseriam, & per illa petimus misericordiam Dei, tum pro negligentijs commissis in audiendo lectionem, tum etiam vt digne possimus offerre dona, & sacrificia celebrare.

Dico quarto per illa vero quæ dicuntur in fine petimus misericordiam Dei tum pro negligentijs commissis in celebrando hoc misterium, & confitemur miseriam nostram, quia quamuis obtulim⁹ sacrificium hoc, tamen egemus gratia diuina, vt fructus sacrificij in nobis conseruentur, & in diuino cultu perseueremus.

De Instructione Populi.

QVomodo Instruitur Populus? Respondeo duobus modis. Primó pro dispositione post lectiones prophetarum, & Epistolas Apostolorum. Secundo perfecte per lectionem Euangelij, nam lectiones disponūt nos, vt deinde per Euangelium perfecte erudiamur.

De effectu Doctrinæ.

QVid intelligitur per effectum doctrinæ? Respondeo quod intelligitur fructus, quem facimus ex lectione, & auditione Sacræ scripturæ.

Quid est effectus Doctrinæ? Respondeo quod efficit tria in nobis. Primo vt contemplemur virtutes. Secundo efficit, vt lætemur de spe veniæ peccatorum, & de cognitione veritatis, quam habuimus in lectione, & ideo canimus haleluia &c. Deum laudando in lætitia. Tertio efficit vt gemamus peccata nostra, quæ effecerunt, vt Deus veniret ad nos.

De professione Fidei.

VBi nam profitemur fidem? Respondeo quod profitemur in symbolo.

Quare Symbolum dicitur post Euangelium? Respondeo quod dicitur, vt significemus nos ex auditu Euangelij factos fuisse promptos ad confitendam fidem, & ad illam tenendam.

Quare Ambrosiani dicunt symbolum ante præfatium? Respondeo quod in præfatione incipimus accedere ad Deũ iam iam venturũ ad illud ineffabile misterium, & quia illud misterium fidei est celebrandum cum fide, dicimus symbolum profitendo nos cum fide ad hoc misterium accedere, & nos fidem adhibere ijs, quæ in Euangelio audiuimus.

De Oblatione donorum, seu offertorio.

QVid fit in offertorio? Respondeo quod fiunt tria, primo canitur offertorium in signum lætitiæ populi, & offerentium; More autem Ambrosiano dicitur ante orationem super oblatam. Secundo offeruntur dona ibi, suscipe clementissime Pater hunc panem sanctum, & suscipe Pater hunc calicem. Tertio petitur à Deo, vt acceptet hanc oblationem, Primo pro Sacerdote ibi, omnipotens sempiterne Deus placabilis. Secundo pro vniuersa Ecclesia in honorem omnium sanctorum, pro bene factoribus, pro vniuersis fidelibus tam viuis quam defunctis, ibi suscipe Sancta Trinitas hanc oblationem quam offerimus. Tertio vt acceptet illud ad emundationem, & expurgationem peccatorũ Sacerdotis, vt digne ministrare mereatur ibi, & suscipe Sancta Trinitas hanc oblationem pro emundatione mea. Quarto in oratione quę dicitur super oblatam.

De secunda parte Missæ, quæ dicitur Canon.

VBi nam incipit hæc pars Missæ? Respondeo quod nonnulli dicant incipere in ijs verbis.

Te igitur Clementissime Pater, ego vero salua meliori conditione dico Canonem habere duas partes; nimirum, præambulum, seu præfationem, seu exordium.

Secundo actionem ipsam. Præfatio igitur est quasi Canonis exordium, Canon autem ipse est actio ipsa, incipit in his verbis, Te igitur &c.

De Præfatione.

QVid significat hoc nomen præfatio? Respondeo quod præfatio est idem quod præloquutio, quia in illa nonnulla loquimur antequam veniamus ad Canonem, & est nomen verbale compositum à præ idest antea, & facio idest locutio, & venit à verbo faris, quod significat parlare.

Quot partes habet?

Respondeo quod quatuor, prima excitationem populi ad confitendum Domino. Secunda rationem quare debemus domino confiteri. Tertia petitionem à Deo vt acceptet confessionem nostram. Quarta laudem Diuinam.

Quomodo excitatur populus ad confitendum Domino? Respondeo quod tribus modis. Primo petendo adiutoriũ, ibi Dominus vobiscũ. Secũdo excitando Populũ ad contemplãda altiora, ibi sursum corda. Tertio ostendendo quid agendum sit, nimirum Deo esse agendas gratias ibi, gratias agamus; & respondet Populus, dignum & iustum est.

Quomodo redditur causa quare debemus Domino seruire? Respondeo quod redditur causa.

Primo quia Deus est Dominus sancta:

omni-

omnipotens Deus æternus. Secũdo quia hoc idem faciunt Angeli ibi, per quem Maiestatem tuam laudant Angeli.

Vbi nam petimus acceptationem cõfessionis? Respondeo ibi, cum quibus & nostras voces.

In quo consistit laus Diuina? Respondeo quod in his vocibus, Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Quare dicimus ter sanctus? Respondeo vt ostendamus trinitatem personarum.

Quare dicimus sanctus Dominus? Respondeo quia non sunt tres Dij, aut Domini, sed vnus Deus, & Dominus.

Quid significat Deus Sabaoth? Respondeo quod significat Deus exercituũ, quia tam cælestes, quam terrestres sunt in manu Dei.

Quid significent illa verba hosanna in excelsis? Respondeo quod hosanna significat salua nos, in excelsis in cælis vbi est perfecta salus.

De ipso Canone.

QVibus nominibus appellatur Canon? Respondeo appellatur Canõ quia est regula, seu norma ordinata ad consecrandam Euchatistiã. Secundo dicitur secretum quia conuertitur substantia Panis, & vini in substantiam corporis, & sanguinis Christi, quæ est res secreta, & obscura intellectui nostro. Tertio dicitur actio, qa ibi agitur idest repræsentatur Passio Christi. Quarto appellatur Dei sacrificium, quia in eo sacrificatur Dei filius.

Quare Canon dicitur secretè? Respõdeo quia ne verba tanti Mysterij vilescant, & vt Sacerdos maioricum deuotione illa proferat.

Quot sunt partes Canonis? Respondeo quod sunt sex.

Quid petitur in prima parte? Respondeo quod petitur Benedictio munerũ, et eorum acceptio ibi, te igitur. In secunda parte inuocantur sancti ibi, communicãtes. In tertia petitur iterum vt Deus acceptet, & benedicat oblationem, vt fiat corpus, & sanguis Christi ibi, hanc igitur oblationem. In quarta parte fit consecratio ibi, qui pridie. In quinta offertur sacrificium ibi, vnde & memores. In sexta petitur refrigerium pro defunctis ibi, Memento & Domine famulorum &c.

De prima parte Canonis.

QVid facit Sacerdos in prima parte Canonis? Respondeo quod petit vt Deus acceptet, & benedicat dona quæ offeruntur pro pace, vnione, custodia, regimine Ecclesiæ, pro Imperatore, pro Rege, & omnibus fidelibus, pro Papa, Antistite propriæ Ecclesiæ, in illis verbis, in primis quæ tibi offerimus. Secundo Sacerdos orat pro circunstantibus, & commendatis, vt Deus illorum animas à peccatis expurget ibi, Memento Domine famulorum, famularumque tuarum &c.

Quare ponitur particula igitur? Respondeo quo ponitur ad iniungẽda ista verba cum præcedentibus, vt sit constructio hoc modo. Igitur, clementissime Pater subintellige, quia tu es sanctus, Domine Deus Sabbaoth, nos supplices, rogamus & petimus per Dominum nostrum Iesum Christum, vt accepta habeas, & benedicas &c.

Quid intelligitur per patrem? Respondeo quod intelligimus primam personam Sanctissimæ Trinitatis, vt patet quia dicimus per Iesum Christum Dominum nostrum.

Quid significant illa verba, hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata? Respondeo quod dicuntur dona, quia prius nobis à Deo donata sunt, dicuntur munera, quia est munus nostrum idest officium nostrum illa offerre, illibata idest intacta, vel immaculata, quia & mundo, corde & munda mente offe-

nimtur; sancta, quia Deo sunt oblata.

Quare fiunt tres cruces ibi, hæc dona, hæc munera? Respondeo quia illæ tres cruces significant tria genera personarũ à quibus Christus morti traditus est; nã Christus traditus est à Deo ex charitate, à Iuda ex auaritia, à Iudæis ex Inuidia.

Quid intelligimus per Eclesiam? Respondeo quod intelligimus Ecclesiam Militantem idest multitudinem fideliũ in hoc sæculo commorantem.

Explica illa verba, toto orbe terrarũ? Idest Ecclesia vbicunque illa sit.

Quare primo Sacerdos offert pro tota Ecclesia, & deinde pro capitibus Ecclesiarum, & deinde pro particularibus & circunstantibus? Respõdeo quia charitas requirit, vt bonum vniuersale totius Ecclesiæ bono particulari proponatur.

Inter particulares personas qui sunt primo loco ponendi? Respondeo quod quamuis in Memento sint explicandæ aliquæ personæ particulares; tamen existimo non esse necesse, vt quilibet Sacerdos sciat, quinam primo loco ponendi sint, sed sufficit, vt in Missa, vel ante proponat orare pro illis pro quibus tenetur specialiter ordine debito, & gradu, quo Deus nouit illum esse obligatum.

Quid significant illa verba, pro quibus offerrimus; vel qui tibi offerunt; Respondeo quia non solum Sacerdos, & populus Christianus offert; sed etiam offerunt concurrentes ad sacrificium, vel ministrando, vel dando eleemosynam, vel assistendo, & illos intelligit pro quibus offerrimus; vel qui tibi offerunt.

De secunda parte Canonis.

VBi incipit secunda pars Canonis? Respondeo quod incipit in his verbis, communicantes.

Quid facit Sacerdos in illa parte? Respondeo quod petit, vt nos communicantes, idest participantes hoc sacramẽto, quo participauerunt B. M. Virgo, & omnes sancti, qui sequuntur, & eos conuocantes eorum precibus, & meritis diuina protectione muniamur.

Quomodo sancti omnes participant hoc sacramento, cum aliqui sint, qui hoc sacramentum non susceperunt? Respondeo quod participant hoc sacramento omnes, qui nunc in cælo fruuntur præsẽtia Christi, quam nos recipimus, & habemus in hoc sacramento.

Quare non fit mentio sanctorum veteris testamenti; neque confessorum? Respondeo quod facimus memoriam illorum, quia dicimus, & omnium sanctorũ. Secundo nec facimus memoriam sanctorum veteris Testamenti, quia ipsi nõ participauerunt sacramentaliter hoc Sacramento, sed participauerunt spiritualiter, & in figura.

De tertia parte Canonis.

VBi incipit hæc tertia pars Canonis? Respondeo quod incipit ibi, hanc igitur oblationem.

Quid facit Sacerdos in hac parte? Respondeo quod petuntur tria. Primo petimus, vt hæc oblatio à Deo accipiatur placida, & per illam in pace cum Deo conseruemur ibi, diesque nostros ab æterna damnatione eripiamur, & vt copulemur societati sanctorũ ibi, & in electorũ tuorum iubeas &c. Secundo petimus vt Deus faciat hãc oblationẽ Benedictã, idest

idest vt per illam Benedicamur ibi, quã oblatione m quam pietati tuæ offerrimus Ascriptam, vt per illam ascribamur, & vniamur societati Angelorũ. Ratã, idest firmam, Rationabilem, idest vt per eam reddamur rationis capaces, & secũdum rationem viuamus, & non more Bestiarum. Tertio petimus, vt Deus conuertat hanc oblationem in corpus, & sanguinem Christi ibi, quæ nobis corpus &c.

Quid significant illa verba seruitutis nostræ? Respondeo quod significant oblationem, quam nos offerrimus ad seruitutem, & cultum Dei.

Quid significant illa verba, cunctæ familiæ? Respondeo quod per cunctã familiam intelligimus Ecclesiam, & omnes qui concurrunt ad sacrificium offerentes.

Quid significant illæ quinque cruces, quæ fiunt ibi Benedictam, Ascriptã? Respondeo quod primę tres, quæ communiter fiunt super calicem, & Panem, significant tria genera personarum, quib. fuit venditus, nimirum Sacerdotes, scribas, & Phariseos, & significant triginta Argenteos, quibus Christus fuit venditus. Duæ autem vltimæ quæ fiunt distinctè, vna super patenam, altera super calicem significant Iudam venditorem, & Christum venditum.

De quarta parte Canonis.

VBi incipit prima pars Canonis? Respondeo quod incipit ibi, qui pridie.

Quid fit in ista parte? Respõdeo quod fiunt tria. Primo ponitur tempus, quo Christus hoc sacramentum instituit, & fuit dies antequam pateretur ibi, qui pridie. Deinde ponitur modus quẽ Christus tenuit in instituendo hoc sacramento ibi, accipiens Panem. Secundo consecratur panis per illa verba, Hoc est enim corpus meum, & vinum consecratur, Hic est enim calix sanguinis mei &c. Tertio ponitur causa institutionis huius Sacramentĩ; ibi, Mandans quoque dicens ad eos hæc quotiescunque feceritis &c., vbi ostenditur hoc sacrificium esse memoriale Passionis Christi, ibi mortem meã prædicabitis, deinde esse pignus à Christo relictum Ecclesiæ, donec veniat in die iuditij, ibi, donec de cælis itẽrum veniam.

Quare fit signum crucis super panẽ, & super vinum antequam consecretur? Respondeo quod illæ duæ cruces significant Christum esse passum in anima, & in corpore.

Quid significant illa verba noui, & æterni testamenti? Confirmant legem gratiæ, quæ lex est Testamentum nouũ, & est testamentum æternum, quia durabit vsque ad finem sæculi.

Quare sanguis Christi in sacramento dicitur Mysterium fidei?

Respondeo quod est secretum, quod non humana ratione, sed per fidem cognoscitur.

Quare dicitur sanguis Christi effusus pro multis, cum passus sit pro vniuerso mundo? Respondeo quod quamuis Christus passus sit pro toto mundo, & passio eius sit sufficiens ad salutem totius mundi, tamen non omnes sed multi saluantur, quia non omnes sibi meritum Passionis applicant.

De

De quinta parte Canonis.

VBi incipit quinta pars Canonis? Respondeo ibi, unde & memores.

Quid fit in hac parte? Respõdeo quod fiunt tria, primo offertur Hostia in memoriam Passionis, Resurrectionis, Ascensionis Christi ibi, vnde & memores; secundo petitur, vt sacrificium placidè respiciat, & acceptum habeat, sicuti accepta habuit munera Abel sacrificium Abrahæ, & Melchisedech. Tertio petit Sacerdos, vt quicunque sumpserit corpus & sanguinẽ Christi cælesti benedictione, & gratia repleatur.

Quid significare volunt illa verba, & memores sumus? Respondeo quod sensus est, quia Christus mandauit hoc sacrificium fieri in sui memoriam, ut diximus circa illa verba, mandans quoque, unde nos memores refferimus.

Sacrificium Missæ in quo loco fit? Respondeo quod quamuis ad sacrificiũ Oblatio, Consecratio, & sumptio spectent, tamen sacrificium propriè fit hoc loco, quia in hoc loco offertur sacrificiũ, & consistit in Oblatione.

Quid significant illæ quinque cruces, quæ fiunt ibi, Hostiam puram? Respondeo quod significant quinque uulnera Christi.

Quæ fuerunt munera Abel? Respondeo quod munus Abel fuit, quando à fratre occisus fuit.

Quodnam fuit sacrificium Abrahæ, & Melchisedech? Respondeo quod sacrificium Abrahæ fuit quando voluit offerre filium, sacrificium uero Melchisedech fuit panis & uinum, quod obtulit propter uictoriam Abrahæ, quam habuit contra Sodomitas.

Quid significant illa uerba, iube hæc perferri per manus Angeli tui?

Respondeo quod significant, hæc idest sacrificia, vel vôta fidelium, per Angelos assistentes, vel per Christum, qui est Angelus magni consilij, perferantur in Altare, idest in Cælum, quia ibi semper sacrificatur Deo sacrificium laudis, idest vbi semper laudatur Deus.

Quid significant illæ duæ cruces, quæ fiunt super oblata ibi, sacrosanctum corpus, & sanguinem &c. Respondeo quod significant rigidissimam extensionem corporis Christi in cruce. Secundo significant largissimam effusionem sanguinis.

Quare Sacerdos signat se dicendo, omni benedictione cælesti, & gratia repleamur? Respondeo quod illud signũ significat fructum passionis, qui est benedictio, & gratia cælestis.

De sexta parte Canonis.

VBi incipit hæc sexta pars Canonis? Respondeo quod incipit ibi, memento etiam Domine famulorum, famularumque tuarum.

Quid fit in hac sexta parte Canonis? Respondeo quod fiunt tria, primo petitur refrigerium pro defunctis in vniuersum, deinde pro particularibus eo ordine, quo diximus in memento pro viuis, deinde pro mortuis omnibus, ibi ipsis Domino. Secundo petimus, vt Deus per suam misericordiam det nobis societatẽ sanctorum in cælo ibi, Nobis quoque peccatoribus. Tertio petimus, vt Deus Pater hæc præsentet per Christum Dominum nostrum, idest per cuius merita Deus Pater præsentat hæc dona, sanctificat, idest deputat ad cultum Diuinæ Maiestatis, viuificat, idest conuertit in corpus, & sanguinem Christi, Benedicit, idest efficit, vt contineant in se benedictionem ibi, per quem hæc omnia Domine.

Item petimus, vt Deus hæc præstet per Christum Dominum nostrum per

per quem, in quo, & ex quo patri est omnis gloria, & Laus, Imperium, Perpetuitas, & potestas; quæ omnia habentur in illis verbis, in ipso, & per ipsum, & in ipso.

Quid significant tres cruces, quæ fiunt cum sacramento super calicem cum dicitur ex ipso & per ipsum? Respondeo quod significant tres horas quibus Christus mansit in Cruce, nimirum à sexta hora vsque ad nonam, & fiunt supra Calicem, quia Calix repræsentat Passionem, & ideo ponitur Hostia supra Calicem dum fiunt tres cruces, ad significãdum, quod Christus Passus est in tormẽtis voluntariè.

Quid significant aliæ tres cruces, quæ fiunt ibi. Imperium, perpetuitas &c. Respondeo quod significant tres separationes factas in morte Christi, nimirum Animæ à Corpore, filij à Matre, Magistri à Discipulis.

De tertia parte Missa.

VBi incipit hæc tertia pars Missæ? Respondeo quod incipit ibi, Corpus tuum frangitur Christe vsque ad finem.

Quot partes habet? Respondeo quinque, fractionem ibi corpus tuum frangitur Christe. Præparationem communicantium, ibi Præceptis salutaribus. Communionem ibi, Domine Iesu Christe. Petitionem, ibi accepta Christi Munera; Gratiarum actionem in Antiphona post communionem.

De Fractione.

QVid fit in fractione? Respondeo quod fiunt duo. Primo frangitur Sacramentum. Secundo miscetur pars Hostiæ in Calice consecrato, petendo, vt illa cõmistio proficiat nobis ad vitam, & gaudium sempiternum ibi, Cõmistio.

Quid significat fractio Hostiæ? Respondeo, quod significat Passionem Christi, & separationem Animæ à Corpore.

Quid significent tres particulæ Hostiæ? Respondeo quod significant tres partes Ecclesiæ; nam pars, quæ ponitur in Calice repræsentat viuentes in terra, qui dicuntur Ecclesiæ Militantis. Aliæ duæ partes, vna eorum qui sunt in Purgatorio significat. Altera vero qui in cælis sunt significat.

De Præparatione Communicantium.

QVomodo fit præparatio eorum, qui communicantur? Respondeo quod fit.

Primo per Orationem Dominicam.

Secundo per illam orationem, Libera nos.

Tertio petendo pacem, & admonendo fideles, vt inuicem pacem habeant, ibi Pax & communicatio &c.

Quare adduntur illa verba præceptis salutaribus &c. Respondeo quia videtur præsumptio, quod volumus Deum Patrem vocare; ideo excusamus dicendo nos facere id quia ita monemur, & docemur à Deo.

Quare post Orationem Dominicam addimus Orationem illam, Libera nos etcætera? Respondeo quod quamuis

in

in Oratione Dominica, quicquid necessarium est petamus, tamen cum repetimus petitiones magis excitatur desiderium nostrum, & ideo magis disponimur ad impetranda, quæ petimus.

Quid petimus in illa oratione, Libera nos?

Respondeo quod petimus intercessionem Beatæ Virginis Mariæ, & Sanctorum; ibi, intercedente, liberemus ab omnibus malis, & adiuuemur ope diuina, vt liberi simus ab omni peccato.

Quare petitur pax, tanquam præparatio communionis?

Respondeo quod sacramentum hoc est Sacramentum pacis, & illi qui accedunt ad hoc Sacramentum debent esse vniti paterna charitate, quia manducant eundem panem, & potum spiritualem, quasi sint vna familia.

De Communione.

VBi incipit communio? Respondeo quod incipit ibi (Domine Iesu Christe.)

Quid fit in illa Oratione, Domine Iesu Christe? Respondeo quod Sacerdos petit vt liberetur ab omnibus peccatis; vt tantum Sacramentum digne sumere possit, ibi, libera me Domine ab omni bus iniquitatibus meis, & petit vt perpetuo maneat cum Christo; ibi, & à te nunquam separari permittas.

Secundo humiliat se cognoscendo indignum tanto sacramento; ibi Domine non sum dignus.

Tertio ostendit se non desperare magna confidentia, dum accipit in manibus Corpus Christi, pro beneficijs acceptis; ibi, quid retribuam Domino.

Quarto recepta Hostia recognoscit se nihil habere, quod Deo reddere possit pro tanto benefcio; & dicit se velle recipere Calicem pro gratitudine beneficij accepti: ibi, Calicem salutaris accipiam.

Quinto dum vult sumere calicem petit sacerdos, vt per illam sumptionem purgetur ab omni macula peccati, vt ad vitam æternam perducatur, ibi (Præsta quæso Domine.) & ita sumit Calicem.

De Petitione post Communionem.

QVid facit sacerdos in Orationibus, quæ sequuntur post Communionem?

Respondeo quod petit, vt corpus & sanguis Domini sit illi remedium sempiternum; ibi, quod ore sumpsimus. Secundo vt Deus donet Ecclesiæ suam perpetuam tranquillitatem, & pacem; ibi, confirma hoc Deus.

De Gratiarum Actione.

VBi incipit hæc pars?

Respondeo quod incipit ex Antiphona post communionem vsque ad finem.

Quid fit in hac parte? Respondeo quod fiunt quinque.

Primo cantatur Antiphona post Cōmunionem in signum lætitiæ pro sumpta Communione.

Secundo in collectis petitur, vt communio perfecta operetur ad salutem.

Tertio petit à Diuina Misericordia in (K.K.K.) & diuino auxilio, In Dominus Vobiscum, inuitatur Populus ad benedicendum Deo.

Quarto iterum compendiosè à Sanctissima Trinitate petit, vt sacrificium oblatum sit Deo acceptum, sibi, & omnibus illis pro quibus obtulit propiciabile, in illa oratione, Placeat tibi Deus.

Quinto Populum benedicendo in pace dimittit.

Quid

Quid significent cornu dextrum, & cornu sinistrum, & medium altaris? Respondeo quod cornu dextrum significat Populum Iudaicum. cornu sinistrum Populum Gentilem; Medium vero Altaris Christum, qui in se tanquã in lapide Angulari, & in sua fide consumpsit duos parietes, id, et Iudeos, & Gentiles in suum Ædificium Ecclesiæ Sanctæ.

Atque hæc de Missa, & de vniuersa summa casuum conscientiæ dicta sufficiant. Quæ omnia Ecclesiæ Catholicæ censuræ, & Doctorum iudicio semper subiecta esse volo, &c.

Laus Deo, Beatæ Virgini, Sancto Carolo, & toti Curiæ Cælesti, &c.



MEDIOLANI,

Apud Io. Iacobum Comum. M. DC. XXVIII.

Superiorum Permissu.

6 – 4